705

ELENCHVS PAPISTICÆ RELIGIONIS,

In quo probatur

Neque APOSTOLICAM, neque CATHOLICAM, imo neque ROMANAM esse.

EDITIO TERTIA,

Novitèr non tantum à scioli cujusdam calumniis, sed & à Doctorum aliquot argumentis vindicata.

Authore IOHANNE BASTVVICK
Anglo M. D.

Accedit ad calcem, ejusdem Authoris exercitatio quædam Theologica, adversus Episcoporum Papalium usurpationem. Item Epistola ad quendam, qui à Reformata Relig. ad Papismum defecerat.

AMSTELODAMI,
Apud Ioannem Ianssonium. 1634.

LIBRARY OF THE
UNION
THEOLOGICAL
SEMINARY
NEW YORK

SERENISSIMO

Ac Invictissimo Principi ac Domino

CAROLO,

Dei Gratia,

MAGNÆ BRITANNIÆ,

FRANCIÆ, & HIBERNIÆ Regi,

Fideique Defensori.

ANNUS *jam ferè nonus agitur, Rex Augustissime, quod cupidine studioque tuendæ veritatis in libelli pugnum argumenta contraxi, quæ spectata sæpius in acie, sæpe prælijs probata, nec vi, nec impetu hostium, labefactari posse cognoveram. Quem commentarium in media peregrinatione mea conscriptum, & sub luce sacratissimi tui nominis editum, cum in otio beatissimo Patriæ, diligentioribus meditamentis recoluissem asseruissemque contra futilem opstrepentium Adversariorum Sophisticam, iterum tutelæ præsidioque tuo committendum esse putavi.*

tavi. Nec enim fas erat, alium Pietati nostræ Patronum quærere, præter illum sub quo Rege destinato, spem ac votum, facto autem, ipsius voti fiduciam ac robur assumpserun.

Celsitudinis vestræ servus
humillimus

JOHANNES BASTVVICK.

LEC-

LECTORI SALVTEM.

ELENCHVS ille quem superioribus annis veluti monitorem ad eos miseram qui peregrè profecti latrocinantium Iesuitarum insidiis circumventi facile opprimuntur, calumniarum jactu veluti tormentis petitus fuit à quodam infrunito; quarum fumum & strepitum cum sperneret; ecce tandem ipsas scloppi flammas quibus exusturum se chartas meas fuerat minatus. Aderat ab illo familiaris qui librum meum marginalibus notis inustum, & inscriptum scurrili titulo κρίσις ἐλέγχε φλυάρε ἢ φλυαρίας, mihi traderet. Cognovi illico characterem hominis indocti & audacis, de cujus nomine cum perquisiviſſem, sic accepi. Richardum quendam Short breviculis his notis ingenii sui exiguitatem propalaviſſe; virum sane maledicendi peritum & summum calumniarum Artificem: quas pudendas artes jam olim in vicinia mea exercentem cognoveram. Quo tempore sæpissimè ad studiorum & sermonum societatem à me invitatus, longissimè ab omni congressu refugerat; dictitãs vana esse & irrita colloquia: cæterum se stilo & calamo pugnare in errores nostræ Theologiæ: illoque armorum

usu se nemini Mortalium concedere. Conspectis ergò miserandis his notulis promisi me responsurum: Sed perlectis pœnitebat promissi. Videbam enim ea re dedecus illi, mihi vero gloriam non quæri. Hominis enim quem non indoctum fama mentiebatur, retegere cogebar ignorantiam impudentia præpilatam: congredi verò cum illo quem victurum nemo doctus aut bonus speret, penè inficianda laus est. Quam sententiam animi mei cum accepisset; vernacula & triviali Epistola depoposcit certamen, constiturus in acie pro Tutela Notarum. Cum verò literas hasce rumores alii non belli per similes profligatæ illius militiæ lixas & calones sparsi subsequerentur, Me scilicet imbellem fuga fateri ignaviam & desperationem, denique difflatum esse Elenchum & omnes copias meas pulsas & cæsas: putavi operæ pretium esse responsum reddere jejunis illis annotatiunculis: non quod hoc ipsæ sua virtute mereantur, *sed ne stultus silentio præteritus sapiendi induat arrogantiam. Occurrendum etiam putabam periculosi quod fortè ab assidua calumniarum aspergine veritati immineret. Extimulabat autem illa sanctissimi viri monitio qui nos ad rationem fidei quibus libet reddendam promptos esse jubet & enixè diligentes.* Ergò singulis illis notulis quibus nec addidi quicquam neque detraxi, & ad margi-

nem

nem appositis, numeroq; Arithmetico utrobiq; notatis, fide bona sine fuco aut fallaciis respondi: non leviter interim miratus de solis Pontifice & Missa motum fuisse certamen ab adversario, intactis reliquis quæstionibus quæ supersunt quamplures, nisi forte putet, (quod creditu non absonum est) cum his duobus vel stare vel ruere totam ἐπιροδοξίας Papisticæ Machinam. Cæterum dum huic Tenebrioni respondeo, sæpe filo Disputationis, in controversias cum aliis paulò sapientioribus Romanensium ductoribus deductus sum. Vnde factum est ut exercitationes aliquot Theologicas quæ non absimilis argumenti sunt; ad libri calcem subjunxerim; cujus editionis novæ dum rationem reddo, non absurdum erit meminisse quam malitiosè mecum egerit Richardus, qui secundi libri editione præterita, in qua cavillationes ipse plurimas jugulari, in primam impetum fecit, quæ minus instructa minusque armata prodierat. Hæc causa est, quod utramque editionem (quæ unius ejusdemque argumenti sunt) auctiorem & locupletiorem, vindicatamque non tantum ab hominis nescii calumniis, sed & à Doctorum aliquot argumentis, in commune commodum, sed præcipuam peregrinantium utilitatem rursus emiserim. Non quod in arduis Theologię secretis supra reliquos sa-

pere mihi persuaderem, vel in tanta doctissimorum hominum copia docendi partes potissimum susciperem; verum ut pro mea virili prodessem illis, quos eadem patria, eadem sacra, conjunctione religiosissima mihi devinxerant. Speravi quoque non defuturos qui conatibus meis impulsi, & studio & doctrina majore in rem eandem efficacius incumbant. Nam cum Pseudo-Catholici tota fere possessione Ecclesiæ quam impudentissima usurpatione sibi vindicarunt, ab hominibus nostris, ope veritatis depulsi sunt, unum hoc ad intercludendum superbiæ spiritum restabat, si decoris illis, sed furtivis, tituli Romani plumis exueretur. His enim involucris cum sese jactet insolenter, omni ope conandum est, ut furti convicta tam manifesti, posthac de aliena re dimicare & ad interdictum venire non audeat. Cui negotio cum Pares in Academiis nostris tot homines eruditi, tot diserti, tot pii reperiantur, cum in foro tot præclara ingenia, tot exculta sublimibus artibus pectora suboleſcant, magna spes animum tenet orituros è Theologis, qui pro sua in Deum pietate, è jurisconsultis qui pro studio tuendæ justitiæ tam importunum, tam nefarium, tam immane furtum scriptis, concionibus, legibus

arguent

arguent, convincent, vindicabunt. Hic interim libellus honori divino, & commodis Popularium meorum destinatus, Professione pietatis aut laudatus erit aut excusatus.

Omnes & ſingulæ Calumniæ Richardi Shortii una collectæ & verbatim depoſitæ cum ejus vernacula & triviali Epiſtola.

Pagina 1. nota 1. τὄνομα τῆς ἐκκλησίας aliud etiam ſignificat: Author hîc vix diſtinguit ἀπὸ τῆς συναγωγῆς.

Pagina 2. nota 2. Vbi cæleſtis Rhabbi hæc verba habet?

Pag. 2. nota 3. Hoc argumentum ineptum eſt, quo etiam uti liceat Pontificiorum Magiſtris, ad ſuam Eccleſiam probandum.

Pag. 2. nota 4. Sed Eccleſia Romana eſt Eccleſia contra quam inferorum portæ prævalere non poſſunt.

Pag. 3. nota 5. Sed Eccleſia Romana talis eſt.

Pag. 4. nota 6. Sed Eccleſia Romana talis eſt.

Pag. 5. nota 7. Sed Eccleſia Romana talis eſt.

Pag. 6. nota 8. Mentiri non eſt meum.

Pag. 6. nota 9. An non Eccleſia Reformata Papiſtas quotidie in concionibus ſuis calumniis petunt?

Pag. 6. nota 10. Deus bone! quoties citantur Patres in hoc libello?

Pag. 7. nota 11. Authori antiquitas probatur ad oſtentationem non ad uſum.

Pag. 7 nota 12. Plura credit Eccleſia Romana quàm reformata.

Pag. 8. nota 13. Syllogiſmus iſte ſicut & ſequens fruſtra eſt.

Pag. 8. nota 14. Eccleſiæ Papiſticæ caput eſt Chriſtus.

Pag. 9. nota 15. Vbi eſt antiquitas? Vbi Patres?

Pag.

Pag. 19. nota 16. Papistæ tenent Christum esse caput principale, Petrum, & ἀκολȣθῶς ejus successorem caput subordinatum. Itaque hic author ignarus est Doctrinæ Papisti æ.

Pag. 26. nota 17. Sola hic tyrannica Dominatio interdicitur ut indicat Græc: κατακυριεύοντες. Itaque hic locus nihil probat.

Pag. 27. nota 18. Hîc Author blaterat ad libidinem ut solet.

Pag. 27. nota 19. Hic locus non facit ad rem.

Pag. 29. nota 20. Hic locus ostendit authorem esse imperitum Græcæ Linguæ. Nam κείμενον Græcorum aliud docet.

Pag. 31. nota 21. Tu docebis Iesuitas ϗ κόρχορος ἐν λεχάνοις.

Pag. 31. nota 22. Huic suæ objectioni non respondere potest.

Pag. 32. nota 23. Paulus non hic meminit Episcoporum, Diaconorum, Sacerdotum. Itaque Paulus non omnes functiones attingit. Præterea D. Bernardus Papatum vocat Apostolatum, ideoque Papa sub nomine Apostoli intelligi potest.

Pag. 35. nota 24. Ecclesiam Primitivam esse Aristocraticam quando probaveris, te Apostolum aut Euangelistam esse putavero.

Pag. 37. nota 25. Dic Ecclesiæ, id est, Ecclesiæ summis Pastoribus, ut exponit Chrysostomus, præterea nonne Christus fuit Ecclesiæ Princeps quando ista verba

verba protulerit, itaque Ecclesia fuit monarchica non aristocratica.

Pag. 37. nota 26. Vnusquisque Apostolus habuit hanc ligandi, solvendique potestatem. Nullusque erit qui hanc negaverit nisi sit ἄνθρ aut ὄν.

Pag. 37. nota 27. At Matth. 16. Soli Petro dedit τὰς κλεῖς τ βασιλείας τ̃ οὐρανῶν, &c.

Pag. 38. nota 28. Nihil textu isto elici potest contra monarchicam dominationem.

Pag. 39. nota 29. Cardana subtilitas non viderit in hoc textu ἰσότητα potestatis.

Pag. 39. nota 30. Nugæ nugarum! λῆρος λήρων! quasi textus iste concludat contra primatum Petri. Nihil minus.

Pag. 40. nota 31. Hoc gratis dicitur, nec probatur.

Pag. 41. nota 32. Argumentum ad miraculum ineptum. Sed & quasi Ecclesia esset corpus Mathematicum & ἀόρατον, ô ineptias nugarum!

Pag. 41. nota 33. Quod de fundamento secundario & instrumentali putidissimi mortales ineptiunt author iste cum summa sapientia sua non potest confutare.

Pag. 41. nota 34. At pagina 19. Vnus solus Christus est fundamentum Ecclesiæ.

Pag. 41. nota 35 μηδὲν ὑστερηκέναι à summis Apostolis. Vel si mavis nihil inferiorẽ videl. τῇ γνώσει ut sequenti versu exponit. Plures possunt dici summi Apostoli sed non ἁπλῶς, comparativè vero dici possunt plures

plures ſummi Apoſtoli. Non autem hîc agit Paulus de authoritate Apoſtolorum ſed de ſcientia myſteriorum Dei.

Pag. 42. nota 36. Huic reſponſioni Pontificiorum non ſatisfacit author.

Pag. 42. nota 37. Nihil minus feci: vel οὐδὲν ὑστέρησα. Tentus idem plane eſt cum præcedente; ideo author non videtur intelligere textum.

Pag. 43. nota 38. Hîc acutius cernit quam aquila aut ſerpens Epidaurius.

Pag. 43. nota 39. Hoc loco probatur Petri principatus; nam Chriſti vicem ſupplet, dum miſſus ſit ad πρόβατα ἀπολωλότα τῦ οἴκυ Ισραήλ, Matth. 15. 24.

Pag. 43. nota 40. Si totus terrarum orbis inter Petrum & Paulum eſſet diviſus, ubinam prædicarunt cæteri Apoſtoli? Sed hæc inſipidæ phantaſiæ φαντάσματα.

Pag. 46. nota 41. Hebraicum Cephas & græc. πετρὸς & petra idem ſunt. Hinc ſuper petram eſt idem quod ſuper Petrum.

Pag. 50. nota 42. Iohan. ult. Petro dixit, Paſce oves meas. At nullum verbum de ſucceſſore, ergo ſucceſſores non debent paſcere oves, quàm puerile argumentum?

Pag. 54. nota 43. Quare iſtis non reſponde ex authoritate veterum.

Pag. 58. nota 44. Quomodo noſti Scripturam niſi ab infido iſto teſtimonio?

Pag.

Pag. 74. nota 45. *Christus semel seipsum offerebat sacrificium cruentum.*

Pag. 75. nota 46. *Sine sanguine Iesu Christi nullam esse redemptionem omnes quotquot sunt, confitentur Papista. Quid ergo? Si hinc concludas non dari sacrificium incruentum ridiculus es & Democrito dignus.*

Pag. 75. nota 47. *Resp.* hoc *factum esse* εἰς τὴν τοῦ χρίστου ἀνάμνησιν *Luc.* 22. 19. *Nam redemptio generalis particulariter applicatur in sacrificio Altaris.*

Pag. 76. nota 48. *Eadem est oblatio, eadem victima, sed non eo modo facta.*

Pag. 78. nota 49. *Christus est in dextra Patris, ergo non in terris? Admiranda canis, sed non credenda.*

Pag. 93. nota 50. *Sacrificium altaris peculiariter est victima laudis & actionis gratiarum ideoque* κατ' ἐξοχὴν εὐχαριστία *dicitur.*

Pag. 94. nota 51. *Apostolus non loquitur proprie de sacerdotio aut de hostia, &c.*

Pag. 95. nota 52. *Christus non fuerat passus, cum ea dixerat, itaq; omnia non fuere consummata, &c. Videor author non videtur intelligere textum.*

Pag. 97. nota 53. *Hæc consequentia est* ἀπὸ τῶν μαινομένων ἐπὶ τοὺς σωφρονοῦντας. *cru-*

Pag. 98. nota 54. *Semel oblatus est sacrificium incruentum, &c.*

Pag. 98. nota 55. *Sacramentum Altaris est figura & res figurata, &c.*

Epistola

Epiſtola vernacula

RICHARDI SHORTII,

Inſcripta,

For Mr. Doctor Baſtwick of Colcheſter.

SIR I heard βόμβυς ἤχων of jour diſpleaſure, and it may be jou take diſcurteouſly, that I ſhould note ſome poore cavillations (as jou terme them) in the margen of jour booke *Elenchus Papiſticus*. Truly I confeſſe I obſerued ſome impotent arguments in the forenamed book not meaninge to oppoſe the argument of the booke, but to demonſtrate the vveake and ſick confirmations of it. And vvheras jou report that I abuſed Priſcian in a letter to jou, I can be euen vvith jou, for jou offered much indignitie to Cambdē, vvhich I can ſhevve vvhen neceſſity ſhall requier. Beſides if it pleaſe to controverſe about thoſe marginall

ginall notes (as by relation I heard) I ſhall not feare to anſvver jou. Neither doe ῥήμαθ' υἱπωοβάμονα & *fulmine adacta verba* ſtare me, thus wiſhinge jou to ſpeake and write jour pleaſure though *humaniores reddit eruditio*, ἅπαντας ἡ παιδεῖα ἡμέρους ποιεῖ. I reſt

Iour freind if jou pleaſe

Dick Short.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Cum animum ad cognoscendas hasce controversias primum appulissem, nihil mihi minus in spe vel votis erat quam in publico Sapientium consessu meas quoque meditationes dijudicandas proponere. Verumtamen cum ingresso Theatrum publicæ lucis haud defuerint studia plaususque bonorum, qui juventuti nostræ, cui laborem hunc consecravi, nonnihil inde emolumenti accessurum putabant, operæ pretium fore videbatur ea quæ jeceram muniendæ veritati fundamenta, operosiori quadam substructione attollere. Quod consilium hac potissimum tempestate, cum utilitate tum necessitate rei, quanquam aliis occupato negotiis, commendabatur. Animadvertebam enim haud unquam alias ab irata conjuratàque hostium manu, tanto conatu tantoque molimine veritatem fuisse petitam: Noveram inter mille Iesuitarum dolos juveniles animas vel erroribus infici religionis vel efferari contemptu. Videbam obluctantem inter impedimenta veritatem immani difficultatum pondere premi: quibus amoliendis quanquam decora magis & prævalida ingenia supereſſent, impetus tamen indignantis animi me, quem sæpe sui conscia revocarat imbecillitas, ad sociandas cum melioribus operas provocavit.

Misertus enim veritatis tot pressæ molibus malorum, ad sublevandam innocentis calamitatem velut ad publicum incendium, quanquam imbecillus accurri: Cui laboranti dum manus auxiliares admoveo, tres velut incubos notavi quibus veritati spiritus eliditur. Ac primo quidem famæ pondus & moles magni nominis sanctorum hominum, Apostolorum, Patriarcharum, Patrum, quos indocta Papistarum arrogantia suæ religioni prætexit authores, incubitu gravissimo premit; quibus cum incredulitas, magnum sæculi vitium, & inutilium studiorum librorumque graves & Asinis etiam iniquæ sarcinæ accesserint, haud mirum sane tantis sub oneribus fatigatam veritatem pene suffocari. Quorum aliud ipsi prurientium ingeniorum audax imposuit authoritas: Aliud supina cœlestis judicii securitas ingessit: Tertium vero venefica Iesuitarum injecit fallacia, tanto pudenda magis authoribus, quanquam pudere nesciis, quanto veteris ævi desperatæ impietatis mancipiis magis usitata.

Sic enim fæx illa Iudæorum, excellenti dignitate maximorum hominum, quos erroribus suis patrones mentietur, doctrinam Christi premebat, eamque velut Antiquitati inimicam, receptæque à sanctissimis hominibus disciplinæ contrariam invidia simul & contumelia onerabat. Hinc illæ ambitiosæ Patris Abrahami laudes: hinc affectata Mosaicæ

disciplinæ gloria in degeneri stolidèque superba gente personabant. Hinc improbæ voces & in Christum refertæ contumeliis effervescebant. Quem tu te ipsum facis? Num Abrahamo patre nostro jam pridem mortuo major es? *Hinc cæcum, cui Salvatoris ope dies illuxerat, Ioh. 9. 28. 29. procul à se velut inquinatum novitate doctoris jubent facessere;* Tu discipulus illius esto: Nos autem Mosis discipuli sumus. *O gloriam inanem & titulum mendacem! Num Pater Abrahamus, num Moses, num Prophetæ pro Iudæorum falsitate stabant in Christi veritatem? Aut hæc Iudæorum propudia, num genuini tandem Abrahami Prophetarumque filii fuere vel discipuli? minime gentium. Imo si quisquam eorum, quos defunctos parentum instar & doctorum quæsitis ostentationibus venerabantur redivivus in turbatam hanc Rempublicam rediisset, iisdem odiis, eadem rabie crudelitatis fuisset exagitatus. Ioh. 8. 39. 40. & 5. 45. 46. Matth. 23. 29. Quæ detestabilis & impia fraus contagione viciniæ Samaritanos quoque veluti pestilens aliqua lues pervaserat.*

Sic enim illa læsæ pudicitiæ mulier, Christum meliores aquas promittentem ut dicta factis haud æquaturum refutat dignitate Iacobi, cujus illa vel solum nomen refellendis Advenæ pollicitationibus rebatur sufficere. Num tu major es patre nostro Iacob, qui dedit nobis hunc puteum? *ille sanctus, ille dilectus Deo, ille tanti generis, tot sæcula perennantis author, hunc pro magnifico munere puteum Genti dedit: & tu pauper & sitibundus & recens hospes præstantioris aquæ fontem audeas polliceri? quibus otium est, promittenti credant. Quod mulierculæ Christum nescientis argumentum iisdem fraudibus est iniquitatum, quibus Papistarum religio contaminatur.* Nobis hunc puteum, *inquit mulier,* Iacobus dedit. *O mendacem superbiam! Illum ne Samaritanis, farraginibarbararum gentium Iacobus puteum dedit, quem filio suo Iosepho ejusque posteris moriturus adjudicavit? Nihil tibi Samaritana, juris est in nomen aut hæreditatem Iacobi; nec enim majoribus tuis Iacobi dono obvenit Samaria, sed variorum populorum colluvies Assyrii Regis imperium secuta, viduatas Israelitis Apostatis urbes occupavit. 2. Reg. 17. 24. Imo* Iacobus, *inquit,* noster pater. *Quid patrem mentiris Iacobum falsissima mulier, cum nec ab illo vestra descendat progenies, nec spirituali cum illo parentela devinciaris: Solos enim Iacobi filios Scriptura censet, quos eadem Religionis Sacra, idem inculpatæ vitæ tenor junxit. Psal. 24. 6. Ioh. 8. 39.* Si filii essetis Abrahæ, opera Abrahæ faceretis. *At in Iacobi tuæque gentis religione quanta diversitas? Ille Deo plenus Deumque reveritus Imaginum Idolorumque cultum non animo tantum sed & tota familia exterminaverat. Gen. 35. 2. At vestræ gentis nefandæ*

superstitio

ſuperſtitio Deos umbratiles & fictas imagines impio ritu ſibi conſecra-vit. 2. Reg. 17. 29. 30. Et ita quidem Samaritanorum plumis alienis ſuperbientium umbra magni nominis armatur reſponſio: cui nec impar arrogantia nec minor vanitate Papiſtarum religio eſt.

Miſſæ ſacrificium, *inquiunt*, Chriſtus inſtituit, illiuſque miniſterium nobis mandavit; Poteſtatem ſuam Petro vicariam tradidit, qui rebus humanis exemptis eandem jure ſucceſſionis Romanis Epiſcopis commiſit, religionis autem doctrinam diſciplinamque ab Apoſtolis accepimus, à Patribus hauſimus, ab Eccleſia noſtra imbibimus, cui errare neſciæ certitudinem in explicanda Scriptura infallibilem Deus dedit: *Et ſimulac ab Adverſario ſive doctrinam culpante, ſive mores, metus incumbit; illico reſpondent.* Tu ne major es Divo Petro? ſapientior Apoſtolis? intelligentior Patribus? qui religionem nobis ipſa jam antiquitate venerabilem tradiderunt. *O illiberalem & dignam Samaritana ignorantia ſuperbiam! vobiſne Miſſæ ſacrificium ſuamque in terris poteſtatem Chriſtus commiſit? qui peracto in cruce ſui ipſius ſacrificio victimas omnes abolevit, imperiumque ſibi à Patre datum non terrena juriſdictione, ſed arcana cœleſtique potentia moderatur? vobiſne certitudinem judicii infallibilem dedit, qui cuncta fere religionis dogmata malis errorum herbis ſuffocaſtis? Quæ fraus Papiſtarum ementitum falſumque donum umbra magni venerandique nominis ſibi vindicantium, eo me perduxit, ut Papiſtica religione Samaritanam ſuperſtitionem nihilo deteriorem credam.*

Erat enim & illis veri Dei cultus. 2. Reg. 17. 28. veneratio diſciplinæ Maſaicæ. Exech. 14. 2. Expectatio venturi Meſſiæ. Ioh. 4. 25. Sed has virtutes vel ſpecies virtutibus ſimiles, infami ſuperſtitione & cultu imaginum adeo aboleverant, ut eos Iehovam revereri *Scriptura negat, utpote qui non* faciebant ſecundum legem & præcepta quæ præceperat Iehova filiis Iacob. *2. Reg. 17. 34. ut Chriſtus ipſe ſalutis exortes pronunciaverit,* Adoratis enim, *inquit*, quod neſcitis: nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Iudæis eſt. *Erat & illic cumpleriſque Iudaicæ religionis articulis concordia; Sed eam tantis adverſus veritatem ſimultatibus & inimicitiis violabant, ut acerbiſſimorum hoſtium immanitatem & rabiem in impedienda Templi ſtructura, ſuperaverint. Ez. 4. Neh. 6. Quæ ſimulatæ religionis imitamenta, cum vitiis ingentibus & impietate Samaritana gravioribus Papiſtæ adæquaverint, non video cur illius me judicii pæniteat.*

Sed ad doloſum & Samaritanæ fraudis æmulum nocumentum revertamur, donumque titulo Sanctorum aſſertum vocemus ad partes, Miſſam ſcilicet, Papæ dominium, & infallibilitatem: *His enim quaſi fontibus*

luculenta Papiſtarum ſuperſtitio profluxit. Sicut enim putei bonitatem à dignitate donantis mulier arguebat, ita muneris ſui dignitatem ex Authoris ſanctitate Papa vindicavit. Sed uti puteum non obtigiſſe Samaritanis dono Iacobi paulo ante probavimus; Sic neque Chriſtum poteſtatem Petro, nec Petrum dediſſe Papæ probandum eſt. Qua enim ratione Petrus Chriſti vicarius in terris perhiberi poſſit, cum Chriſtus ipſe mundanum à ſe imperium abdicaverit? Et ſane quale vaticiniis antiquis Chriſti regnum proditum fuit, tale manifeſtus in carne geſſit. Aeternum ſcilicet & ſpirituale. Pſal. 89. 37. Simplex munditiis, ſine fuco, ſine phaleris & procul omni apparatu. Luc. 17. v. 20. Nec aliud in terris regi ad paupertatem, contumeliam, cruciatus & pudendam denique mortem deſtinato conveniebat imperium Ieſa. 53. v. 3. Dani. 9. 26. Zach. 9. v. 9. Chriſtus igitur cum imperii terreni, neque titulum, nec inſignia, neque juriſdictionem admiſerit, Petrus certè quem Chriſti vicarium oſtentant mundana poteſtate inſigniri non debuit.

Quis enim vicarius majorem ſuo domino poteſtatem obtineat? Imo Salvator ipſe non neſcius ambitionis humanæ, & quam facile ad arripiendas dominationes affectus ille exardeſcat, Apoſtolorum ſuorum mentes ab imperitandi cupidine, gravi interminatione compeſcuit. Matth. 20. 26. Marc. 10. 41. Luc. 22. 25. Cujus interdicti non immemor Petrus procul civilibus negotiis, procul aularum avocamentis inſigni erga leges obſervantia & in qualeſcunque Principes obſequio vitam toleravit; non intentus, ut illi quos ſibi Succeſſores negat, fabricando fulmini quod in Regis inviſi caput jaculetur, nec occupatus ſanguineis edictis quæ lymphatas Subditorum mentes Sacramenti reverentia ſolvant: Et qualem in Republica, talem in Eccleſia moderationem prætulit, nullam imperii prærogativam, nullam poteſtatis eminentiam arrogans, pari cum ſociis dignitate, pari jure vixit. 2. Cor. 12. Noverat enim ſibi non jure præcipui, ſed pari cum cæteris authoritate commiſſas fuiſſe claves regni cœlorum. Ioh. 20. 23. 21. Matth. 18. v. 18. Ideoque in litteris quas ad Eccleſiæ Paſtores & Presbyteros dedit ſibi minimos adæquat vocando ſemet συμπρεσβύτερον, 1. Pet. 5. & ἀρχιποιμένων titulum velut homine majorem ſoli Chriſto proprium facit. 1. Pet. 5. 4.

Dato tamen, quod acceptam à Chriſto Monarchiam Petrus exercuerit, quæ tandem evincet ratio, quod eandem Romano Pontifici velut hæreditariam reliquit? Non hic urgeo, quod ſapientes rectiſſimè judicant, Petrum ne quidem Romæ fuiſſe; quid enim Apoſtolo Circumciſionis Romæ negotii, Iudæis edicto Cæſarum ab urbe pulſis? ſed eſto. fuerit Romæ, & ſi quidem ita volunt, Epiſcopus. Propteream ne ſequitur Romanum Pontificem Petro ſuccedere? qualis illa tandem ſucceſſio; num in curam Apoſtolicam

Apostolicam vel Episcopalem? in Episcopalem inquiunt. Bene res habet: hac enim confessione infinitam Papæ dominationem cui vix orbis sufficit, non tantum in ordinem, sed arctiora potestatis spatia redigemus; Omnis enim Episcoporum authoritas ultra gregem curæ suæ commissum non extenditur, parique cum Presbyteris circulo decurrit. Imo rem rectè putantibus è Scripturarum testimonio manifestum est Episcopi & Presbyteri voces Synonimas esse sono quidem diversas, at significatione geminas & easdem esse: Nec magnopere curanda sunt curiosorum hominum interpretamenta, qui permixtis hisce & promiscuis vocibus diversa tamen discretaque munera significari volunt. Nam cum D. Paulus Presbyteros Ephesinos adhortatur ad seriam sui muneris executionem, his utitur incitamentis, quod illos Spiritus Sanctus constituerit Episcopos: nec enim voce tituloque tenus Episcopos ait, sed revera factos & constitutos. Unde perspicuum est quot Presbyteros tot in Ephesiorum Ecclesia fuisse Episcopos; nulla munerum, nulla potestatis, sed sola vocum & nominum diversitate. Quod respondent hodie saltem Presbyteros infra dignitatem & authoritatem Episcopalem longe subsedisse, parum me movet, utpote conscium, quod ab initio non fuit sic, nec ignarum malorum quæ rupta Episcoporum dignitates venantium modestia, velut exitiabili diluvio Terrarum orbem inundarunt. Sed ad propositum redeo.

D. Paulus scribens ad Titum 1. *v.* 5. Hujus rei gratia, *inquit*, te reliqui in Creta, ut quæ reliqua sunt corrigas & constituas oppidatim Presbyteros, sicut ego tibi mandavi, &c. *&* *v.* 7. Oportet enim Episcopum inculpatum esse; *Quæ Pauli sententia dubitationem omnem exemit affirmatæ inter Episcopum & Presbyterum paritatis. Sic hortatus Presbyteros Ephesinos. Act.* 20. *v.* 28. Attendite, *inquit*, vosipsos & totum gregem in quo Spiritus Sanctus vos constituit Episcopos ad pascendum Ecclesiam Dei; *quo testimonio planissimè liquet rem eandem variis nominibus fuisse significatam. Sic D. Petrus, quem Hierarchiæ suæ principem celebrant, compellans Presbyteros, idem velut ex ore Pauli præceptum urget*, Pascite gregem, *inquiens*, qui penes vos est ἐπισκοπῆς. *Epist.* 1. *cap.* 5. *&* *ad Philip.* 1. *Paulus salutat omnes Sanctos qui erant Philippis unà cum Episcopis. Unde non ea tantum de qua loquimur paritas. Sed in una Civitate pluralitas Episcoporum affirmatur, qui constituti κατὰ ἐκκλησίαν, ut ait D. Lucas. Actor.* 14. 23. *Sine luxu, sine fastu, sine pompa invidenda Magnatibus pascebant gregem Dei. Sed ne qua reliqua sit ambiguitatis umbra; videamus catalogum D. Pauli, in quo præcipua Ecclesiæ munera recenset: illic sane Doctores & Pastores enumerat, sed Episcoporum ne quidem mentionem facit, quem eximium ordinem, siquidem supra Presbyteros*

eminebat, nec indictum, nec inhonoratum præteriisset: Nam cum adeo curiosè distinxerit Apostolos ab Euangelistis, & Euangelistas ab ordinariis Ecclesiæ Pastoribus, ipsorumque Pastorum discreverit gradus, Episcopis certè suum ordinem assignasset, si ulla ratione à Presbyterorum gradu fuisset diversus.

Huc accedit quod idem Apostolus Presbyteros commendans Ephesiis, 1. *Tim.* 5. *Honoratissimum Presbyteris in Ecclesia gradum assignaverit, sed ipsa Pauli verba audiamus.* Qui bene præsunt Presbyteri, *inquit,* duplici honore digni habeantor, ii maximè qui laborant in Sermone & doctrina. *Quapropter absurdum & alienum à ratione fuerit, Presbyteris & Pastoribus qui laborioso suo ministerio summos honores judicio D. Pauli merentur, Episcopos anteferre: cum enim honoratissimo gradu Presbyteros locaverit, aut nullus est Episcoporum à Presbyteris distinctus ordo, vel dignitati Episcoporum injurioso silentio derogavit Paulus. Locutus enim de summis honoribus qui debentur Ecclesiæ ministris, minime putandus est, excluso Superiorum ordine in inferioris subsellii ministros omnem honorem accumulasse. Sane si dignior & superior in Ecclesia gradus Episcoporum ea tempestate fuisset, nec dignitatem ordinis siluisset, nec debitos meritis honores illi denegasset. Nec enim inquit Paulus, eos imprimis honorandos esse, qui manus imponant, aut Presbyteris imperent, sed* incumbentes Sermoni & Doctrinæ; *utpote quorum ordine nec utilitate fructuosior alius, nec dignitate excellentior est.*

Quod autem è sæculi nostri moribus argumentum pro summitate Episcoporum petitur, imbecillum est. Quanquam enim jus ordinationis, *ut hodie vivitur, sibi solis & quidem prætextu* divini Iuris *arrogaverint, illoque tumore & titulo se Presbyteris præferant, causam eorum non juvat: Quærendum enim restat cujus authoritate tantum imperii vindicaverint. Sane si neque Dei, neque Scripturarum arbitrio rem tantam sibi pro libitu adjudicaverint, inanis est illa* Iuris divini *ostentatio.*

Prodeant igitur & ordinationem sibi vel à Deo, vel Scripturis commissam esse doceant. At Dei quidem mandata si præferant, mirabor quibus illi commerciis penetraverint in Secreta Cœlorum. In Scripturis certè nihil ejuscemodi mandatum Episcopis fuisse frequentissima lectione didicimus: non quod rem tantam tamque necessariam, sine qua (ut illis commentum placet) nec Ecclesiæ salus, & successio, nec Episcoporum ordo, nec Papæ principatus contineri potest; vel contemptu vel negligentia dissimulaverint Apostoli: Sed quod illius ambitionem officii, natam in gravescentibus deterioris sæculi moribus, in aureæ suæ ætatis simplicitate ignoraverint.

Ordinationis autem, quam sibi Iure divino *deberi volunt Episcopi,*

privilegium

privilegium & authoritatem Presbyteris conceſſam fuiſſe indubitatis teſtimoniis apertiſsimum eſt. Sic D. Paulus 1. ad Timoth. 4. v. 14. Ne negligito, *inquit*, donum quod in te eſt, quod datum eſt tibi ad prophetandum, cum impoſitione manuum Presbyterii. *Vnde colligere promptum eſt, vel Presbyterorum dignitatem (ſi qua ſit inter Epiſcopum & Presbyterum diverſitas) Epiſcoporum dignitate majorem eſſe. Illis enim jus ordinandi à Deo conceſſum; his indultum fuiſſe, non reperimus: vel vocibus his Synonimis Eccleſiæ Paſtores authoritate pares, appellatione diverſos tantum ſignificari. Quibus ita conſtitutis admirari licet ineptam Papiſtarum arrogantiam, qui in Romano Epiſcopatu tam Thraſonicè gloriantur, quem ſi quadam verecundiâ Pontifici non denegemus (quanquam Antichriſtus ab optimis & doctiſsimis audiat) quid inde tamen ad infinitam illam dominationem adjuvantur? Nam ſi Romanus eſſe laborat Epiſcopus, Eccleſiæ ſimul Romanæ Paſtor & Presbyter exiſtat neceſſe eſt, cui à ſuo grege tantum otii eſſe non debet ut curet aliena, cujus authoritas anguſtis incluſa ſpatiis exteris non dominetur; Cui denique jus extra Territorium ſuum dicenti impune non pareatur.*

Huic Epiſcoporum Presbyterorumque paritati, quam è Scripturis aſſerui, Rhemenſes ipſi Act. cap. 20. v. 28. vi veritatis adacti, ſuffragantur. Quocirca intolerabilior eſt quorundam improbitas, qui cum vacuos ambitionis animos ad Chriſti Sacra conferre debuiſſent, ſuperbia correpti & inanis cupidine gloriæ, conſtitutos à Chriſto miniſtrorum ordines, coacervatis aliis ſuper alios dignitatum gradibus, perturbarunt. Quo genere hominum cum multis ante retro ſæculis Eccleſia laboraverit, haud abs re fuerit indagari undenam fuſtus ille principatuum & dominationum in mores illorum profluxerit, qui peculiari Domini ſui Chriſti mandato ad colendam humilitatem & modeſtiam obligantur. Qua in re perſcrutanda Magiſter Sententiarum Lombardus lib. 4. diſt. 24. præ reliquis mihi ſapuiſſe videtur: Sic enim de Primatibus, Archiepiſcopis & Metropolitanis Eccleſiæ Romanæ Sermonem inſtituens; Horum diſcretio, *inquit*, à gentilibus introducta videtur; qui ſuos Flamines, alios Archiflamines, alios Protoflamines appellabant. Sacerdotes enim Gentilium flamines dicebantur, &c.

Nec alia fuit Papæ Clementis in Canon. Pont. ſententia: In Civitatibus ſcilicet in quibus apud Ethnicos Flamines erant, Primates vel Patriarchæ poſiti ſunt: deinde ubi Archiflamines erant, ibi Archiepiſcopi, his omnibus prælatus eſt Pontifex Romanus. *En veneranda Hierarchiæ Papiſticæ incunabula, à gentilium enim faſtu dimanavit in Eccleſiam contagio ſuperbiæ quæ cum in tyrannidem Chriſtianis intolerandam, contumelioſam Salvatori Chriſto, Eccleſiis exitiabilem eruperit,*

perit, omni sane conatu vindicanda veritas est ab arrogantia servi dominantis, qui familiam heri ludibriis, contumeliis, suppliciis, glisscente per impunitatem audacia exagitavit.

Ad quam debellandam Lernæ belluam arma Principes, ingenium eruditi, stylum eloquentes, invalidi vota saltem & preces conferre debent, quibus gloria Domini nostri, & Reipublicæ Christianæ Salus, vel curæ, vel cordi est. Ad quod certamen accinctis ejicienda est omnis ex animo mollities; nec enim cauponari Bellum licet, in quo Dei gloria & æternitatis hæredio cernitur. Nec ullus hic est desidiæ vel ignaviæ locus, ubi cunctatione nostra & languore rabies hostium augetur & asperatur ferocia.

Sed hæc de dominatione quam mendaci Samaritanorum superbia sibi relictam à Christo Petroque prædicant, disseruisse sufficiat: Consequens est ut Missæ delirium, quam sibi traditam à Christo non minori vanitate mentiuntur, excutiamus. Sicut enim regiam Christi dignitatem Papali tyrannide dehonestarunt; ita Sacerdotale Salvatoris officium, sacrificiis suis enervant. Sed hoc agamus.

Christus cœnam illam celebrans admirabilem qua pabulo cœlesti pascebat animas Apostolorum, imperat iisdem hoc facite: Quibus illi verbis omnem insaniæ suæ molem inædificant: hoc enim mandato, dicunt, Salvator edixit ut singulis eum diebus obtectum quasi velatumque specie panis & vini victimam piacularem pro vivis & mortuis (sed in fornacula purgatoria æstuantibus) vere & realiter immolemus. Quo commento cum nullum sit Scripturis inimicius, nullum rationi rectæ repugnantius, nullum Christo contumeliosius, penes ipsos erit tam impudentis mendacii & pœna & pudor: Nos ad verba redeamus. Hoc facite; his enim imperat inquiunt, ut idem nos, quod ille fecit, faciamus. Quid tum? Num semet ipsum Christus inter cœnam immolavit? num corpus suum obtulit victimam Deo Patri? at hoc illis, qui sacrificii munus sibi verbis hisce mandatum gloriantur, imprimis probandum est.

Christum sane dedisse panem Discipulis legimus, additis hisce verbis: accipite, edite, sed nihil oblatum Deo, nullos sacrificantium ritus, nullum Sacerdotalis cæremoniæ vestigium reperimus. Nulla hic elevatio victimæ, nulla Dei adoratio. solos enim compellat Salvator Apostolos totoque cœnæ mysterio sine imagine aut umbra Sacerdotis defungitur. Quocirca cum nos idem quod ille fecit, facere jubeamur, non modo sacrificium externum, sed omnia Sacerdotalium cæremoniarum immitamenta procul ab hoc arcano salutis amovenda sunt. Sed ea quæ sequuntur, hoc facite in mei commemorationem & memoriam, penitus elidunt hoc nugamentum. Quis enim tam male sanus, ut credat Christum se sibi

& in

& in memoriam ſui ſacrificari voluiſſe? Fieri enim nequit ut rei memorandæ Symbolum ſit ipſa res cujus memoriæ deſtitatur: quam tamen opinionem dementiæ non effugiunt Papiſtæ, qui verbis hoc facite *datum ſibi ſacrificandi Chriſti mandatum jactitant. At hujus effati ſenſum genuinum ſi petimus, audiendus eſt D. Paulus* 1. *Corinth. cap.* 11. *v.* 25. 26. *haud paulo melior oraculorum divinorum interpres.* Similiter poſtquam cœnati ſunt, etiam poculum dedit & dixit: hoc poculum eſt teſtamentum novum in ſanguine meo: ita facite quotieſcunque bibitis ad memoriam mei. Quotieſcunque enim comeditis panem hunc & bibitis poculum hoc, mortem Domini noſtri commemoratis uſque ad adventum ejus. *Quid ergo? Num hic ſacrificium Apoſtolus mandatum affirmat? nihil minus: ſed nos edere panem & bibere vinum ait ad prædicandam & celebrandam optimi Salvatoris mortem, quæ tanta nos fœlicitate beavit.*

At dato, faciendi *verbo* ſacrificandi *ſignificationem includi, tamen evincam neque victimam in Miſſa nec ſacrificium eſſe, quæ calicis uſum populo & bibendi ſanguinis copiam negat, cum tamen in Chriſti memoriam nos bibere juſſerit Apoſtolus. Verum ut hujus commentitii Sacrificii futilitas magis eluceſcat, oculos ad antiqui fœderis ſacrificia retro flectamus: illa quippe verbis adeo perſpicuis deſcripta, mandatis adeo dilucidis præcepta legimus, ut illorum de ratione vel modo ne minimum dubitari poſſit. At ſacrificium hoc novi fœderis, cui tota religio (ut illis placet) tanquam fundamento nititur, nullis uſquam præceptis mandatum, nullis informatum legibus, nuſquam ulla verborum perſpicuitate expoſitum legimus.*

Quid dicemus rem tantam à Chriſto & Apoſtolis negligenter habitam fuiſſe? Abſit ſacerrimæ cogitationis impietas. Quid ergo? Equidem cum legalium ſacrificiorum minutiſſimi quique ritus operoſam illam accuratamque diligentiam mereantur, quis hoc unicum Eccleſiæ novæ præſtantiſſimumque ſacrificium putet innominabile, niſi qui novi fœderis tabulas antiquis Patrum ænigmatis obſcuriores credat? Quid adferunt igitur Papiſtæ quo ſacrificium hoc ſuum probent? nil equidem præter illa jam toties repetita verba, hoc facite: *cujus orationis complexum cum nuſquam terrarum ſignificet* ſacrificate, *quis tandem inſanire auſit inſaniam, ut hiſce verbis ſacrificandi præceptum contineri affirmet? Ac quicquid id eſt, hoc ſaltem ab omnium bonorum fide alienum eſt, Apoſtolos in tradenda Dei voluntate diligentiſſimos, in tanti momenti negotio obmutuiſſe. D. Paulus certe cui Moyſis & Prophetarum accuratiſſima prælucebat induſtria, qui ſacrificiorum enarranda ſuſceperat artem, Epiſt. ad Hebræos, poſtquam Chriſti ſacrificium ſemel in cruce*

peractum celebraverat, omnium reliquorum usum abolitum asseveravit.

At si Christus tota subsequentium sæculorum serie quotidie debuisset à sacrificulis immolari & offerri Deo, nonne tantæ rei vel verbulo certiorem feciſſet Eccleſiam? cum toties ad ſacrificii ſpiritualis officium fideles hortatur & excitat, annon realis & externi, ſi quod fuiſſet, ſacrificii faceret mentionem? Annon Miſſæ decantatum illud & nobilitatum nomen vel ſemel delibaret? Sic mihi revera, ſic ſanis omnibus, ſed non Papiſtis videtur: Ajunt enim & Miſſæ & ſacrificii vocibus haud magno ſane incommodo abſtinuiſſe Apoſtolos, neque Baptiſmum, neque cœnam Domini Sacramentorum nominibus indigitari. Inſana ratio. Quaſi nos de vocibus & litterarum apicibus, non de re vocabulis ſignificata diſputaremus.

Equidem quodcunque piiſſimi majores noſtri nomine Sacramenti intellexerunt, idipſum Apoſtoli de Baptiſmo, cœnaque Domini diſertiſſimis docuerunt argumentis. At illud quod in Miſſæ Hiſtrionia Papiſtæ ſacrificii nomine denotant, nec à Chriſto traditum, nec Apoſtolorum monumentis relictum eſt: Non enim è voce ſed ipſo dogmate nata pernicies, Chriſti corpus, ſcilicet, offerri quotidie Deo, &c. Quod execrandæ figmentum dementiæ, nec Scripturarum authoritate, nec Apoſtolorum doctrina nixum θελοθρησκείας odium ſuppliciumque meretur. Quid igitur eſt hoc Miſſæ ſacrificium? idem ajunt quod Chriſti ſacrificium peractum in cruce. proh furor! at quomodo idem? ſi continuet enim Miſſa Chriſti ſacrificium, tum omnia (quod Salvator affirmat) nondum conſummata ſunt: ſin autem reiterat, tum Chriſti ſacrificium legalibus cedit; quæ ſententia vincit omnem impietatem. Quocirca ſi quis hoc Miſſæ ſacrificium propius fuerit intuitus, Lernam in ea malorum ſtabulari animadvertet. Hoc enim Chriſti meritum evertit, Salvatorem Sacerdotali & Mediatorio munere exuit, Idololatriam, vel gentibus pudendam inducit, cœnæ Sacramentum extinguit, & infinitæ peſtilentium errorum cohorti, venialibus peccatis, ſatisfactionibus humanis, retentioni pœnæ, purgatoriis ignibus, portum aperuit in ædem Dei.

Sed hæc ſingula malorum veſtigia premenda ſunt. At Chriſti quidem meritum quis inſufficientiæ damnari non videat, cum iteratione quotidiana illud inſtaurari ſupplerique animadverterit? Nam iterare quod ſufficit, nec juvat, nec prodeſt. Non quia non ſufficit Chriſti meritum, ſed ut applicetur, inquiunt, opus eſt ſacrificio Miſſæ & quidem incruento. Quaſi ſine ſanguine foret ulla propitiatio pro peccatis. Heb. 10. aut noſtris ipſorum judiciis alios applicandi modos Chriſtus indulſerit, quam quos ipſe in ſacris tabulis imperavit.

Iam Sacerdotale Chriſti munus abolent novis ſuis Sacerdotibus factis,

ut

ut volunt, secundum ordinem Melchisedech, Mediatorium autem officium invocatione Sanctorum Angelorumque corrumpunt. Cum enim Scriptura sublimem hanc prærogativam gloriæ soli Christo attribuit quod factus sit Sacerdos æternus secundum ordinem Melchisedech, exauthoratis cæteris Sacerdotibus solus sit constitutus Sacerdos novi Testamenti, Papistæ in societatem hujus honoris myriadas asciverunt Sacerdotum, quos respectu Christi qui primas tenet, Secundarios vocant. Sed hæc distinctio culpam non minuit.

Cum enim veteris Testamenti Sacerdotes umbras venturi Messiæ, Christus adventu suo abroleverit, quis secundariis his imaginariis Sacerdotibus in novo fœdere supererit locus? non enim Typici tantum & umbratiles illi sub lege Sacerdotes, sed quotquot humana mortalique naturæ sunt, hoc munere secluduntur postquam Christus Sacerdos æternus secundum ordinem Mechisedech semetipsum victimam obtulit pro peccatis.

Sic enim Apostolus ad Heb. 7. Et illi quidem plures facti sunt Sacerdotes quod mors prohiberet eos permanere; at iste propterea quod in æternum manet perpetuum habet Sacerdotium. *Neque satis est honorem soli Christo debitum Sacrificulis impartiri, nisi novos etiam Mediatores fabricent, qui Christi gloriam deprædentur.*

Quanquam enim proclamat Apostolus, quod unus sit Deus, unus etiam Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus. 1. *Tim. cujus Sacerdotale munus ita mediationem annexam habet, ut unum ab alio divelli non possit, ea tamen est Papistarum vecordia, ut Sanctis & Angelis partes attribuant & gloriam mediationis: quam impietatem, ut semper, obumbrant centunculo distinctionis. Christum scilicet esse Mediatorem redemptionis, at intercessionis minime. Sed illi Paulum ignorant qui 8. Rom. ad Hebræ. 7. v. 24. 25.* Christum ad dextram Dei postulare pro nobis & intercedere *testatur, D. Iohannem Epist. 1. non legerunt, qui fidelium animos conscientia peccatorum turbatos hoc solatio serenat, quod* Advocatum apud Patrem habemus Iesum Christum justum. *Et quanquam nube sacrorum testium opprimi possit hæc audacia, unius eam Pauli testimonio profligabimus, qui Colossenses monet cap. 2. v. 18.* Ne quis voluntarius moderator de illis statuat ex subjectione & cultu Angelorum. *Quibus ille verbis cultores Angelorum ut Ecclesiæ pernicioſos & bonorum conscientiis graves execratur, utpote qui caput Ecclesiæ, hoc est Iesum Christum Angelos invocando deseruisset.*

Sed Idololatriam è Missa natam impiæ matris impiissimam filiam & superstitione Gentilium detestabiliorem ut cepimus, arguamus. Gentes enim, sculptas fictasve manibus humanis Imagines ut Deum ipsum non venerabantur,

venerabantur, sed per effigiem corporalem ejus se rei signum intueri prædicabant, ad cujus cultum obligabantur. At in Missa Papistæ panem ut Deum & secundam in Trinitate personam, omni veneratione & cultu Latriæ adorant, non obliti tamen solitarum artium quibus fraudem faciunt: ajunt enim post consecrationem haud diutius panem esse. Sed hoc monstrum iisdem argumentis eliditur, quibus Angeli, Christus & Apostoli probarunt olim resurrectionem Domini: sensu, ratione, Scripturis. Venite & videte locum, &c. *Matth. 28. v. 6.* Tractate me & videte. *Luc. 24. v. 39. Sic & nos tractamus panem & videmus.* Non est hic, sed surrexit, *quæ ratio cum à Sepulchro procedat ad terram, multo magis à terra procedit ad cœlum: non est in pane, non in farina, sed in cœlis, ibique colendus: & quemadmodum Scripturarum authoritate firmabant Apostolos Angeli,* Mementote quæ locutus sit vobis, *sic & nos eorum meminisse debemus quæ per Apostolos nobis est locutus, scilicet,* eum in cœlo contineri usque ad consummationem *Act. 3. nec deponenda memoria consuetudinis & Christi & Apostolorum qui panem jam consecratum tamen panem vocavit. Sed præcipuè memineri-mus Christi mandantis ne temere credamus affirmantibus aut hic, aut illic esse Christum in terris, utpote qui gloriosa fulgens majestate,* Sedet in cœlis ad dextram Patris.

Quâ superstitione Idololatrica tandem effectum est ut totâ Sacramenti natura perierit. Nam cum omne Sacramentum constet è signo visibili quod gratiam invisibilem repræsentat, illico stabilita reali præsentia vanescit natura Sacramenti, mendaciique suspicio Scripturis impingitur, quæ consecratum panem non Christi corpus, sed panem vocat.

Nunc prodeat totus ille manipulus errorum qui militant sub signo Missæ. Et primo peccatula quæ sua natura venalia prædicant. Quâ assertione nihil scelestius aut impudentius. Quis enim in peccatis veniam nisi partam à Christo somniet, quæ Dei legem & edicta violant cœlorum? quæ pariter inquinant, sive mandata negligimus, sive exequimur vetita: Eadem enim jubentis & vetantis majestas: eadem lex: imo qui offendit in uno reus est omnium. *Quis innocentiam in hominibus fingat, qui ad amorem Dei totis animi viribus obligati, concupiscentiæ Deo reluctantis venenum & pestem secum circumferunt? nec est quod solam cupiditatem cum consensu damnatam asserant, cum etiam prima illa irritamenta malorum, primique motus nobis ingeniti, imo pigrities & ignavia tepidioris animi damnentur à Paulo Gal. 5. & Rom. 7.* Qui carne se servire fatetur legi peccati. *Quo loco non modo* cupiditatem cum consensu *ream facit peccati, sed naturæ nostræ tarditatem & ad exequenda Dei mandata cunctationem, e jusdem criminis insimulat &*

eodem

eodem puniendam supplicio: imo manifestum est, de tali cupiditate cum consensu Paulum omnino non loqui utpote diserte affirmantem, Se voluisse facere bonum & delectari lege Dei: *constat enim cupiditatem firmatam consensu voluntatis agendi benè vel malè, simul haudquaquam posse consistere.*

Sequitur illa furiosorum assertio de remissione culpæ & retentione pœnæ; verumtamen cum tam apertis Scripturæ & rationis testimoniis convicta sit, abunde refutabitur, si modo nominetur.

Sed eminent in hac turba satisfactiones humanæ, & à Satellitibus suis toto vertice supra socias attolluntur. Quasi Deus eum qui non novit peccatum pro nobis peccatum non fecerit, quasi non ille peccata nostra non pertulerit in corpore suo, quasi deleto quod adversus nos erat chirographo delicta nobis omnia non condonaverit?

Fumat in extremo tandem agmine fatuus ille purgatorii ignis inimicus sanguini Salvatoris: quem rarioribus hodie defectum alimentis & pene extinctum, non est quod magnopere formidemus; pretiosus enim Christi sanguis ab ejuscemodi terriculamentis nos redemit. Quapropter illi qui dilexit nos & lavat nos à peccatis nostris per sanguinem suum, sit gloria & potentia in sæcula, Amen. *Sic igitur Papæ potestatem regali imperio Christi repugnantem superbis illis & mendacibus* Doni *plumis exuimus: Missam quoque, Sacerdotii Salvatoris contemptricem, magnifico illo, quem arrogabat sibi Titulo, dejecimus.*

Superest ut infallibilem illam quam sibi datam in Scripturis explicandis vociferantur certitudinem, exagitemus; nusquam enim propheticum Salvatoris officium majoribus dehonestatum contumeliis reperiemus. Quicquid enim à cœlesti Doctore nostro scriptum promulgatumve fuit, vel negatum à Papistis, vel adulteratum est. Sed audiamus ipsam Dei vocem, & obstrepentes illi Papistarum latratus cum ea comparemus. Deus est (*inquit Scriptura*) qui efficit in vobis & ut velitis & ut efficiatis, pro gratuita sua benevolentia. *Phil.*2.13. *& ad Cor.*3.*v.*5. Non quod idonei simus ex nobis ipsis, ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipsis, sed quod idonei sumus ex Deo est. *Jed Pontificii libero mortalium arbitrio & voluntatem attribuunt & opus.*

Is qui manet in me, *inquit divinum Oraculum*, & in quo ego, hic fert fructum multum: nam seorsim à me nihil potestis facere. *Joh.* 15.*v.*5. *& ad Eph.*2. *v.*1. *&* 3. Nos natura esse mortuos in offensis & peccatis, esseque natura filios iræ, ut etiam reliquos. *Sed Papistæ nos Christo nondum insitos annumerant bonis, tantumque robur naturæ tribuunt ut illius vi præparare nos ad gratiam & arbitrii libertate dirigere possimus ad bonum.*

Gratia

Gratia ſervati eſtis per fidem (*inquit Spiritus Sanctus*) idque non ex nobis, Dei donum eſt, non ex operibus ne quis glorietur. *Eph.* 2. 8. 9. *& ad Tit.* 3. *v.* 5. Non ex operibus juſtis quæ fecerimus nos, ſed ex ſua miſericordia ſervavit nos, &c. *Sed Papiſtæ ſalutem noſtram partim gratiæ per fidem, partim meritis noſtris attribuunt & operibus bonis, fidemque non Deo donanti tantum ſed arbitrii efficaciæ deberi volunt.*

Vos cum feceritis (*inquit ſacra Pagina*) omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſervi inutiles ſumus, nam quod debuimus facere, hoc fecimus. *Luc.* 17. 10. *Legis igitur obſervatio vel perfectiſſima non eſt tamen ullius præmii meritoria. Sed Romanenſes indicta quaſi pugna veritati, ſupererogationis opera commenti ſunt.*

Caro concupiſcit adverſus Spiritum, (*inquit ipſa veritas*) Spiritus autem adverſus carnem: hæc autem inter ſe oppoſita ſunt, ut non quæcunque volueritis, eadem faciatis, *Gal.* 5. 17. *ſemper in hac vita lucta eſt*, Quod intelligentia carnis inimicitia adverſus Deum ſit, legi enim Dei non ſubjicitur: nam ne poteſt quidem. *Rom.* 8. 7. *Papiſtæ tamen affirmare non erubeſcunt nos tanta virtute eſſe ut implere Dei legem & quidem perfectiſſime valeamus.*

Non accepiſtis (*ait ille ſanctus Tabellio*) Spiritum ſervitutis rurſus ad metum, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis per quem clamamus Abba pater. *Rom.* 8. *v.* 15. *&* 1. *Ioh.* 4. *v.* 18. Metus non eſt in charitate, ſed adimpleta charitas foras ejicit metum: quoniam metus cruciatum habet: qui autem metuit non eſt perfectus in charitate. *Sed Papiſtæ dicunt Spiritum fidelium eſſe Spiritum timoris, omnemque ἐξηροφοείαν damnant ſuperbiæ, charitatemque timore liberam novis horrorum & cruciatuum compedibus vinciunt.*

Quiſquis credit in eum (*inquit ille dilectus Dei*) non perit, ſed habet vitam æternam. *Ioh.* 3. 16. *Sed obſtrepunt Papiſtæ credentem de ſalute nequaquam eſſe certum; Quo dogmate vix ullum pernicioſius: hinc enim colligas tutiſſimum eſſe non credere: quomodo credet enim qui de Chriſti dubitat affectu? quomodo fidem ſtabiliet qui de conſtantia & perennitate divini ambigit amoris?*

Quod ingreditur hominem (*inquit Scriptura*) non inquinat hominem. *Imo quadrageſimis comeſtæ carnes*, dicunt *Papiſtæ, peccatis edentem maculam vix ullo piaculo diluendis.*

Electionem eſſe gratuitam (*cæleſtis Magiſter docet*) quod ſi per gratiam, non jam ex operibus. *Rom.* 11. *v.* 5. 6. *Sed electionem Papiſtæ perhibent & gratia ſimul & meritis inniti.*

Miſerebor (*inquit Dominus*) cujus miſertus fuero: & commiſerebor

ſerebor quem commiſeratus fuero. & quem vult indurat. *Rom.* 9. 15. *Sed Papiſtæ ut ſervi ſacrilegi hanc Domino ſuo libertatem extorquere ſatagunt, ejuſque vindices inſimulant impietatis.*

Prohibere matrimonium & abſtinere à cibis quos Deus creavit ad participandum, doctrina Dæmoniorum eſt, *inquit cæleſte Oraculum.* 1. *Tim.* 4. *v.* 1. 3. *Sed Papiſtæ ne degenerare videantur à tali proſapia, & conjugia prohibent & cibos.*

Paupertatem deprecari *Scriptura docet Prov.* 30. 8. *Sed Papiſtæ fælicitatem in paupertate locari tradunt.*

Imagines (*inquit ipſe Deus*) ne colito. *Ex.* 20. *Sed in Papiſtarum Eccleſia nihil illo cultu frequentius.*

Scripturarum ubique perfectionem & Chriſtus & Apoſtoli prædicant, eaſque controverſiarum omnium & ambiguitatum Iudicem ſtatuunt, fideique normam tradunt: Papiſtæ verò damnatas imperfectionis Scripturas judicandi virtute & honore diſpoliant, temeratoque Chriſti prophetico munere, traditionum nugaciſſimarum acervis obruerunt Eccleſiam: Sic ut de illis merito conqueri poſſit Deus quod deſeruerint Dominum viventem & fecerint ſibi ciſternas.

Equidem cum ſub veteri fœdere graves iis pœnas Deus comminatus ſit, qui non dixerint ſecundum verbum hoc, *Ieſa.* 8. 20. *Quanto gravioribus illi ſuppliciis digni cenſendi ſunt, qui Scripturas veteres auctis novis & explicatis pro fidei norma recipere dedignantur? Sed huic querelæ juvat aliquanto diutius inſiſtere. Maximus & ſapientiſſimus Magiſter paſſim edicit, ne quid doctrinæ ſuæ* vel addat quis vel detrahat. *Deut.* 12. *Prov.* 30. *Apocal.* 22. *Quod mandatum cum prorſus jugulet Papiſtarum audaciam, diſtinctionem commenti ſunt, quâ præcepti ſeveritatem eludant. Ajunt enim additionem* corrumpentem *non* præſervantem *à Deo prohiberi. Cujus commenti futilitas à Scripturis evertitur, additiones omnes propterea prohibentibus,* ut ſervetis præcepta Iehovæ Dei veſtri. *Deut.* 4. *v.* 2. *Et ab ipſo Cajetano principe Papiſtarum refutatur, qui commentario ſuo in* 10. *Deuter.* Inhibetur, *inquit,* additio etiam prætextu cuſtodiendi mandata Dei.

Noverat enim illo prætextu nulla non febriculoſorum hominum figmenta ſubrepere in Eccleſiam Dei.

In ſecundo decalogi præcepto, omnis ab humanis ingeniis excogitata religio cultuſque prohibetur; quare cum ſuperſtitionem ſuam humanis ſcatere figmentis & imaginibus videant, inſanam aliam fabricati ſunt diſtinctionem, ajuntque non imagines illo præcepto ſed idola prohiberi: Imaginem enim eſſe figuram licitam quæ repræſentat rem quæ fuit, eſt, aut erit, aut eſſe poteſt: Idolum verò, *inquiunt,* eſt figura illicita & à

Deo

Deo vetitam, quæ repræsentat rem falsam, & quæ non potest esse. *Sed cum εἰδῶ & εἴδωλον, forma rei alicujus repræsentatrix idem apud Græcos significet, quod apud Latinos imago, quis inter hæc discrimen ullum excogituverit? Marcus Tullius certe quem utriusque linguæ facultate parem accepimus, differentiam non vidit, cujus verba è libro de Finibus haud pigebit apponere.* Imagines, quæ idola nominant, quorum incursione non solum videamur, sed cogitemus. *Sed egregie falsum est quod ajunt idolum semper esse formam repræsentatricem rei falsæ, vel quæ esse non possit. Nam vitulum aureum quem populo tumultuanti conflaverat Aaron, Stephanus μοσχοποιΐαν vocat εἴδωλον, Act. 7. Qua viri sanctissimi authoritate manifestum est quod idolum non semper repræsentet rem vel falsam vel non existentem.*

Sed hæc lis quam de vocum Synonimarum differentia movent, à cordatis facile componitur, certumque manet quod εἴδωλον, sive imago vel simulacrum est, figura mortalium artificiis fabricata, quæ sive divina lege, sive arbitrio humano rem quampiam à se diversam, repræsentat. *Quæ rerum imagines sive notæ si memoriæ, honori, doctrinæ consulant, utilitate sua non carent: nec incurrunt in reprehensionem illæ quas Moyses & Solomon Deo mandante fabricarunt: At illæ quas avidi novitatis hominum animi religiosi cultus ergò finxerunt, intolerabiles sunt, sive res existentes, ut Deum, Solem, Lunam, sive falsas, ut imaginaria illa numina Gentium, repræsentent: Imo simulachra jussu divino facta, naturam sui amittunt & in illicita transeunt simulac religioso cultu adorantur: ut in æneo Serpente, cui populus sacra faciebat, manifestum est. Audimus enim expressissimis verbis ita monentem Deum:* Ne facito tibi sculptile &c. nec incurves te illis, nec colite ea. *Quo mandato cum Idololatria Pontificiorum refutetur, distinctione sua quam adhibent, nihil juvantur.*

Nec enim hoc præcepto, de cultus religiosi subjecto proprio, sed de modo tantum agitur, qui non ab arbitrio nostro sed authoritate divina, rejectis omnibus humanis nugamentis, pendere debet. Deus autem cum sit Spiritus, Dei colendi modum spiritualem esse consentaneum est, qui Spiritu perficitur & veritate. *Joh. 4. 33. Imaginum igitur non quidem omnium sed illarum modo quæ religioni serviunt & conscientiæ, figmenta condemnata sunt. Imo per imagines hic ratione loquendi Synecdochicâ, cultus omnis ab humanis ingeniis conflatus intelligitur, quem Deus à Sacris suis indignatione maxima respuit. Quam Dei voluntatem ita ludificantur Pontificii, ut colendas imagines non affirment modo sed severissimis legibus jubeant, easque plebi tanquam prima religionis elementa proponant.*

Sic

Sic enim Concilio Niceno secundo decernitur, sess.7. Virginis Mariæ Deiparæ intemeratæ, quin etiam glorioſorum Angelorum & omnium Sanctorum imagines adorandas putamus. Qui vero non eſt ita animatus, ſed circa venerandarum imaginum adorationem laborat & dubitat, eam anathematizat ſancta & veneranda Synodus. *Et ne quid deſit ad cumulum impietatis, additur, Imagines ejuſdem eſſe cum Euangelio virtutis, & plus illarum uſu quam precationibus profici. A qua ſententia diſcedere Bellarmino fuit religio 21. cap. lib. de Imaginibus.* Imagines Chriſti, *inquit,* & Sanctorum venerandæ ſunt, non ſolum per accidens vel impropriè, ſed etiam per ſe & propriè, ita ut ipſæ terminent venerationem ut in ſe conſiderentur, & non ſolum ut vicem gerunt exemplaris. *Neque Thomæ ſanior opinio eſt, part.3. q.25. art.3.* Eandem exhibendam reverentiam imagini Chriſti ac ipſi Chriſto, &c. *Quæ ſuperſtitio ſic occalluit in animis Romanenſium, ut jam dudum in religionis articulum tranſmigraverit, quem ita ſancit Azorius Ieſuita, Tom.1. lib.9. c.6.* Conſtans eſt Theologorum ſententia, imaginem eodem honore & cultu honorari & coli, quo colitur id cujus eſt imago.

Sic igitur Imaginibus dejectis cæremonias Papiſtarum vitioſis cerebris enatas disjiciamus: nam & in illis ſi Durandum conſulimus, ſignificationes reperiemus ſacras, quibus officium cultumque pietatis erga Deum deſignant & edocent. Quæ Dei colendi ratio non minus divinæ majeſtati, quam uſus Imaginum, diſplicet. Sunt enim ipſæ cæremoniæ, quædam imagines & ſimilitudines, quas puriſſimus ille Spiritus odit & execratur. Sic enim apud Matth.15.9. Fruſtra Deum colunt, *inquit,* docentes doctrinas quæ ſunt mandata hominum. *Sic apud Ieremiam cultui iraſcitur. cap. 7. 31.* quem non præceperat nec ſubierat in animum ejus, *& graviſſimis eum ſuppliciis punit. Quicquid enim in cultu ſuo Deus non imperat, & cælo inviſum eſt & authoribus noxium. Sic varii Gentium cultus quos placandis ſuis numinibus invenerant,* Abominatio ſunt coram Deo. *Deut.12.17. Nec affirmare Paulus dubitavit ejuſcemodi cultu divinam iram in gentes exarſiſſe. Rom. 1. Sane durante veteri fœdere, cum umbrarum figurarumque veluti rudimentis populum Iſraeliticum Deus educabat, ne minimum in divino cultu momentum recipi voluit, quod non ipſe ſtabiliiſſet. Exod.25.9. &c.*

Quocirca diſſipata jam umbrarum nube, in media ſerenitate effulgentis juſtitiæ, cæremoniis ab homine profectis Dei cultum polluere, ſummæ improbitatis eſt. Quid enim noſtrorum ingeniorum indulgebimus proterviæ cum cæleſtem nacti ſumus Doctorem, qui nos deducet

in omnem veritatem? *Christus Ecclesiæ suæ Doctor & Propheta, Matth.23.9.10. & Iacob.4.12. Cum dictis scriptisque populum suum abundè erudierit, omniaque docuerit officia quæ pertinent ad statum suæ Divinitatis. 1.Timoth.3. 15. 16. Magnam illi Prophetico muneri contumeliam inurunt, qui Doctores alios, aliam celebrandæ religionis rationem quæritant: opinentur enim necesse est, multa Scripturis ad perfectionem, multa Christo defuisse ad diligentiam instruendi: quæ neque pervicacior opinio, nec insignior impudentia est.*

Hoc argumento Servator ipse purificationem Phariſæorum, ut hominis commentum, damnat, quod interiori sua significatione pietatem aliquam edoceret.

Abeant igitur importuni clamatores illi & religionis sibi veritatem errorum immunem à Deo datam esse gloriari desinant, cum imaginum & cæremoniarum superstitioso cultu non Christum modo Doctorem Ecclesiæ dehonestaverint, sed universum Christianæ disciplinæ corpus veluti lue quadam & pestilentia hæresium corruperint.

Quod autem ab Ecclesia se doctrinam suam disciplinamque hausisse tantopere triumphant, oppido, quam sunt in illa ostentatione inepti & frivoli? Si quid enim in religione Deique cultu sua sponte sancit Ecclesia, non consulta oraculi divini authoritate, vanum est nec fidelibus audiendum.

Si quid in ritibus & cæremoniis præscribet, quod à Dei præceptis regulisque divertit, inter impia vel prophana censetur. *Neminī quippe potestatem absolutam & omni exceptione majorem Deus dedit, ut in cultu divino quodlibet pro sua libidine statuat. 2. Cor.1. 24. & 2. Cor.10.8. & 13. v.8.10. Sed regulas & leges sacrosanctas nobis majestas dedit, quarum sententiam & tenorem in cæremoniis observemus: earum vero compendium & summa est,* Vt ædificationi Ecclesiæ serviant & decori rerum, *si qui verò ritus ab his dissentiant; angue pejus vitandi sunt. Iubet enim Spiritus sanctus ut in adiaphoris illa moderatione utamur & prudentia,* ne ponatur offendiculum fratri. *Rom. 14. 13. &c. Imo res medias exitiabiles fieri docet, quoties illarum usus temerarius infirmis nocet. Rom.14. v.20.*

Si quis objiciat, nos ipsos pertinaci cæremoniarum Papalium contemptu, Papistis offendiculum posuisse quo minus se nostris Ecclesiis associent, respondendum puto Apostoli verbis: Vnusquisque nostrum proximo suo placet in bonis rebus ad ædificationem. *At cum illa quæ Romanenses institores populo venditant, vel absurda sint, vel impia, nec connivere sine flagitio, nec illis assentiri sine sacrilegio possumus. Cum enim cœlestis magistri dictata nobis præsto sint, Doctores humanos*

humanos impiorum dogmatum assertores meritissimis odiis prosequimur.

Futilis igitur est Ecclesiæ ostentatio, cui præter Scripturas aut supra sapere, vel quicquam ab iis alienum in cultu divino tradere nefas est. His enim cancellis Ecclesiæ potestatem Paulus obsepsit; παντὰ πρὸς οἰκοδομὴν γενέσθω; *extra quos si vel minimum evagetur, suis ipsa erroribus relinquenda est.*

Similis enim est Ecclesia lucernæ quæ pro modulo lucet illius alimenti quod à Patrefamilias infunditur. Authoritatem à se nullam habet, at delegatam à Christo potestatem & prudenter & modeste, quamdiu sana est, exequitur.

Nec ignoro quantum sibi licentiæ permiserint Romanenses ex illo D. Pauli mandato quo jubet omnia peragi, εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν. *Quicquid enim ventosorum ingeniorum proterviæ libitum fuerit, ab hac quasi regula natum, ad eandem refertur. Sed in eo loco quem suæ stabiliendæ tyrannidi nequiter accommodant, parum præsidii est huic sacrilegæ audaciæ. Quid enim? Num ex observantia decori, quam requirit Apostolus, etiam licentia emerget fingendi quidlibet? Num tyrannica quoque condendi statuti rabies quod intolerabili jugo conscientias premet? Deus meliora.*

Licet ergo Paulus & εὐσχημοσύνης *&* τάξιος *judicium Ecclesiæ mandaverit, mysticarum tamen libertatem cæremoniarum, & quæ penitiori sua significatione pietatis officia docent, minimè concessit. Cum enim omnis Ecclesiæ libertas in negotio divini cultus, ordine tantum & decoro occupetur, consequens est & Deo simul & Scripturis impudenter illudi ab illis qui libertatem hanc ad res majores & supra nos collocatas extendunt. Hoc quippe certe probatum est, Christum Ecclesiæ Doctorem scriptis & signatis tabulis abunde nobis exposuisse divinam voluntatem, nec ullis insuper egere cæremoniis quæ secreta nos virtute erudiant: nec minus illud in confesso fuerit; ordinem quippe non in institutione, vel usu rerum novarum, sed in recta tantum rerum antea institutarum collocatione versari: docet hoc ipsa vocis notatio quæ cum Græco tum Latino idiomate fluxit à militum* τάξι *quibus in acie digestis* ὅρον δίδωσι *Tribunus.*

Sic inter gentes Tullius, eadem vis ordinis videtur & collocationis. *Sic inter Christianos Augustinus;* ordo est recta rerum suis locis dispositio. *Sic optimus interpres sui Paulus, ordinem confusioni opponit.* 1. *Cor.* 14. *Nihil igitur Apostoli mandato præter sedatam, concinneque digestam rerum tractationem in Ecclesia præcipitur, ut pro ratione temporis & loci, singulis suis ministeriis vacent. huc tota res*

 redit:

redit: omnem Ecclesiæ libertatem in moderato regimine & à Scripturis legem accipiente versari: cæterum licentiam illam quam Papistæ spirant, illicitam, impiam & execrandam esse.

Sic igitur ostentatione depressa, quæ figmenta sua velut Ecclesiæ donaria magnifice extollit, refutanda superest calumnia quæ nos ut Patrum & antiquitatis contemptores allatrat; Immeritos jane: multum enim reverentiæ, plurimum venerationis maximis illis in Ecclesia viris deferimus, qui labore indefesso, industria incomparabili, pietate nobis imitanda illustrarunt & auxerunt regnum Dei. illos multa vidisse, exposuisse, posteris reliquisse confitemur, & eorum auxiliis grati fruimur, dum Bellarminus in multa illorum dogmata furenter incurrit, dum totæ Scholæ unum Aquinatem Thomam, universæ Patrum classi præponunt, dum Indicibus expurgatoriis Concilia succum omnem & sanguinem veritatis è libris eorum detrahunt. Non tamen ita juramus in eorum verba, ut ab iis discedere non audeamus, si quando à divini codicis veritate quam ipsi scriptis suis & legem & regulam posuere, digrediuntur: Securi conviciorum quæ vomunt interim in nos Papistæ, quasi sapientiam præferamus Patribus majorem, & superciliis nostris moderemur omnem Theologiæ veritatem. Fruantur sua maledicendi insania; conviciorum campos iis ultrò relinquimus. Si quæ sunt in Papistica superstitione maculæ, à Patribus eodem luto inquinatis ad hæc sæcula transmissæ, dolemus ad memoriam simul & aspectum tam diuturnæ fœditatis. Si quæ in religione nostra vel emendatiora vel nitidiora revixerunt, sine contumelia veterum, & divinæ bonitati & fœlicitati nostræ gratulamur. Denique veritatem in omnibus suspicimus, in solis Scripturis quærimus, has enim & nobis & Patribus, eorundem errorum & ejusdem ignorantiæ natura filiis institutione alumnis, & ducem & magistrum Deus dedit.

Sed ego satis superque jam cum Samaritana Romanensium superbia; cum formidabili & Herculeis domando lacertis monstro colluctatus sum, quod non suo tantum veneno sed ignavia nostra longè latèque stragem dedit. Dum enim increduli & securi veritatis in supina divinorum negligentia judiciorum versamur, adolescit malum & in ipsis Ecclesiæ visceribus incrementum ex incuria Christianorum capit.

Plerique enim utilitatum humanarum avidi, vel ambitioni curam impendimus vel avaritiæ; rerum cælestium incuriosi, alii libidinibus & voluptatibus immersi mentes ultra terræ sordes non erigunt; neque paucorum animos offensarum & damni metus à studio veritatis avertit. Si quos autem generosior impetus ad notitiam sacrorum rapit, illorum pars maxima propriæ salutis petitioni vacat, & procul omni contentione

tione conſcientiæ ſuæ fruitur tranquillitate. Hinc fit quod cum integræ gentes ſæpe pro gloria principum in bellis ſeſe devovent, in magnis populis perpauci reperiantur, qui pro gloria Dei, pro ſalute Eccleſiæ, in pugnam ſeſe & certamen immittant. Suæ namque jam præceptæ ſalutis dulcedine deliniti, ſtudium & operam in illis officiis collocant, quæ tandem honeſtanda ſunt præmio gloriæ. Quâ φιλαυτίᾳ dum ſibi quiſque & ſuæ tantum beatitudini conſulit, Dei gloria & veritas religionis hoſtibus produntur: Cui malo graviſſimo, non leve accedit incommodum, quod cum armis invictis & in officina cælorum excuſis in Hydram hanc pugnandum foret, velut in umbratili pugna rudibus batuamus. Neglecto namque Scripturæ gladio plumbeis Scholaſticarum argutiarum telis pugnamus. Qua calamitate vix ulla nocentior.

Quot enim vivida & decora ingenia & Scripturarum uſu ad invictum robur adultura, nugacibus his fracta ſtudiis, in fumos & nebulas evanuerunt? Quas κενοφωνίας quanquam Apoſtolus ignominia notatas abeſſe juſſerit ex æde Dei 1. Timoth. 2. tanta tamen eſt ingeniorum noſtrorum protervia, ut ad vetitas illas & inexplicabiles rixas ardentiori cum deſiderio revertamur. Ita fit, ut cum infernalis hæc caligo ſpiſſiſſimis tenebris verbi divini lucem condiderit, erremus à via veritatis, & hoſtilibus inſidiis inter abrupta & devia exponamur.

Sed querelis his quanquam neceſſariis, ingratis tamen, non indulgebo diutius, Deum obteſtatus ut majoribus aliorum ingeniis, & ad efficaciorem ſuffecturis laborem, amorem ingeneret ſuæ veritatis, & in tuenda religione conſtantiam. Meus interim, ut ſpero, conatus honori divino præcipuè & peregrinantium commodis deſtinatus apud bonos profeſſione pietatis vel laudatus erit, vel excuſatus.

QVoties ſubit animum meum, ſubit autem frequenter, infælicitatis veſtræ triſtiſſima recordatio, toties ardor & impetus eundem capit, ut, pro virili mea, languentibus porrigam auxiliarem manum. Et quanquam pertinacia veſtra deterreri poteram, ne bonas horas non profuturo labore fruſtra contererem, utpote qui non neſcirem, poſt ſpretam tot diviniſſimorum hominum medicinam, opi meæ nec locum nec gratiam ſuperfuturam eſſe, tamen affectus ille quo totus in ſalutem veſtram feror, huc tandem impulit, ut ægritudinem veſtram epiſtolari alloquio levarem. Quam pietatem meam, ſi vos, ut ſoletis, ludibriis & contumeliis exagitaveritis, haudquaquam tamen, inſumpti laboris & operæ collocatæ me pœnitebit; magno quippe ſolatio futura eſt ipſius facti conſcientia: veſter autem furor & jam non dubia phreneſis gravioribus bonorum omnium judiciis damnabitur: Imo manifeſtum erit calumnias omnes quibus Eccleſiæ noſtræ ſinum impudenter conſpuiſtis, non à veritatis ullo judicio, ſed rabida mentiendi, & maledicendi libidine profectas eſſe: Quapropter alteruter eventus operam meam manet. Aut enim vos erroris & inſaniæ, ſi medelam non fueritis aſpernati, pœnitebitis; aut obſtinata pervicacia teſtatum facietis, inſanabile veſtrum maledicendi cacoëthes nec medicinam nec remedium pati poſſe.

Sed agedum, omiſſis querelis, ipſi malo quod vos exurit, à veritate levamentum quæramus: Hæc enim ſola eſt quæ calumniandi rabiem reducere poſſit ad ſanitatem. Calumniæ vero Capitales & Decumanæ, quibus Eccleſiam noſtram conſpurcare laboratis, ut video, quaſi tres ſunt: Eam ſcilicet & *Novam*, & *Hæreticam*, imo *Nullam* eſſe, nec ullam iis ſpem ſalutis relinqui qui in ea educantur. Quam virulentam calumniæ aſperginem, ſi latice veritatis diluerim, eaſque, quas falſo notas nobis impingitis, reuera vobis ineſſe probaverim, aut pudere tandem calumniarum, aut ſi frons exſanguis ruborem dedidicit, ſilere ſaltem incipietis.

Ac de *Novitatis* quidem veteri jam & exoleta calumnia ut ordiamur; Ajo Religionem nobis non novam, ſed antiquam, nec nuperis inventam Commentis, ſed à primis uſque temporibus in ætatem noſtram continuatam eſſe. Illa ſiquidem religio vetuſtior & antiquior perhiberi debet, quæ tempore prior eſt: prior autem illa cenſenda quæ primis ab initiis viguit: viguiſſe verò ab initio illa judicanda eſt, quæ Chriſto præeunte & monumentis Apoſtolorum Eccleſiæ relicta eſt. Quapropter cùm humanarum adinventionum repudiatâ novitate, ſolam Apoſtolicæ doctrinæ canitiem veneremur, inſulſam novitatis calumniam ſpernimus & ridemus. Illis enim novi ſolis viſi ſumus, qui Apoſtolicæ doctrinæ inſolentes & neſcii, cum ad Scripturæ oracula ventum eſt, in alium ſe terrarum orbem delatos putant.

Hæreſeos gravem & antiquam calumniam Apoſtolica patientia & Chriſtiano ſtomacho concoquimus. Eadem enim rabie conjurata illa in veritatem turba doctrinam Apoſtolicam adlatrabat. Secundum quam divus Paulus hac malorum intemperie, nihil commotus, *ſe ſervire Deo patrum ſuorum* profitebatur Act. 24. 14. hic modeſtiam veſtram, ſi qua reliqua eſt, appello, rogoque ne inauditam & indefenſam religionem tam atroci ſententia confodiatis. Quid enim illa tam grave commeruit, quæ ſola ſe Apoſtolorum authoritate tuetur? *Quæ nullum niſi Chriſtum agnoſcit Mediatorem,*

rem, nullum ſacrificium quo peccata expientur, præter mortem illius, admittit; nullam divinæ legis ſatisfactionem, præter ejuſdem obedientiam, inducit; nullum aliud præter Chriſti ſanguinem Purgatorium fingit, nullam denique fidei regulam præter Apoſtolorum & Prophetarum monumenta permittit? Sane, ſi qua ſanguinis ingenui gutta ſupereſt, ſi nondum pudor omnis & honeſti reverentia decocta eſt, opinor ad moderatius ſanctiuſque judicium vos reverſuros eſſe, cùm innocentiam religionis noſtræ tantis contumeliis indignam eſſe perſpexeritis.

Sed inſana reſtat & effrænis purganda calumnia *Nullitatis*: Nobis enim Eccleſiam nullam eſſe, imo Iudæorum & infidelium conciliabulis intolerabiliorem mira ferocia clamitatis. Verum ſedato convitiorum barbaro ſtrepitu, temperanter agedum & modeſtè, facta Scripturæ judicii poteſtate, crimen nobis objectum refutemus; oſtendamuſque, quandoquidem huc provocaſtis, illius culpæ vos reverà reos eſſe, cujus falsò nos per atrocem injuriam inſimulatis. Eccleſiæ vocem igitur, & quid in Scripturis illa ſignificet conſideremus. Denotat enim aliquando divinam, eorum qui Chriſto nomen dederunt, ſocietatem. Epheſ. 1. 22. 23. Eph. 5. 23. 24. quæ magnificis ubique cognomentis honoratur: ut, *Corpus Chriſti, Sponſa Chriſti, non habens maculam nec rugam & ſtabilimentum veritatis.* 1. Timoth. 3. 5. nec raro ſingulares & particulares Eccleſias in quibus è mandato præſcriptoque Dei, diſciplina, regimen & ordo ſtabilitus ſunt, quales olim fuere *Romanorum, Corinthiorum, Theſſalonicenſium.* Imo quoties indefinitè vocem Eccleſiæ proferimus, uſus invaluit, ut ſingularem aliquam & particularem intelligamus. Sic enim Apoſtolus 1. Corinth. 10. *Eſtote ſine ſcandalo Iudæis & Græcis & Eccleſiæ Dei.* Quapropter *Eccleſia* vera & viſibilis rite definiri poteſt, *cœtus & ſocietas hominum Evangelium Chriſti profitentium, in qua per miniſtros recto more vocatos, ſincera, nulliſque erroribus inquinata doctrina traditur, & ſacramenta ritu legitimo, nulliſque vitiato corruptelis adminiſtrantur.* Qua doctrinæ Sacramentorumque ſinceritate, cum Eccleſia noſtra non deſtituitur, furor eſt tituli dignitatem nobis eripere, qui rem ipſam jure quam optimo poſſidemus. Phaleras autem illas quæ ad populum jactantur, antiquitatis, magnificentiæ, ſucceſſionis, multitudinis, & faſtidire docti ſumus & contemnere, probè conſcii parum illis ad tuendum Eccleſiæ nomen profici, cum à religionis puritate deſeruntur.

Proinde ſæpè temeritatem & audaciam Eccleſiæ veſtræ (quæ doctrinæ puritatem, adulteratis inſuper Sacramentis, amiſit) admiratus ſum, dum ſemet Chriſti ſponſam & corpus, columnam & ſtabilimentum veritatis (à qua derelicta eſt) vocare non erubeſcit. Nam vera Eccleſia quam honoratis illis agnomentis Scriptura decoravit, tantum ab illa diſtat, quam vos falſo Romanam prædicatis, quantum à cœlis inferi diſſident. Quod ne ſequius interpretemini, aut ad contumeliam accipiatis, etiam atque etiam vos rogo. Nec enim calumniandi libidine vel illatas injurias ulciſcendi ſtudio, litem acuere eſt animus amaritudine verborum, ſed veritate mordaci excitatos ab errorum lethargo, monendo, hortando, increpando reducere ad ſanitatem filiorum Dei.

Vera igitur Eccleſia eſt, quæ Chriſti corpus & Sponſa columnaque veritatis ab Apoſtolo prædicatur; at ſi nullum è laudatis his attributis Eccleſiæ veſtræ convenire probaverim, haud difficulter, ut opinor, intelligetis, non maledicendi, ſed me juvandi ſtudio veritatem Eccleſiæ veſtræ denegaſſe.

Ac initio quidem probatu facile eſt, Eccleſiam veſtram *Chriſti corpus non*

esse. Corpus enim Christi caput unicum habet & aliud ab eo non agnoscit. Col. 1. 14. Rom. 12. 5. vestra autem Ecclesia bicipitis instar monstri non uno contenta, alterum sibi caput imposuit: quare non Christi corpus, sed ab illo corpore degenerans portentum judicandum est. Christus enim Ecclesiæ caput, corpori suo vitam infundit, eidem consulit, prospicit, providet, & affectis dolore membris condolet & ingemiscit. At ille Pontifex quem vos in contumeliam Christi caput erigitis, impius & detestabilis, puram Euangelii doctrinam ex qua vitam haurit Ecclesia, quantum in ipso est, è medio tollit, librum vitæ populo subripit, succum omnem & sanguinem membrorum exugit, illisque cruciandis lacerandisque studet & delectatur. Quæ cum à Christo capite prorsus aliena sint, corpus etiam quod à tam immiti brutoque capite regitur, à Christo alienum esse recte cordati judicarunt.

Corporis igitur erepto vobis attributo, furtivum *Sponsæ* titulum æqui deponite. Nam cùm in audienda Christi mariti voce, totum sponsæ officium versetur, quomodo se Christi sponsam Ecclesia vestra ventilabit, quæ neglecta mariti voce, jussis humanis & delirantium sæpe cerebrorum commentis obtemperat? Nihil hic odio, nihil calumniæ indultum est: Ipsi vos, quàm se jubenti Christo morigeram præbeat, cognoscite, judicate. Christus, Matth. 20. 25. impotentiam dominationis & imperii fastum in Ecclesia prohibens, *Scite Principes Gentium*, inquit, *in eas dominari; verùm non ita erit inter vos*. Cui mandato, referre pudor est, quàm parum Ecclesia vestra obsecundaverit; nihil enim impensioribus studiis, & improbiore conatu unquam enixa est, quàm omni genere principalis superbiæ & Monarchici fastus ad illorum similitudinem accedere, quorum maximè dissimilem esse Christus edicto suo jusserat. Sed jubentem alibi Sponsum audiamus. Ioh. 5. 39. *Vt scrutemur Scripturas, in illis enim vitam æternam contineri*. Cui mandato vestra non modo non obtemperat, sed repugnat Ecclesia; crudelibus enim edictis, Scripturarum lectione populum deterruit, & Scrutatores Divinæ sapientiæ suppliciis horrendis excruciatos necavit. Nec hoc facinore contenta, mariti verba cavillationibus eludit; nam ubi vitam & lucem contineri Christus asserit, illa tenebras & ineluctabiles obscuritates, quæ legentem erroribus implicent, exprobrat & objicit. Aliis porro mandatis ut obediat, attendite. Christus Math. 6. 9. Luc. 11. 23 *Comprecamini*, inquit, *Pater noster*, &c. & Matthæi 11. *Venite ad me omnes, qui fatigati estis & onerati, & ego faciam ut requiescatis*. Quibus cum monitis tum jussis Christi, num vestra morem unquam gessit Ecclesia? Non equidem. simulac enim opem cælestem precibus efflagitat, ad Sanctos & Angelos & nescio quos Inquilinos cæli, Christo relicto neglectoque, affectat viam; totamque gloriam quæ soli Deo per Christum parta meritissimò debetur, impia & sacrilega divisione, divis suis & sanctis impertit. Sed operæ pretium est reluctantis hujus ingenium sponsæ acerrimo Sponsi jubentis mandato experiri. *Si dixerint vobis*, inquit, Matthæi 24. 26. *Ecce in deserto est, ne egrediamini. Ecce in conclavibus est, ne credite*. Num tam serio, tam acriter vetanti, dicto tandem audiens est? Haudquaquam, suis enim moribus vivere suoque uti ingenio cupit. Igitur posthabito sponsi interdicto, non dubitat asserere Christum à Sacrificulo consecratum, in manu factoris sui, in altari, in arcula, millenisque cum sibi placuit locis esse, & versari, vero realique corpore indutum, & proinde corporeo ritu adorandum. Sed verentem audimus maritum & ingeminantem, *ne credite*. Bene quidem; Sed acclamat iterum sponsa, *credite*, nisi flammam, ferrum, crucem, in caput arcessere periturum malueritis. Hæc igitur est Ecclesiæ

vestræ

vestræ Christo reluctantis indomita & fræni impatiens inobedientia; quæ cum immane quantum ob obsequio sponsæ dissideat, haudquaquam decorum est, illius sibi nomen arrogare, cujus mores & modestiam exuit & abdicavit.

Verum nudatæ jam furtivis suis coloribus Ecclesiæ titulum *Columnæ*, cui superbè innititur, subtrahamus. Est enim hoc tertium attributum quod veræ datum in Scripturis Ecclesiæ, vestræ, hoc est, Pseudo-Romanæ attribui posse ab initio negaveram. Et ea quidem res magno molimine non egebit; si vocis ipsius vim & significationem habuerimus perspectam. Appellatur enim Ecclesia stabilimentum & columna veritatis, quia Christo nixa veritatem asserit, amplectitur, defendit, & omnem operam in eo collocat, ut firmata magis ac magis & corroborata veritas, dignitatem suam & æstimationem inter homines tueatur: Dicitur ergo Columna non veritatis ergò quæ sua se molè tenet, moveri nescia, sed hominum, qui veritatem tum demum stabiliunt & confirmant, quo magis ipsi robore veritatis muniti contra dolos, fraudes, & lubrica falsitatum obfirmantur. Cæterùm cum Ecclesia vestra nec veritatem colat, nec in ea retinenda laboret, nec in confirmanda studium ponat, nec ullam operam asserendæ tuendæque illius dignitati navet, imo contra commentis & erroribus humanis indulgeat; & delriorum graves sæpè pestes armis tueatur & vi propaget, ipsamque veritatem terrore suppliciorum è finibus suis exterminet, ab honore gloriaque tituli tam præclari, tam divini, procul arcenda est.

Quod judicium meum, ne vel irâ præceps, vel odiis acerbum videri possit, agedum, impios illos & execrandos errores ipsi mecum intuemini, quos Ecclesia vestra, modo Deum prærogativis sibi propriis exuens, mox attributis sibi disconvenientibus induens, concepit, aluit, & per omne nefas propagavit. Sic enim portentosum Pontificis caput Ecclesiæ impositum fuit, ut honos Christo proprius imminueretur. Sic propitiatoria missæ satisfactio, & quam fingitis pœnitentia sacrificio Christi derogavit. Sic ignis vester purgatorius, sanguinem Christi quo nos emaculavit, debitâ dignatione privavit. Et his quidem impiissimis Errorum Commentis Ecclesia vestra Deum honore sibi proprio dispoliavit: quod infandum Sacrilegium graviore flagitio, dum alienis exuviis ornare Deum & instruere nititur, cumulavit. Sic remissionem culpæ, retentionem pœnæ, mirabili delirio somnians, Deum, Justitiæ fontem, hominibus injustiorem finxit, qui debiti remissi solutionem flagitare verecundantur. Sic veniale peccatum comminiscens, æternam Dei majestatem violavit, cujus offensæ citra sempiternum supplicium satisfieri non potest.

Plura quidem adduci poterant, verum hæc ipsa non moderatis tantum, sed & pertinacibus ingeniis fidem facere posse videbantur, Ecclesiam vestram neque *sponsam*, neque *corpus Christi*, neque *columnam veritatis esse*, sed temulentam illam meretricem, quæ poculo fornicationum suarum reges terræ inebriavit: lutulentam illam suem, quæ tot annos in impietatis suæ spurcitie volutata, immundo scelerum contactu mundum inquinavit: imo pecus improbissimum, & belluam illam purpuratam, quam homines in ventrem proni, libidinum mancipia colunt, & odorant; cujus immanitatem bestiæ; sicuti pii justis odiis execrantur, ita Deum votis assiduis fatigant, ut errorum caligine discussa, impietate domita, Tyrannide sublata, formosa Christi sponsa, passim inter homines amore, fide, reverentia imbutos, in decus antiquum splendoremque pristinum restituatur.

Quem pietatis affectum ut pro mea quoque virili promoverem, orare vos hortarique suscepi, ut exuta pertinacia, depositoque rerum sacrarum contemptu, seriò tandem de salute animarum vestrarum cogitetis; quam in impia, falsa, novaque Ecclesia, (cujusmodi vestram esse non nescitis) inveniri posse certè vereque negâstis. Iterum igitur atque iterum oro vos, moneo, & obtestor, ut mariti vocem hortantis sponsam reverenter audiatis: Clamat enim alta voce benignus Salvator Apocal. 18. 4. *Exite è Babylone Populemi, ne participes sitis peccatorum ejus, & è plagis ejus accipiatis.* Quocirca clamantem & exire jubentem Christum sequimini, clausaque impietatis & impudentiæ Schola, ad *Catholicam*, *Apostolicam*, vereque *Romanam Ecclesiam* confugite: sic enim requiem animis vestris, gaudium Angelis, Deo gloriam adferetis in æternum.

ELEN-

ELENCHVS RELIGIONIS PAPISTICÆ:

In quo probatur neque Apostolicam, *neque* Catholicam, *imo neque* Romanam *esse.*

AGGRESSVRIS Ecclesiæ Reformatæ defensionem contra calumnias Pseudo-Catholicorum, apprime necessarium visum est, ab Ecclesiæ nomine principium facere subsecutæ disputationis. Nam cum Papistæ veram Catholicam & Romanam ad se rapiant Ecclesiam, eandemque nos in partes nostras adjuti à veritate retrahamus, magnum erit ad intelligentiam rei controversæ operæ pretium, Ecclesiæ vocem & quid illa significet habere perspectum: (1) In Scripturis igitur Ecclesiæ voce denotantur, vel electi verè fideles, qui spirituali coagmentatione mysticum constituunt Christi corpus; vel veræ fidei saltem Professores, qui beneficio vocationis externæ dicto Salvatori Sacramento, ad illius signa convenere. Censebitur igitur humanoque divinoque judicio, vera Ecclesia, quæ fidem incorruptam veramque profitetur.

2. Ex fide enim dijudicatur Ecclesia, non autem ex Ecclesia fides, sicut à cæsti Doctore nostro sumus instituti. Sed tempus est, ut in ipso exordio veritatem Ecclesiæ Reformatæ ipsius oraculo veritatis stabiliamus.

Quoniam tu Richarde Shorti, modo è vepretis prorepens nitedula, librum meum notarum tuarum morsiunculis cepisti arrodere, putavi esse officii mei illam tibi dentium pruriginem tollere; non quod eorum vulnuscula metuenda sint, sed ut studiosorum chartæ ab ejusmodi insectorum inquinamentis intactæ conserventur: Quæ res cum nec labore multo nec studiis ehixioribus indigeat, longior quoque præfatio supervacanea est: primam igitur dentis tuinotam videamus.

1. R. S. Τὄνομα ἀπὸ ἐκκλησίας *aliud etiam significat: author hic vix distinguit* ἀπὸ ἀπὸ συναγωγῆς.

I. B. Acturus de vera Dei Ecclesia, quatenus instituti operis ratio poscebat, nolui ambitiosius evagari extra limites propositæ disputationis omnesque vocis illius differentias, quæ passim apud authores occurrunt, colligere; sed eas demum significationes adferre quæ sacris in litteris reperiuntur. Vbi nomine Ecclesiæ passim indigitantur vel universitas electorum. 1. Timoth. 3. *Ecclesia est domus Dei, columna & stabilimentum veritatis.* Ephes. 5. *Ecclesia*

non

non habens maculam aut rugam. & cap. 1. *Ecclesia est corpus Christi,* vel singulares illi cœtus qui fidem incorruptam profitentur. 1. Cor. 10. *Estote sine scandalo Iudæis, Græcis & Ecclesiæ Dei.* Cæterum hanc notam quia stultam lædendi voluntatem defectam viribus prodit non censuræ, sed sibilo sapientium relinquo. Sequitur altera.

2. R. S. *Vbi Cælestis Rabbi hæc verba habet?*

I. B. Quia tu non magnoperè exercitatus in sacris; verborum meorum cum Scripturæ verbis analogiam non percipis, haud sane mirum est quod quæstione importuna inscitiam tuam θεατρίζεις. Sed hactenus nugarum tuarum velut ἐνδόσιμον est; nunc in ipsum irruis argumentum, solito tibi more, hoc est impudenti.

3. *Illa Ecclesia contra quam Inferorum portæ prævalere nequeunt, est vera Ecclesia.*

4. *Sed Ecclesia Reformata est Ecclesia contra quam Inferorum portæ prævalere non possunt:*

Igitur Ecclesia Reformata est vera Ecclesia.

Major ab ore cælestis Magistri profecta ipsa se tuetur, neque fieri potest ut ullius inficiatione sua tollatur Ecclesiæ essentia.

Minori probandæ propositioni sufficit hoc argumentum.

3. R. S. *Hoc argumentum ineptum est, quo etiam uti liceat Pontificiorum Magistris ad suam Ecclesiam probandum.*

I. B. Non me pudet insimulari ineptiæ quam hausi è fonte omnis sapientiæ: cum enim maximus Magister hoc argumento utatur, excusata est discipuli tenuitas eodem nitentis. Sed tui me miseret Richarde qui cœcus odio, Deum vulneras dum homini minaris. Eodem argumento, inquis, Pontificii suæ Ecclesiæ patrocinabuntur. Quasi hoc veteratori diabolo novum sit abuti Scriptura? Videamus tamen quam feliciter tu labantem Pontificiorum causam hoc argumento fulciveris.

4. R. S. *Sed Ecclesia Romana est Ecclesia, contra quam Inferorum portæ, &c.*

I. B. Præclare vindex Romæ ruentis! parum dicis, & probas nihil. Sed id zelo tuo quo percitus es, condonemus. At hoc crassæ & affectatæ ignorantiæ est, quod Inferorum portas contra Romanam Ecclesiam prævaluisse negas. Nostine vim & significatum vocis *prævalendi?* Fuitne tibi à nugis & ineptiis tuis tantum otii, ut *Inferorum portis* quid significetur investigaveris? Non putem: ergo vel serus disce. *prævalet* cui jubenti & imperanti paretur. *Inferorum portæ sunt errores & falsæ doctrinæ* quas machinator doli diabolus in genus humanum spargit. Iam tecum, sed sedatus, cogita num Inferorum portæ contra Romanam Ecclesiam non prævaluerint. Ecclesiæ Romanæ regimen & disciplinam, mox doctrinam aspice: Nonne Dei mandatis insuper habitis diaboli jussis utrobique morem gerit? Audi Christum Regales titulos in Ecclesia damnantem, *non ita erit inter vos.* Vide Romanam Ecclesiam pro Regali & Monarchico fastigio non stilo tantum sed gladio pugnantem. Nec juverit illud κρησφύγετον, quo tuæ sectæ prædes utuntur; non vetari à Christo in Ecclesia Regem, sed Regnum Imperio civili dissimile præcipi. Esto. Sed Papæ tui Regnum quomodo dissidet à Regno civili nisi quod immitiori tyrannide subditos suos premit? Interim luce clarius est, à Christo damnari dominationem unius qualem sibi arrogat tuus Iupiter Latialis: ad hanc enim tum temporis Apostoli male sanis studiis aspirabant: hanc Iacobus & Iohannes suffragante ipsis ambitione matris, callidius prensabant: hanc Christus ut iniquam Ecclesiæ, & solis civium imperiis aptam, petenti-

bus

bus negat. Nunc audi Christum, Matth. 15. v. 9. *Doctrinas & mandata hominum à cultu suo abdicantem:* vide Romanam Ecclesiam commentis hominum plenam & circumfluentem. *Veri adoratores*, inquit Christus Iohan. 4. v. 23. 24. *adorabunt Patrem spiritu & veritate.* At vestra Synagoge ad Imagines & Idola precantium vota rejicit. *Dominum Deum tuum adorabis & ei soli servies*, inquit Dominus Matth. 4. v. 10. At vestra nequities etiam Sanctis & Angelis hunc honorem communicat. Neque juverit vos illa Latriæ & Douliæ jam dudum exposita distinctio. Nihil enim præter civilem reverentiam vel Sanctis vel Angelis debetur. *Scrutamini Scripturas* inquit Salvator. Ioh. 5. v. 39. *In iis enim vita æterna continetur.* Sed eas cerbereis edictis amovet ab oculis & manibus hominum Romana rebellio. *Prohibere matrimonium & abstinere à cibis quos Deus creavit doctrina est damoniorum*, inquit S. Spiritus, 1. Tim. cap. 4. v. 1. 3. At apud vos conjugalis pudicitia, sacrum ordinem incestat, & carnium esus animam scelere polluit. Quare cum apud Romanam Ecclesiam Christi præceptis, validiora sint diaboli mandata, in confesso est quod Inferorum portæ contra eam prævaluerint, quæ diabolo imperanti obsequium suum accommodavit. Sed jam secundi syllogismi minorem pari livore & infirmitate petis.

Illa Ecclesia quæ fundata est supra confessionem aut fundamentum Petri, contra illam Inferorum portæ prævalere non possunt.

5. *Sed Ecclesia Reformata talis est.*

Ergo contra Ecclesiam Reformatam Inferorum portæ prævalere nequeunt.

Majoris haud dubiè veritatem Pontificii propugnant.

Minori fidem facere proclive est.

Illa Ecclesia, quæ Christum Iesum agnoscit esse filium æterni viventis Dei, & credit in eum, illa fundata est supra fundamentum & confessionem Petri.

6. *Sed Ecclesia Reformata talis est.*

Ergo fundata est supra fundamentum Petri.

5. R. S. *Sed Ecclesia Romana talis est.*

I. B. Non ratio solum sed vestra ipsorum confessio jam dudum jugulavit hanc audaciam. Fundamentum enim Petri Christus est, *præter quod nec aliud poni*, & à quo deflecti sine ruina domus inædificatæ non potest. Ejusdem enim veritatis est, super uno Christo strui Ecclesiam, & unius Christi meritis restaurari salutem. Quare si vestem & ornatum metaphoræ detrahas aperta sententia est Ecclesiam vi fidei firmari in Christo, contraque diabolicos dolos & impetus, stabilem immotam, & secure victricem esse. Rupes enim illa & Petra Christus est; in quam qui fide semet advolvunt nunquam amovebuntur. Hæc enim ædificatio & structura fidei tribuitur: unde D Paulus eam vocat οἰκοδομίαν Θεῦ τῇ πίστει. 1. Timoth. 1. v. 4. & fideles τῇ πίστει τεθεμελιωμένοι ἑδραῖοι appellantur. Colloss. 1. 23. His positis Richarde, quid dicis? Romana Ecclesia fundatane est supra fundamentum Petri? Ais sane. Atqui hoc fundamentum est solus Christus. Quid igitur Pontifici futurum est quem tu fundamentum secundarium vocas? Num duobus fundamentis superstrui potest una domus? Num in duos simul Reges dispergi potest subditorum fides? Qui Cæsari dixere Sacramentum, Regem alium non agnoscunt. Qui in verba Pontificis jurarunt ejurarunt Christum. Cæterum intelligisne

intelligisne quid sit id quod supra Christum fundari Scriptura vocat? Aude non nescire rem salutarem. *Credere in Christum, illum unum Redemptorem Salvatoremque imperterrita & invicta fiducia amplecti: illi uni incumbere: illo uno niti; hoc demum est fundari supra Christum.* At hæc sententia quam Scripturæ celebrant, Romanenses tui damnant arrogantiæ, apud quos nihil putidius quam certitudinem salutis & τὸ ἀμεταμέλητον gratiæ profiteri. Quare dum temerè & pro breviculo ingenii tui modulo, Ecclesiæ Romanæ vindicas, quod ipsa detestatur, jurandi studio in noxiam abusus es. Sed jam tertii syllogismi minor sub cultro est.

6. R. S. *Sed Ecclesia Romana talis est.*

I. B. Si dicere satis esset ad victoriam, nemo te plures triumphos ageret. Sed in probando ubi opus & labor est, putidè deficis. Iam Richarde ut id pace tua quæram, intelligisne quid sit *Christum Iesum agnoscere, & in Christum credere?* Ardua res sane & Romanensibus tuis incognita, qui Christum verbis profitentur, factis negant. *Nam credere in Iesum filium Dei, nihil est aliud quam illum habere & colere unicum perfectumque Salvatorem omnemque animi fiduciam in illo solo collocare, reliquasque adulterinas hominum doctrinas, quæ servatores alios procudunt ut exitiabiles & pernicioſas fidei nostræ execrari & detestari.* A qua credendi ingenuitate quantum degeneravit Romanum conciliabulum? Vbi Maria Virgo, ubi Petrus, ubi tantus defunctorum exercitus, tot Sanctorum cohortes, Salvatorum cultu & cæremoniis coluntur: ubi operum merita ad promerendam salutem arcessuntur; ubi peccati culpam non pœnam a Christo solutam fuisse docetur: ubi redemptio irrita putatur, non ipsi satisfaciamus, ubi horrendis denique blasphemiis Christi merita proteruntur, & Angelorum voce promulgatum è cœlis testimonium eluditur: Quare non cum dicta sed facta intuerer recte negavi Romanenses *in Christum credere.* Quod ipsum & tu subinde intelliges, ubi ingenii brevitas in majorem scientiæ altitudinem adoleverit. Sed jam ultimi syllogismi minorem morsicas.

Major propositio sua per se luce manifesta est. confirmandæ minori sic ajo.

Illa Ecclesia quæ Iesu Christi naturas ambas agnoscit ejusdemque officia, illa Ecclesia Iesum agnoscit esse Filium æterni viventis Dei:

7. *Sed Ecclesia Reformata talis est:*

Ergo Iesum agnoscit esse Filium æterni viventis Dei.

Verum hoc in loco Papistarum virus admirari licet, qui veritatem qua cum congredi timent, eminus calumniis petunt. (8.) Versanti enim mihi in Italia, præstantes aliquot dignitate viri sæpissime retulerunt, eo provectam esse effrænatam (9.) calumniandi audaciam, infælicibus præsertim in terris, quæ vapulant sub impotenti dominatu Inquisitorum, ut coram imperita multitudine, nihil aliud in templis diri Concionatores declament, nihil aliud incautæ confitentium turbæ perfidi fratres suggerunt, quam dilapsos à vero Dei cultu Reformatos, horrenda superstitione diabolum sibi Deum facere, eumque sacris abominandis colere, Sacramenta Ecclesiæ aspernari, caput ejerare, divina humana-

que

que cuncta miſcere; bella, ſeditiones, vaſtitatem & incendia machinari: conjurare in exitium Eccleſiæ, (10.) Patres & omne decus antiquitatis abrogare; denique cœlo eſſe inviſa capita & victimas Inferorum. Et hæ quidem calumniæ tam penitus deſcenderunt in animos infirmos, ut nullus nec excuſationi neque veniæ locus apud illos nobis relictus ſit; tantumque odium noſtri cœpit eluſas mentes, ut ſe congreſſu noſtro pollui putent & conſcelerari.

Sed amota calumniandi libidine, quis Eccleſiæ Reformatæ tam ignarus eſt, qui neſciat unum verumque coli ab illa *Deum Patrem*, ſcilicet, & *Filium*, & *Spiritum Sanctum*, illamque in unicum credere *Redemptorem generis humani Ieſum Chriſtum*? Et unicam credere veramque & *Catholicam Eccleſiam*, cui caput & princeps eſt Chriſtus. In hac Eccleſia ſacroſancta ſunt illa Sacramenta quæ Chriſtus inſtituit, & uſu Apoſtoli confirmarunt.

Hæc infideles & hæreticos deteſtatur, errores expungit qui verbo Dei adverſantur, opiniones ejicit quæ veteribus Eccleſiæ ſymbolis repugnant, hæreſes odit quæ Sanctis & antiquis Conciliis jugulatæ ſunt. Hæc Eccleſia ſibi fundamentum in ſcriptis Apoſtolorum & Prophetarum jubente Scriptura, Epheſ. 2. 20. & ſuffragante (11.) antiquitate præſtruxit. Hæc neque obſtinata præfractaque pertinacia non credenda credit, nec credenda non credit, & illam hæreſeos ultra inſimulari patiemur? Sed qui calumniæ telum in nos jaculantur, Apoſtolorum Prophetarumque ſcripta, per latus alienum tranſverberant. Nam cum ab illis unguem latum non diſcedamus, fieri nequit, quin eâdem cuſpide induamur.

7. R. S. *Eccleſia Romana talis eſt.*

I. B. Eccleſia Romana Richarde pari ratione Chriſti naturæ & officia qua Dominum Iſcàriotes agnoſcit: voce ſimulantis & proditoris animo. Nonne humanam naturam negant qui proprietates eidem attribuunt divinæ proprias: & qui proprietatibus eam ſuis exuunt, ſine quibus humana natura ne quidem intellectione concipi poteſt? In Miſſæ metamorphoſin reſpice Richarde, ut tandem videas humanam Chriſti naturam negari à Romanis. Iam officia ejus non agnoſci quis tam hebes qui neſciat? Quæ regalis Chriſti poteſtas reliqua eſt ubi Papæ legibus, mandatis, nutui, voluntate paretur? Quæ Sacerdotii dignitas apud illum eſt, ubi millena Sacerdotum Melchiſedechianorum (ſcilicet) examina, ut, formicarum in cavernulis vermiculi quotidie excluduntur? Quæ venerandi illius ſacrificii ſuperſtes eſt gloria, ubi inſana quotidianarum victimarum repetitione profanatur? At Prophetici muneris quænam eſt penes Chriſtum authoritas, ubi traditionum humanarum documentis tota diſciplinæ ratio continetur? ubi ſola Papæ vox ſonat? ubi ſolus in ſchola regnat Antiſtes ignorantiæ? Quare & tuum & magiſtræ tuæ durum os miror, dum Chriſti naturas & officia quæ factis abnegatis, cum arrogantibus tamen & confidentibus verbis aſſertis? Sic igitur abluto quo

tu

tu veritatem maculaveras atramento, enitescit hæc propositio *Romanam, scilicet, Ecclesiam fraude diaboli & egressu ab Inferorum porta erroribus fœdatam, exesam, devitam esse.* Cæterum, Richarde, tanta vis est tantum jubar veritatis, ut tibi mentis oculos præstrinxerit. Nam cum Ecclesiæ nostræ veritatem impugnandam susceperis, relicto quod ceperas, ad Romanam Ecclesiam tuendam temet convertis: unde gemina infelicitate damnatus est tuus labor: nam ita misere defendis tuos ut à proditore non multum absis: & ita transilis intactam Ecclesiæ nostræ defensionem, ut facile appareat te reluctante conscientia & gratuitò malum esse. Sane si te quædam avaritia gloriæ & cupido famæ impulit ut litigando claresceres, vellem æquiorem tuis humeris elegisses provinciam: Nam in rebus divinis per ambitionem disputare pravum & impium est. In rebus autem ingenii captum supergressis insciti am & infantiam prodere, stultum & ridiculum. Sed subsequor filum notarum tuarum: ais enim.

8. R. S. pag. 6. *Mentiri non est meum.*

I. B. Mirum, Richarde, te qui operam dederis præclaris calumniæ Doctoribus, nondum abundare præceptis mentiendi. Hæc enim apud vestros scientiarum prima elementa sunt. Sed quia videri potes me per latus tuum petiisse, quasi de Pontificiorum in Italia Calumniis vel falsa vel vero majora retulerim, possem in re non necessaria testibus uti supervacuis. Quis enim in Italia peregrinus hæc non audivit? cujus aures ejuscemodi convitiis non fuerunt verberatæ? & sane hac arte Regnum Papæ stetit, cui à patefacta veritate periculum est. Nunc sæviendo calumniis in authores, igni in scripta simul odium nostri, & Dei ignorantiæ nutriuntur in populo, cui si tam impune foret nostra inspicere, quam nostris liberum & solitum vestra perlegere brevi rueret à culmine ἡ ἐπαλξεως.

9. R. S. pag. 7. *An non Ecclesia Reformata Papistas quotidie in concionibus suis calumniis petunt?*

I. B. Inclementer alicui dicere, Richarde, non est semper calumniari. Fateor insultos Papæ errores acriori interdum acceto perfundi, impietatem ejusdem & blasphemias ignitioribus aliquando refutationibus exuri. Sed hæc à columniis longe absunt. Exigit enim ipsa veritas ut scelerum & flagitiorum gravitatem pondere verborum adæquemus. Quis enim & lentè & frigidè illos increpet, qui in furandis Dei honore & hominum salute quæstuosum exercent latrocinium? qui moribus tam fœdis & maculosis genus humanum inquinant, ut ipsi Turcæ ab eo fonte in cives suos omnia ferè flagitia & dedecora profluxisse clament? In his castigandis acerbè quidem nonnulli, sed proh dolor! citra calumniam invehuntur. Iam ab aliis imo à sectæ tuæ hominibus quære, qui Italiam perambularunt, quid de Roma sentiant. Multa proculdubio intelliges quæ longè debeant abesse ab arce & domicilio (ut vobis placet) Christianæ religionis. Hoc mihi affirmare licet, quamplures è corruptissimis urbis moribus odium & contemptum Religionis induisse: cum enim ea Pontificem & tot magna Ecclesiæ nomina ad prætextum flagitii & libidinis, & in pudendæ nundinationis aucupium abuti viderent, impunè sacra sibi negligi posse putabant, quæ ab ipsis antistitibus adeò licenter contemnerentur.

10. R. S. pag. 7. *Deus bone! quoties citantur Patres in hoc libello?*

I. B. Patribus, Richarde, ob pietatem singularem & egregium promovendæ Religionis studium, optimè meritis plurimum defero: illorum tamen authoritatem Scripturarum dignitati non adæquo: quæ cum nobis relictæ sint ut norma & regula veritatis, quid opus est ad alterius cujusquam arbitrium confugere? Nam si sacris consonat Patrum sententia Scripturarum ipsarum

ipsarum ergo est: sin discrepet, omnis mali & adversanda vox erit. Cum autem in hac lite non humanis testimoniis sed divinis nitendum est, hominum authoritatem ideò non urgeo ut Dei nos alloquentis religiosius observetur oratio. Sed ne sæpius hæc de Patrum authoritate nos collidat dissentio: dicam tibi Richarde quod ex Iure Canonico, hoc est, ore Pontificis didici. *Patrum quantalibet doctrina & sanctitate pollentium scripta, ex canonicu & sacris considerandа, nec cum credendi necessitate sed cum judicandi libertate legenda sunt.* Nec aliud Baronii de Patribus judicium est, cujus Annales vide Ann. 34. §. 213. & Ann. 44. §. 42. Neque Bellarmini minor libertas. Lib. 2. de Concil. cap. 12. *Sacra scripta Patrum non sunt regulæ, nec habent authoritatem obligandi.*

11. R. S. pag. 9. *Authori antiquitas probatur ad ostentationem, non ad usum.*

I. B. Antiquitatis nomen & decus veneror: sed illius armis pugnare parco, quia nos invictioribus Scripturæ instruunt. Si quis tamen & Patrum telis uratur non damno conatum, cum & Poëtarum sententiis & dictis Philosophorum usi fuerint Apostoli, ut suo ipsius gladio humana superbia jugularetur. Hoc fine neque nobis absurdum est vos furtivis antiquitatis plumis glorioso, ipsa antiquitate judice, falsi simul & furti convincere. Quod quam feliciter à partium nostrarum hominibus jamdudum & sæpe præstitum fuerit, illi non nescium qui te paulo plus in Religionis controversiis sapiunt.

12. Sed oblatret eorum aliquis Reformatos plura credere quam quidem homini Christiano credenda sunt; accuset igitur Apostolos & Prophetas, quòd plus æquo fuerint in scribendo diligentes. Sic contraria morositate Reformatos ille minus credere contendit quam quidem piis expediat: objurget idem Prophetas & Apostolos, quod in scribendo fuerint præter æquum remissiores. Verum hæc utraque accusatio Scripturarum demolitur authoritatem, illarumque derogat perfectioni, quæ locum non habet in ulla re, cui vel aliquid detrahi, vel quicquam apponi potest. Nos verò sine flagitio dubitare non possumus, Apostolos à cæsti suo Doctore deductos fuisse in omnem veritatem, eosdemque Spiritus sancti plenos litteris mandasse doctrinam Euangelii, qua bonorum & fidelium mentes ad beatitudinem æternam eruduntur. Sed hujus insanæ calumniæ dedecus, & labes penes authores, vindicta penes Deum esto.

12. R. S. pag. 10. *Plura credit Ecclesia Romana quam Reformata.*

I. B. Non equidem invideo vobis illam gloriam. Nam dum nos Scripturæ insistimus, certi sumus nos viam calcare quæ ducit ad cœlos: ab illa vero vos aberrantes inter abrupta & confragosa cum mille periculis conflictamini.

Verum asserta Ecclesiæ Reformatæ veritate, rerum ordo nos eò trahit, ut Pontificiam Ecclesiam, neque *Veram*, nec *Antiquam*, nec *Apostolicam*, imò neque *Romanam* quidem esse convincamus.

13. *Illa sola Ecclesia est Vera, Antiqua, Apostolica, & Romana, quæ Veram, Antiquam, Apostolicam & Romanam doctrinam retinet.*

Sed Ecclesia Pontificia nihil horum retinet.

Ergo non est Vera, Antiqua, Apostolica & Romana.

13. R. S. pag. 12. *Syllogismus iste sicut & sequens frustra est.*

I. B. Facile tibi nec in Dialecticis, neque Theologicis multum exercitato condono judicii tui fatuitatem. Cæterum dum nihil ad manum tibi fuit quo syllogismum ipsum impugnes, facile apparet Ecclesiam tuam te Patrono non recuperaturam titulos illos dignitatis quibus eam exui.

Minorem, cujus solius probandæ necessitas adest, ita tuemur.

Illa sola Ecclesia retinet Antiquam, Verum, Apostolicam, & Romanam doctrinam; quæ Scripturis, patefactaque in illis doctrinæ firmiter adhæret.

Sed Ecclesia Pontificia non illis adhæret.

Ergo Veram, Antiquam, Apostolicam & Romanam doctrinam non retinet.

Asseratur autem minori suæ veritas.

Ecclesia quæ Regium, Sacerdotale & Propheticum Christi officium, commentis & traditionibus impiis corrumpit & adulterat, non adhæret Scripturis & patefactæ in illis doctrinæ.

At Ecclesia Pontificia corrumpit & adulterat hæc officia. Ergo.

Cujus veritatem assumptionis ut stabiliamus, cum Scripturarum sanctissimis monumentis commenta illa & deliria comparabimus Papistarum quæ Regale Christi officium & spiritualis illius Monarchiæ potestatem, malis ambitionis & superbiæ mundanæ venenis corruperunt. Sacerdotale verò munus commentitiis & portentosis enervarunt in Missa sacrificiis, Propheticum autem officium fallitate dogmatum & traditionum pravitate adulterarunt. Quod stabulum purgaturo, ab Ecclesiæ Papanæ ficto illo & visibili (14.) capite, nisi fallor, incipiendum est, quia maximè sætet, quanquam divinis honoribus à clientibus suis affectum ipso Deo Christoque vel majus, vel saltem non inferius celebretur.

14. R. S. pag. 15. *Ecclesia Papistica caput est Christus.*

I. B. Hanc notam, quia subinde uberior erit differendi super hoc negotio materia, impræsentia intactam transeo.

Adeamus ergo Scripturam Ioh. 17. v. 17. Matth. 4. & indubitatis illius testimoniis, quæ nec à veritate deflectere, nec sibi repugnare possunt, veri cupidis ingeniis ostendamus, quantum capitis hujus imperium, quod in Ecclesiam sibi arrogavit, contra Scripturarum venerit & veritatem & mandatum: Sed ea res ut facilius procedat, tripartita statuetur quæstio.

1. *Num Christus ante suum è terris excessum Monarchiam in Ecclesia constituerit mundanam.*

2. *Num*

2. *Num dato nedum concesso priori, Petrum Ecclesiæ caput & principem ordinarit.*

3. *Num Petro, si fuerit ordinatus à Christo princeps tanquam in hæreditate, sic in principatu Papa succedere debeat.*

In quibus ordine pertractandis à solo Scripturarum oraculo testimonium petemus; (15.) nefas enim est ab aliis doceri velle præter eos, qui nobis à Christo præceptores dati sunt, sublata præcisaque omni expectatione aliorum Prophetarum.. Heb. 1. 2. interpositaque gravi interminatione, *Ne quis annunciet diversam doctrinam.* Paulus ad Timoth. 1. cap. 1. v. 3. Gal. 1. v. 9. *Nec supra quod scriptum est, sapiat.* 1. Cor. cap. 4 v. 6. *Cultus enim irritus est docentium doctrinas quæ sunt hominum mandata.* Matth. 15. v. 9.

15. R. S. pag. 17. *Vbi est Antiquitas? ubi Patres?*

I. B. In Scripturis Richarde, quibus nulla doctrinæ monumenta antiquiora sunt. Patres quæris? *Moysen, Prophetas, Christum, Apostolos consule,* cum quibus comparati Patres recentes, nuperi, hesterni sunt. His Doctoribus si tua nequeat hebetudo ad cælestem Sapientiam exacui frustra Patrum libris impallesces. Meministine Richarde quid Epuloni novum è mortuis nuncium flagitanti responderit Abrahamus: Nullis ipsum miraculis adjutum iri, cui suppeditatum à Prophetis auxilium non satisfaciat? Sic & ipse Christus de Moyse locutus, hominum desideria novos Doctores quærentium castigat. Ioh. 5. v. 47. *Si scriptis illius non creditis, quomodo verbis meis crederetis?* Quare & tibi Richarde reponam idem illud quo divitem confutat Sapientia: si Scripturis fidem negas, non præstabis eam Patribus. Si sacræ litteræ te non erudiant, etiam à Patribus rediturus es indoctior. Scripturarum enim lux est quæ tenebras discutit & caliganti mundo reddit diem: ad illius jubar animos attollere jussit qui lucis est author, cujus contemptum Romana Ecclesia diro sed merito tenebrarum supplicio luit: Inquit enim Salvator Apostolis, *Qui audit vos me audit, & qui spernit vos me spernit.* Nec excusat Ecclesiæ illius dementiam inanis prætextus obscuritatis: *Non enim tectum est Euangelium nisi iis qui pereunt.* 2. Cor. 4. v. 3. Sed arguit impietatem ea quam evomit calumnia *imperfectionis*, cum Scripturarum αὐταρκείαν disertissima oratione defendat Apostolus. 2. Timoth. 3. v. 16. Cæterum Richarde, si salubris consilii capax es, desine Antiquitatem & Patres crepare, qui si reviviscant non magis te Ecclesiæ dehonestamentum & ex errorum sordibus concretum pro filio agnituri sint, quam scarabeus ex equi stercore natus pro pullo equino habendus est.

Verùm tempus est ut in discutienda quæstione prima, Scripturam ad testimonium producamus. Dilectus ille cælesti magistro Discipulus Iohannes Euang. cap. 18. v. 36. Christi verba repetit, quibus ille Pilato suæ dominationis anxio, curioseque percontanti, num sibi jus regium in Iudæam assereret, respondet, *Regnum meum non est ex hoc mundo.* Quibus equidem verbis se Regem esse Christus non inficiabatur, (utpote cui regis in ipsos æternum & nullis temporum metis definitum imperium est:) sed ejuscemodi

Regem esse negabat, qualem Pilatus vana cogitatione delusus somniabat, mundanum scilicet, & terrenum, cujus aulæ splendor oculos spectantium perstringeret: vides enim, inquit, me, nec servitiis armatum, nec stipatum satellitibus, qui Iudæos vim parantes armis coerceant: Nullus pro me pugnam ciet: nemo suo discrimine, mei capitis periculum amolitur: Quid apertius? Imperium meum, inquit, haudquaquam mundanum est.

Quænam igitur intemperiæ Papam agitant, qui se Christi Vicarium mentitur? Num vicarius eo major esse potest cujus vicem gerit? Nullum aderat Christo satellitium, nulli exercitus, nullæ militares copiæ, nullum insigne Regis, nullus splendor, nulla pompa dominantis. At hæc omnia quæ Christus à regno suo abdicabat, quâ tandem ratione regni Vicarius occupavit? Profiteamur igitur quod res est, neque Christum in mundo regnum stabilivisse, nec mortali cuiquam Imperii sui vices in terris delegasse; (utpote cujus regnum est cæleste, sanctum, æternum,) Papam verò præposterâ æmulatione, neglectâ cæli curâ, mundanum imperium arripuisse, cui sub ementito nomine vicarii cælestis, speciosum inter imperitos colorem acquisivit.

Hoc imperium vi doloque partum iisdem artibus retinetur: Hinc in Papali imperio ab omni memoriâ insidiæ, cædes, bella, & sævior omni bello pax, viguerunt. Hæc dominatio Regum Principumque mundanorum armis asseritur, imo ab interitu vindicatur; quibus auxiliis si destituerentur, illicò rueret ab alto culmine peritura moles. At Christi regnum fremente mundo, frendentibus inimicis, perpetuitatis suæ securum, in omnem æternitatem efflorescet.

Sed Christus ipse regnum suum cæleste à mundanis regulis, notis & indiciis quibusdam discernit. Terrena, inquit, imperia suos habent moderatores, qui splendore quodam, & venerabili specie sui, in subditorum oculos incurrunt: Sed arbiter imperii cælestis, non corporis, sed animi oculis & fide conspicitur. Illic civili moderatione cuncta componuntur: Hic spirituali & divino regimine mentes fidelium gubernantur. Illud armis, viris, equis, & provisis hæredum in Rempublicam opibus propugnatur. Hoc occultâ quadam & imperscrutabili potentiâ numinis conservatur. Illi, tranquilla civium vita, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit: Huic, beata animarum salus, ut fide invictæ, spe indefessæ, charitate perfectæ sint, proposita est. E quibus indiciis apertum est, nihil aureo Christi Imperio tam dissimile esse, quàm ferreum hoc regnum Papæ. Cæterùm

Cæterùm Christus cùm quærenti Pilato respondet, *Regnum suum non esse ex hoc mundo*, num pro sua quidem virili terrenam dominationem repudiasse; veruntamen alteri qui vice sua fungeretur, adjudicasse putandus est? Minimè. Voluit enim ab eâ sollicitudine Satrapas hujus mundi securos esse, ne vel à se vel suis, Iura regni imminutum iri suspicarentur. Tantum abfuit ut monarcham ipse in solio Principum collocaverit, qui fas omne conculcans, in ipso domicilio & arce imperii Romani, pro lubidine dominetur.

Porro si vel necessitas, vel utilitas Ecclesiæ sic tulisset, ut à visibili Monarchâ qui præsens negotiis interesset, regeretur; amantissimus suorum Salvator, in cœlos non remeasset, sed fruitione suæ præsentiæ beâsset Ecclesiam, in qua augenda conservandaque operam omnem, & omne studium collocavit. Igitur si commodum reipub. suæ in eo verti vidisset, proculdubiò sedem Imperio suo Romanum palatium delegisset, è quo decreta, leges, jussa majestatis, in singula sacrati corporis membra diffunderet; nisi fortè putemus Ecclesiæ rectius à Vicario quàm Domino consuli, & à Papis majore providentiâ, quàm à Christo res fidelium administrari: verum ipse Salvator præsentiam suam minus utilem absentiâ pronunciavit, cum ait, Ioh. 16. 7. *Expedit vobis ut ego abeam, nam nisi abiero, consolator ille non veniet ad vos.* Poterat enim dum in terra versaretur, Spiritum sanctum suis elargiri: sed aliter Deo visum. Consolator enim ille tanquam Vicarius ab æterno constitutus erat, qui Christo laboriosâ redemptionis provinciâ defuncto, successor in promovendâ fidelium salute mitteretur. Igitur ad Ecclesiæ maximam utilitatem pertinebat, ut è mundo Christus excederet, surrogato sibi Spiritu sancto qui fructu suæ consolationis, jacturam Christi absentiæ compensaret.

Vicarius autem relictus est, ejusdem naturæ cujus est ipse Dominus, cælestis, spiritualis, æternus: Non Petrus, quanquam amore in Dominum nulli secundus; non Paulus, quanquam fide & animi fortitudine facilè princeps: Hic Papas addere injuria tantorum Heroum fuerit. Regnum enim Christi cùm spirituale foret, non nisi à Spiritu regi poterat, & gubernari: Cujus regni naturam, quod ex hoc mundo esse Christus negaverat, ut magis explicaret è manibus illorum se propipiens, qui *Correptum Regem facere* nitebantur, *Fugit in montem*: Ioh. 6. v. 15. Fratres de herciscunda hæreditate litigantes, cum litis arbitrium ad ipsum detulissent, increpavit, inquiens: Luc. 12. v. 14. *Quis me constituit Judi-*

Library of the
UNION THEOLOGICAL SEMINARY

cem

eem aut Diviſorem inter vos? ſed ſingula perſequi ſupervacaneum eſt. Hoc tenere ſatis eſt: *Chriſti Regnum cum mundanum minimè fuerit, à mundano Satrapa poſt illius in cœlos reditum nec potuiſſe, nec debuiſſe gubernari.*

Verum, quia Pſeudo-catholici de fundamento (quod idem eſſe *cum capite, monarchâ, petra,* nobis non invitis contendunt) magnificè ſeſe jactant, agedum, ad Scripturam prævertamus, & quid de fundamento ſentiat conſideremus. Diviniſſimus Paulus in Epiſtola priore ad Cor. cap. 3. quaſi deterriturus ab immoderata ambitione, avida regnandi ingenia: *Fundamentum*, inquit, *aliud nemo ponere poteſt, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus.* Quod nemini licèri voluit Apoſtolus, interpres ille cœli, quomodo Papæ terræ filio licebit? Repugnat igitur Apoſtolo Pontifex, & hæc eſt ſecunda veritati cum mendaciis colluctatio: Nam ex hiſce verbis manifeſtum eſt: *primò*, quoddam eſſe Eccleſiæ fundamentum: *ſecundò*, non niſi unum eſſe: *tertiò*, ſolum hoc & vnicum fundamentum eſſe Ieſum Chriſtum. Quæ triplex aſſertio, cum ſua per ſe luce pateat, neceſſario ſequitur, *ſolum quoque Chriſtum eſſe Caput, Monarcham, Petram, cui Eccleſia inædificetur:* Habemus enim confitentes reos, unam eſſe vocum illarum & eandem ſignificationem. At ſi ſolus eſt Monarcha Chriſtus (ſicut eſt, ſiquidem fundamentum eſt) procul Apoſtoli, procul Papæ à tanti imperii dignitate ſubmoventur.

Sed operæ pretium eſt hujus fundamenti naturam penitus inſpicere: Hâc enim cognita magis magiſque Papam ab his ſacris arcebimus. Nam ſi ſolus & unicus Chriſtus eſt illud Eccleſiæ fundamentum, cujus ſtabilitate nixa fremitus & fragores inferorum ſecura contemnit; omninò tenendum eſt unum quoque Chriſtum eſſe, cui tamquam immotæ rupi Eccleſia inædificatur. Quis autem neget illam Eccleſiam, quæ de victis Inferis triumphat, in unico ſoloque Chriſto fundatam eſſe? Colligitur enim ex illis hominibus, qui ſaluti & vitæ ſempiternæ à Deo deſtinantur, in quos utpote peculium & hæredium Chriſti, nihil potentiæ, nihil juris Diabolo relictum eſt. Fideles igitur illi vivi lapides, cum ſoli Chriſto inædificentur, (quod paulo poſt pluribus evincemus) ſolum quoque Chriſtum Eccleſiæ ſuæ fundamentum eſſe cum Apoſtolo prædicemus, & arrogantiam Papæ, qui ſuam arenam cum divina rupe miſcere ſomniat, explodamus.

Cæterùm, hoc effato D. Pauli, cùm totam à fundamentis Monarchiam ſuam quati viderent Pontificii, rurſus omnes ipſi machinas

chinas admovêrunt, quibus hoc Apostoli pronunciatum everteretur. Sed quænam illæ sint videamus. Primò distinctionem admovent futilem, ineptam, miserandam; *duplex esse fidelem fundamentum: Primarium unum & principale; secundarium alterum & ministeriale: Quorum illud soli Christo; hoc Petro tribuunt, & Pontifici. Sed unicum tantum esse fundamentum D. Paulus asserit:* unde duplex igitur & geminum prodiit? Imo si Paulus unicum statuat, inquiunt, & suam & reliquorum Apostolorum authoritatem contradictione destruet. Nam ad Eph. 2. 10. *Nos super-ædificari super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*, affirmat. Et D. Iohan. in Apoc. 21. 14. in *Ecclesiæ ædificio duodecim fundamenta* describit.

Verùm quia magnam in distinctione sua fiduciam reposuêre, maximumque religionis in eâ verti momentum arbitrantur, ingens operæ pretium existimavi, si somnium tam importunum, clarâ sacræ Scripturæ luce discutiatur. Quod fingunt igitur D. Paulum de primario tantum fundamento loqui, vix sanorum hominum est. Aliquot enim annis antequàm Paulus stilum verterat ad erudiendam Ecclesiam, Christus ipse Petro asseveraverat, *sese supra hanc petram ædificaturum Ecclesiam*; quæ verba non vulgata solùm, sed nobilitata multorum sermonibus, cùm neque Paulus, nec ullus Apostolorum ignoraret, quî fit, quod nec ille, nec quisquam reliquorum alteriùs fundamenti meminerit? ait enim amputatâ, præcisaque omni distinctione, *nullum aliud, sed unum solumque fundamentum esse Iesum Christum:* Cui si subordinatâ quadam ratione, sive Petrus, sive quisquam alius, ut inferius fundamentum substerneretur, illud certè (cùm res tanti sit, ut ipsis placet) indictum Scriptura non præterijsset. Hæc igitur distinctio cùm nullam à Dei verbo recipiat authoritatem, ut Theologiæ dehonestamentum è finibus deportetur.

Nos interim ut cepimus, in absurditate explodendâ, quantum possumus operæ collocemus: Christus igitur si Petrum ut Principem Apostolorum, & ita de se meritum, jecisset Ecclesiæ suæ fundamentum, secundarium quidem, sed unicum tamen & solum, ut vere de Petro prædicari posset locutione propriâ, nec voce modificatâ: quod solus Ecclesiæ columna foret & fundamentum: Christus, inquam, scribenti Paulo non dictâsset, *vnicum sese, nec aliud ullum esse Ecclesiæ fundamentum.* Quinimo Paulus honori Collegæ sui silentio non derogasset, si Principem in Ecclesia locum vicarius quidem, solus tamen Petrus obtinuisset.

Sed tantum abfuit, ut Petrum in hoc ordine (quem inepti fingunt) ſecundario, ſolum & vnicum fundamentum Paulus agnoverit, ut eidem ſeſe coæquare per omnia non vereatur: Ait enim 2. Cor. 11. v. 5. *Statuo me nihilo inferiorem eſſe ſummis Apoſtolis.* Cui conſonat illud quod Epiſt. ad Gal. cap. 2. verſ. 6. pluribus diſſeruit. Non unum igitur in Eccleſia ſummum Paulus agnovit, ſed fuiſſe complures innuit qui rerum habenas eadem poteſtate moderabantur. At ſi Petrus à Chriſto præfecturam, eamque ſummam & quidem ſolus fuiſſet adeptus, certè Paulus, eundem pro ſua modeſtia cæteris prætuliſſet, nec ſemetipſum principi viro, cui Chriſtus ſummum rerum judicium tribuerat, exæquaviſſet.

Quinimò ſi Petrus eſt Eccleſiæ fundamentum, ratio poſtulat ut ſupra Petrum Paulus ædificaverit: Sed ab eo quam longè Paulus abfuerit, teſtatur ipſe cùm inquit, Rom. 15. ver. 20. *Sic prædicâſſe Euangelium, ubi Chriſtus ne nominatus quidem fuit, ne ſuper alienum fundamentum ædificaret.* Quo Pauli teſtimonio tota illa febriculoſa diſtinctio, de miniſteriali fundamento Petri convellitur. Nam ipſe Paulus hortando, concionando, docendo, ſuis laboribus, ſui capitis periculis, in nobiliſſimis terrarum orbis Civitatibus, quæ ne fando quidem Chriſti nomen acceperant, Eccleſiarum fundamenta jecit, omniaque ea perfecit, propter quæ miniſteriale fundamentum Petrus appellatur. Nam magni illi viri, qui jaciendis fundamentis inſudarunt, labore ſuo promeriti ſunt, ut fundamenti nomen metaphoricâ loquendi ratione adipiſcerentur: Quo nomine ſi cuti Petrus ob paſtas oves, ob annunciatum Euangelium, ob exhauſtos Apoſtolici muneris labores, haud immeritò decoratur; ita Paulus idem ſibi nomen ſummo jure, meritoque vindicavit; plures enim Eccleſias fundavit & erexit; *plus cæteris laboravit:* 1. Cor. 15. 10. Quocirca miniſterialis fundamenti cognomentum non ſoli Petro deberi, ſed omnibus commune eſſe qui fundandis Eccleſiis ingemuerunt, ope veritatis evictum eſt.

Dicit idem Apoſtolus ad Cor. 1. 3. 9. *Dei adminiſtri ſumus.* Deus enim eſt qui ædificat, ſicut & Chriſtus Eccleſiam ædificaturum ſe pollicetur; Apoſtoli verò cœlesti Architecto nihil præter operam & miniſterium ſuum contulerunt. *At inter hos obganniunt Pſeudo-Catholici, tantam unus aliquis & ſanctimoniâ, & laborum patientiâ eminet, ut ille jure quodam præcipui ſoluſque fundamentum ſecundarium citè appelletur.* Sed heus ô boni! Num igi-

tur

tur unus ille omnes quantus est, Ecclesias fundavit? negat Paulus. Cæterum si solus ille secundarii fundamenti nomen promeretur, qui in fundandis Ecclesiis plurimum operæ collocavit, non Petrus equidem sed Paulus primas feret, utpote qui cæteris plus laboravit: Subjungit Apostolus in eadem ad Cor. 3. 10. *ut sapiens Architectus fundamentum posui.* Ecce qui se ministrum Christi vocaverat, nunc Architectum vocat, non quòd Christi ministerium dedignetur, sed ne Petro conservo suo Vicarius esse videretur; & fundamentum inquit ipse posui, ne putemus à Petro jactum, vel quenquam præter Paulum ministeriale fundamentum Ecclesiæ Corinthiacæ fuisse.

At fundamentum illud à Paulo jactum quod tandem est? solus Christus rupes Ecclesiæ, non Petrus, non Papa: at verò si Petrum Christus Ecclesiæ Catholicæ fundamentum esse voluisset, inædificare primum Christo, deinceps Petro debuisset Apostolus. sed hæc deliria quanquam ipsa per se fastidium adferant hominibus cordatis, attamen in iisdem exagitandis juvat aliquantulùm immorari.

Prodeat igitur in medium inanis illa distinctionis absurditas, quæ fundamentum è congerie vanissimarum imaginationum effinxit, secundarium & ministeriale, & rerum naturæ contrarium, quod per se non consistit, nec ullam obtinet stabilitatem: sic enim naturâ suâ fundamentum comparatum est, ut opus superimpositum suâ mole, suaq; stabilitate fulciat & sustentet: Illi si quid accedit, hoc non fundamento, sed ædificio superstructo debet accenseri; fundamentum enim ipsi sibi innititur, nec alterius eget fulcimine quo se tueatur, nec ullum præter primarium omninò cogitari potest à sanis: qui secundarium aliquod somniantes fingunt, animum helleboro detergeant.

Sed tempus est ut vocemus ad partes fundamentum illud ministeriale, cujus officiæ faciles erunt deprehensu, si ministerii vocem examinemus. *Minister autem est, qui in re quapiam facienda suam operam commodat alteri principaliter agenti*; sic Apostoli sunt administeri Dei principis Architecti. Natura verò non patitur, ut ministri vel opifices eâ ratione quâ ministri sunt, induant quoque rationem fundamenti; nec enim opus cum opifice, causa cum effectu, potest confundi & permisceri: At Petrum ex Architectis unum fuisse disertissimis verbis, 1 Cor. 4. 1. affirmatur: unde sequitur, eundem nequaquam vel esse vel dici posse fundamentum; quia fundator & fundamentum, artifex, & res arte

facta, de uno eodemque, & eodem modo, ratione salvâ, prædicari non possunt, nisi fortè præstigiis suarum Transubstantiationum, opificem in ipsam materiam, Architectum in ædificii fundamentum, stupidâ metamorphosei, commutare calleant.

Sed acclamitant Pseudo-catholici, rem sese nec novam, nec absurdam attulisse: Christum enim & fundamentum simul & architectum esse non dubitari. Quasi verò Christus non aliâ atque alia ratione fundamentum ipse sit, & fundamentum jecerit ædificaritque. *Fundamentum est quatenùs in illo fides Electorum innititur atque recumbit: Architectus autem quatenùs ope Spiritus sancti pertinaces animos nostros evictâ duritie, coagmentat in Templum & ædem Dei.* Illorum verò placitum tam incurabili laborat ineptiâ, ut Petrum eâdem ratione faciant & ministrum & fundamentum: nam fundamentum esse ministeriale quid aliud significat, quàm eatenus fundamentum esse, quatenus est minister? Præterea Christus haud simpliciter minister est, sed & Dominus, & Deus, & unus instar ædificii totius, cui multa convenire possunt, quæ cæteris aptari sine nota furoris & insaniæ non possunt. *In Petrum verò fides nostra non erigitur; in illo non sumus & movemur: Ille nec præsidium nobis est, nec levamen in malis: ab illo non pendemus: in illo non acquiescimus. Ille spem vestram non fovet; votis non annuit; nec ad illum denique referimus quicquid aut possumus aut valemus.* Omnis Petri labor, omnis industria, quâ Dei templum ædificare nixus est, in externo tantum ministerio & famulatu versabatur; fidem enim & divinas dotes inspirare nemini poterat, utpote quę cælitus in ipsum quoque gratuitò dimanabant.

Sed hæc distinctio velut absurda est, ita mutulam & mancam esse coarguamus. Ponamus enim primarium fundamentum esse Christum, Petrum vero secundarium, ilicò tertiũ quoddam fundamenti genus enascetur, superiori distinctione non comprehensum. Concedunt enim & reliquos Apostolos Ecclesiarum fuisse fundamenta, qui cũ sub primario contineri non possint, vel tertium genus peculiare sibi constituũt, vel in societatem secundarij, licet invitis harum distinctionum figulis, admittentur: sed admitti debere suadet ratio; tantum enim Iohanni, Iacobo, Paulo juris est, in illam possessionem quam Petro: *nam Petrus si tanti cognominis privilegio dotatur à domino, laudem illam adipiscitur, vel tanquam ipsa doctrina tradita & relicta Ecclesiæ, vel tanquam illius doctrinæ minister & interpres.* At prius illud tum omnem vincat absurditatem, posterius hoc est asserendum: Quocirca si fundamentum

Petrus

Petrus ex eo prædicatur, quod interpretandæ doctrinæ famulatus est, & ministravit, omninò nullâ prærogativâ nititur, ut cæteris in ea dignitate præponatur: Christus enim qui verus est cœlestis ædificii Architectus, multos ad operis instaurationem ministros & famulos advocavit, qui cùm industriam suam & diligentiam in ædificanda Dei domo, Domino suo approbaverint, pari laude, pari dignitate, parique titulo fuêre decorandi.

Sed devoratis tot ineptiarum tædiis, ad ea respondeamus illorum loca quibus evincere satagunt, aliud in Ecclesia præter Christum esse fundamentum. Paulus ad Eph. 2. 10. *Superædificati sumus*, inquit, *super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*. Iohan. in Apoc. 21. 14. in Ecclesiæ ædificio *duodecim fundamenta* describit, per quæ, sicut ipsis commentum placet, Apostoli designantur.

Verum ad hæc priusquam sigillatim contrà dicamus, opus est ostendere longè alio sensu fundamentum unum à Paulo quàm duodecim statui à Iohanne. Iohannes enim vocat Apostolos fundamenta, voce non propriâ sed modificatâ, quam Rhetores Metonymiam vocant, quâ solet efficienti causæ nomen ipsius effecti frequentius assignari; Nam Apostoli quia fundamento jaciendo, struendoq; famulares operas domino suo navabant, ipsius operis cui illaborabant, insudabantque, cognomentū sunt adepti.

At Paulus non figurata, sed propria nativaque vocis vi & potentia, Christum appellavit fundamentum vnicum & solum, utpote super quod Ecclesia & inædificatur & extruitur, & in magnitudinem suam crescit, & exurgit. De proprio hoc fundamento Christus loquebatur, cum Ecclesiam se *super petram* ædificaturum promitteret. Ideòque non inquit, Tu Petre, super hanc Petram ædificaturus es, qui præter operam & ministerium in collocando fundamento præstare nihil poterat: sed *ego ædificabo*, utpote qui virtute & potentia sua ineffabili daret incrementum ædificio Dei.

Sed redeamus ad effatum Pauli Eph. 2. 10. Qui cùm pronunciat fideles ædificari *supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum*, non Apostolos, nec Prophetas ipsos proprium Ecclesiæ fundamentum statuit; sed Christum, cui cùm Prophetæ, tùm Apostoli innitebantur; vel quod idem valet, doctrinam illam cœlestem, eruditricem salutis, quam & Apostoli & Prophetæ, fundamentum Ecclesiæ substraverunt, in quo sicuti fundatur, sic & ad fastigium exsurgit ædes Dei.

Sed

Sed attentionem noſtram meretur pluralis illa vox *Apoſtolorum*: non enim unum aliquem, & ſingularem qui cæteros ulla dignitate ſupereminereret, ſed omnes pariter & univerſos eodem titulo condecoravit. Omnes enim pari fide, parique diligentia in jaciendo ſolo illo & unico Eccleſiæ fundamento, hoc eſt, prædicando Chriſto, & annunciando Euangelio, cùm Apoſtoli tùm Prophetæ fuerant verſati. Quis non miretur igitur in Eccleſiæ fabrica Pontificios acutiùs quàm ipſum Paulum vidiſſe? Adeóne Paulus cæcutiit, ut Petrum tàm prominentem præ reliquis lapidem non viderit? Adeóne lividus, ut tantæ dignitatis virum in quem tota recumberet Eccleſia, ne quidem nominarit? Abſit à perſpicacia & ſinceritate vigilantiſſimi & optimi viri tàm prava ſuſpicio.

Verum ex Apoc. quid adferant diſpiciamus. Duodecim ſcilicet *Apoſtolos* eſſe totidem *fundamenta* Eccleſiæ. Quæ falſæ temeritas ſententiæ, ſecordiam prodit hominum incurioſorum, & negligentium veritatem. Non enim Apoſtolos eſſe totidem Eccleſiæ fundamenta Iohannes aſſeruit, ſed Apoſtolorum nomina duntaxat eſſe duodecim inſcripta fundamentis Eccleſiæ. Quæ verba quanquam à variis variè torqueantur, conſultiſſimi tamen Theologiæ viri, nomine fundamentorum doctrinam intelligunt à duodecim Apoſtolis Eccleſiæ traditam & commendatam, qui tamen ipſi eò quod concionando, ſcribendo, hortando, fundamento jaciendo famulaverunt, fundamentorum nomine ſed metaphorico, fuerunt inſigniti.

Ex objectis igitur Scripturæ locis, quid acceſſit conclamatæ Pontificiorum cauſæ? Fundamentum in Eccleſia præter Chriſtum aliud eſſe. Audio; ſed propriéne dictum, an modificata loquendi ratione ſic appellatum? Prius confiteri rubor non ſinit, poſterius pertinacia. *Igitur omni dubio procul eſt, ex objectis colligi non poſſe, quod ſit ullum fundamentum in Eccleſia ſecundarium, niſi ſimul omnes Apoſtoli pro ſecundariis recipiantur.* Advocent enim omnia pigmenta, omnes dolos, omnes præſtigias, nunquam manifeſtum facient alia ratione Petrum quam Iohannem, Iacobum, Paulum, Eccleſiæ fuiſſe fundamentum. Sed his exploſis ineptiſſimis nugamentis ad alia properemus.

Dicit idem ad Epheſ. cap. 1. v. 11. *Deum patrem collocaſſe Chriſtum ad dextram ſuam in cœlis, longe ſupra omne imperium ac autoritatem, & poteſtatem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non ſolum in hoc ſæculo, verum etiam in futuro: Et omnia*

ſubjeciſſe

subjeciſſe ejus pedibus, eumque conſtituiſſe(16)*caput ſupra omnia ipſi eccleſiæ*: Capite vero quinto, *Chriſtus*, inquit, *eſt caput Eccleſiæ, & ipſe eſt ſervator corporis*. Quibus apoſtoli verbis abundè liquet, in Scriptura vocem capitis, vnico Chriſto propriam eſſe, quando de principe Eccleſiæ ſermo eſt. Quod enim animali corpori caput adfert, idem præſtat Eccleſiæ ſuæ Chriſtus. Col. 1. Chriſtus igitur cum ſit Eccleſiæ caput, & Eccleſia Chriſti corpus, illi rem omniũ importuniſſimam, inimiciſſimamque S. Scripturis deliranti abſurditate comminiſcuntur, qui bicipitem Eccleſiam, & uni corpori duo capita inducunt;

16. R. S. pag. 18. *Papiſtæ tenent Chriſtum eſſe caput principale, Petrum, & ἀποστόλους ejus ſucceſſorem, caput ſubordinatum. Itaque hic author ignarus eſt doctrinæ papiſticæ.*

I. B. Illa capitis diſtinctio apud homines veſtros vſu trita & pene obſoleta eſt, ut mirer ignorantiam illius rei a te mihi obiici, quæ ſippis omnibus & tonſoribus innotuit. Illam quoque diſerte ſatis in ejuſdem argumenti contextu his verbis perſtrinxeram. *Illi rem omnium importuniſſimam inimiciſſimamque S. Scripturis deliranti abſurditate comminiſcuntur, qui bicipitem Eccleſiam & uni corpori duo capita inducunt.* Sed ubi ſolenne eſt mera animi libidine maledicere: illud cacoethes penitus inolevit. Cæterum Ricarde multo præſtantius & æquabilius ſeſe res noſtræ haberent, ſi non hanc modo diſtinctionem ineptam, ſed tot acervos impiorum dogmatum, quæ in Eccleſiam ſpargitis, ignorare licuiſſet. Bonas enim horas quas legendo inutiles herbas diſperdimus, fructuoſioribus curis impenderemus: Neque toties luctu & horrore contremiſceret animus, ad doctrinarum veſtrarum flagitia quibus & Chriſti dignitas temeratur, & ſalus hominũ hoſti Diabolo proditur. Iam vero vel invitis hæc ſceleranoſcenda ſunt: inter quæ non minimum eſt quod in Chriſti contumeliã, homini imponitis titulum *Capitis, Fundamenti, Mediatoris & Sacerdotis Melchiſedeciani*: veluti ſi eâdem ſacrilega audacia creaturam *omnipotentem, omniſciam*, appellaretis.

Hæ nefariæ & in perniciem abituræ blaſphemiæ nonne cum maximanimi tranquillitate ignorarentur? Nonne beatus eſſet cui talium doctrinarum monſtra non occurrerent? Sed miſſa tot impietatum atrocitate, quid tandem illorum dogmatum ignorantia nocumenti ferat, ſine quibus & ſalutis & beatitudinis potiri datur? *Quid enim? ſi Chriſtum agnoſcam caput vnicum & ſolum Eccleſiæ, Papa neglecto: ſi ſuper illum ut vnicum fundamentum fidem adſtruxero, Papa plurari juſſo: Si mediatorem & Sacerdotem vnicum coluero: juſſis abire in Morboneam Sacrificulis ſuis: ſi illius ſolo Sanguine purgatã maculoſam animam credidero, purgatorio veſtro ſatuis relicto, num propterea vel ſalutis ambiguus vel alijus peccati reus ero?* Primum ſane, quanquam ſis audax & amens, non tamen auſis dicere: Quod ſi vero dixeris ut nihil à te vecordiæ alienum eſt, in quem legis articulum deliquiſſe me, quod mandatum ſic credendo infregiſſe convinces? peccatum autem ſine lege violata nullum eſt. Vides igitur Richarde quam parum noſtra interſit Papiſticæ opinionis quæ ſemper impia ſemper infructuoſa eſt, peritia cenſeri! Sed ego calumniam tuam voto remunerabor ut mihi veſtrorum ſeu errorum ſeu flagitiorum ſcientia, tibi eorundem amor & pervicacia decedat.

Sed nunc rem ipſam aggrediamur, ipſo argumento quod allatras repetito, ut clarius exinde & dilucidius procedat diſputatio. Sic enim arguebam. *Si*

Chriſtus

Christus est totius Ecclesia caput. Ergo nullus alius. At verum prius, ergo & posterius. Antecedens è citatis Scripturæ locis manifesta est; consequens argumenti vi stabilitur: monstri quippe corpus est cui plura capita præsunt: At Ecclesia monstrum non est: esset autem si Christo simul & Papa binis capitibus regeretur. Antecedentem conseditis, sed consequentem distinctionum fraudibus veluti per cuniculos oppugnatis: illæ jam diffiandæ sunt. *Papista tenent* inquis *Christum esse caput principale, Petrum &c.* Proculdubio Richarde jam plaudis subtilitati tuæ quod tam acutè distinxeris. nescius interim perpetrari in Theologia flagitii, quæ distinctionum promissoua licentia respuit profanari. Quid enim firmum & inviolatum erit, si febriculosis omnium delirantium celebris libertas erit, distinguendi pro libitu? Est hoc inter Theologos consensu receptum Axioma, nullam fabricandam esse distinctionem quæ enunciato scripturæ universali opponatur, nisi disertis ipsa Scriptura verbis distinctioni patrocinetur. At tua distinctio cum non tantum Scripturæ non nitatur, sed scripturæ & ejus authori gravis & ignominiosa sit, è Theologiæ finibus ejicienda est: peculiarem namque Christi prærogativam quà supra dominationes reliquas evehitur, cum vermiculo terræ communicat. *Capitis* attributo & cognomento, quo solus Christus decoratur, Papæ & Papatum filiis imposito.

Neque debet infamiam audaciæ, quod in scripturis quædam Christi cognomina, aliis communicata sint; ut *Lucis* & *fundamenti, pastoris, Episcopi*, imo *Dei*. Nobis enim sobrie sapere, & inter Scripturæ præscriptum loqui convenit, quæ cum nomina complura communicaverit aliis, hoc ipsum tamen de quo loquimur, Christo proprium servavit, ut sine injuria Domini non possit id à servis suis attrectari. Sane civis egregius & qui sanguine & virtute cæteros prætergressus est, sine Dominantis injuria & *nobilis* & *potens* & *inclytus* inter cives audit: at idem si *Rex* à factiosis salutatur, jam lege Majestatis tenetur. Quare cum in attributis illis quæ supra memoravi similitudines quædam sint quæ umbram quandam divinæ dignitatis in homines derivant, grati fruamur illo beneficio, abstineamusq; illo titulo quem sibi soli sepossit Dominus, qui rebellantis Romæ contumaciam non minore supplicio ulciscetur, quam patientia tolerat. Si *Lux* quis audit, cogitet ab ea *Luce* se splendere quæ *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Si *Pastor, Episcopus, Apostolus, Propheta* quis nominatur, reputet, partes ministerii sibi concreditis honoratis nominibus ad excitandam industriam suam illustrari. Si *Deus* quis appellatur, multum perpendat haud uni sibi sed omnibus eundem à Deo honorem exhiberi, quos ad tutelam & regimen hominum elegerit cariissimi sibi animalis. Sed capitis ut vis & potestas, sic quoque nomen illi soli illibatum & intactum servetur, à quo dignitas omnis & authoritas ut guttæ quædam in nos distillant: parcamusque per insaniam concludere. Pontificem esse *caput* Ecclesiæ, quia Petrus & Apostoli reliqui fuere Lux mundi. Hæc enim non sanorum hominum Dialectica est, sed quali Richardus Shortius & insanabilia tribus Anticyris Capita utuntur.

His ita præmissis, age nunc examinemus quibus distinctionum fucis rem incrustetis ad fallendam vim consequentis: quia enim se tulit occasio, non modo tuas ineptias sed totius turbæ vestræ quisquilias statui evertere. Nec enim tu tanti es, cui soli respondeam. Sic ergo quidam è vestris bicipitem negant Ecclesiam quia Petrus impar Christo caput & *sub Christo* est, ut amat balbutire Schola Romanensium, *Christum quippe caput esse primum & supremum; Petrum verò minimè primum, & totius corporis, sed vicarium esse subrogatum; secundum, hoc est caput aliorum omnium à Christo. Totalis ergo corporis*, inquiunt,

inquiunt, *unum caput est Christus, cujus ipse Petrus eximia tamen dignitate membrum est; At mystici corporis quod è coagmentatis hominibus componitur, Petrus est caput*; Quæ cum Sybillæ foliis obscuriora sint, facile apparet ab ingeniis ebulliisse turbidis & crasso errorum cæno lutulentis. Veritatis enim vena liquide fluit, & in ipsum fundum admittit spectantium oculos.

Vtramque tamen distinctionem & capitis primi secundique & corporis integri mysticique vocemus ad examen: & posteriorem quidem primo. *Corpus totum est*, ut illis placet, *quod non Christi tantum membra sed Christum ipsum complectitur: illius enim Christus est Caput. Mysticum quod sola Christi membra ut seorsum ab illo censetur, comprehendit: & hujus sub Christo Petrus est caput.* Risune vel ira excipiemus hoc delirium? Modo corpus biceps illa monstrorum mater Roma dederat, nunc bicorpori capite novum portentum peperit. Sed adeamus scripturam, ut illius voce corrigamus hunc peregrinum loquendi morem. Illa sane cum Ecclesiam *corpus* vocat, ejusmodi intelligit quod ex aliis à Christo componitur, inter quos Christus ipse non annumeratur. Sic enim Rom. 12. Paulus. *Multi unum corpus sumus*, inquit, *in Christo: singulatim autem alii aliorum membra; habentes diversa dona pro gratia quæ nobis est data.* Nam verbo *sumus* perspicue satis nos exprimit & diversitate donorum magnifestè denotat homines, nam in Christo non diversa, sed universa sunt. Iam ad Ephes. 4. dilucidè dicit. *Veritatem facientes cum charitate prorsus adolescamus in eum per omnia qui est caput, nempe Christus: ex quo totum corpus pro mensura unuscujusque membri incrementum capit, corporis conveniens.* Christus enim perfectus & incrementi incapax eo corpore non continetur.

Iam post Scripturæ oraculum si consulatur recta ratio, nusquam huic ineptiæ erit consistendi locus. Nam cum Ecclesia corpori comparetur, non cuilibet sed humano, nusquam divergere potest comparatio à corporis comparati natura. Corpus autem humanum quis vel artifex vel veterator distinguat in corpus integrum consistens è capite & membris: & corpus, nescio qua voce dictum, constans è membris reliquis gubernatis à suo quidem capite, sed diverso ab illo priori? Mihi omnia somniis febricitantiũ & chimæriis saltantibus in vacuo similia sunt. Iam vero quam ridiculè Christi corpus in *totum* & *mysticum* distinguitur? Nam quamvis humani corporis nomine sæpe comprehendi soleat universa illa fabrica & compages partium, quæ dimensionibus extimis circumscribitur, in qua sicuti reliqua membra sic caput ipsum accensetur: nihilominus tamen quoties (ut id sæpissime fit) vox capitis corpori opponitur, toties caput ipsum distincte separatèque consideratur, ut quod ipsum per se partem constituat, (sicut ex anatomicis didicisti, nisi tam in re Medica stipes, quam in Theologica caudex es:) parique intuitu reliqua membra veluti separatim & per se totum aliquod componentia, quod ipsum pars sit cui *corporis* vox approprietur. Igitur cum Ecclesia *corpus* Christi & vicissim Christus Ecclesiæ *caput* vocantur, non prior sed posterior viget corporis significatio, ut mutua relatione caput sit corporis caput, & corpus capitis corpus. Porro quis nescit Ecclesiam non aliter Christi corpus quam mysticum dici? unde evanescit illa *totius* & *mystici* distinctio; quia totum illud aut debet esse mysticum aut omnino non esse corpus Christi. Denique ut tandem recipiamus nos ex hoc senticeto, id quod totum non est, ne corpus quidem dici potest. Est enim de natura corporis aliquid totum esse, scilicet è membris suis omnibus coagmentatum. Fluxi ergo judicii est corpus mysticum toti opponere, quia mysticum illud aut totum, aut ne quidem corpus est.

Sic-

Sic explosa distinctione corporis, supereſt frangenda distinctio capitis primi & ſecundi: in qua tantum præſidii collocant, ut putent ea ſalva nihil ſibi periculi eſſe à bicipiti corpore. Negant enim hac distinctione posita duo constitui capita ejuſdem *corporis totalis*. Sed dicite inepti. Quid eſt *idem* corpus? Chriſtus & Papa ſuntne corporis *ejuſdem* capita? Aut alteruter non eſt Eccleſiæ caput aut duplex eſt Eccleſia: una Chriſti quæ Papam excludit, altera Papæ quæ Chriſtum non agnoſcit. Iam explicâte nodum. Quod eſt *idem corpus totale*: Papane caput eſt, partis alicuius è toto corpore? Manet tamen eadem abſurditatum moles. Ejuſdem enim monſtroſitatis eſt (ut in re portentoſa utar voce non diſpari) uni corpori duo capita toti præeſſe & ejuſdem corporis partibus variis ſuum ſingulis caput dominari; aut toti quidem corpori præſidere caput unum & nonnullas tamen partes ſuo peculiari capite gubernari. Quare dum extra corporis humani analogiam non evagamur nihil ab ea distinctione ſententiæ veſtræ accedit remedii. Nec enim vel viſu vel auditu accepimus in legitimo corpore duo capita exiſtere, primarium unum, ſecundarium alterum. Quare colite & fovete monſtrum donec vos vel ratio corrigat vel frangat pertinacia.

Eadem fere dici poſſunt de capite Miniſteriali & vicario. par enim utriuſque distinctionis inſania eſt. Quid enim hoc monſtri eſt *caput miniſteriale*? Nonne caput & miniſter ſunt ἀντιρατικά. Papa miniſter Eccleſiæ eſt, non igitur Eccleſiæ caput. Nam functiones corporis externas moderari & dirigere (quo munere vos Papam exornatis) regentis eſt non miniſtrantis. Caput ergo miniſteriale contradictionem involvit. Nam ut dixi capitis eſt imperare non famulari, illiuſque ductum membra ſequuntur. Ergo ſi Papa caput eſt, miniſter non eſt; nec contra: niſi Regem & ſubditum, Dominum & ſervum unum & eundem ſtatuamus. Cæterum ſi Papa *miniſteriale caput* eſt, ergo cujus miniſterii gratia caput ſit. Vt functionibus Eccleſiæ externis moderetur; ſic enim vultis. Quaſi vero Pontifex in functiones internas fidei & conſcientiæ ſibi regimen non depoſcat. Sed hoc omiſſo, nego regimen illud externum vel Chriſto competere ut capiti. Nam ſi redux ad nos Chriſtus & nobis immiſtus ageret, illorum tamen munerum functione cederet aliis. Nam Chriſtus illa ſola ratione caput eſt, ut cordatiores inter vos agnoſcunt, qua vitam à ſe manantem infundit Eccleſiæ. Ad quod capitis officium quia nequit aſpirare Pontifex, titulum capitis fruſtra ſibi arrogat.

Iam vero, cui quæſo ſuccedit ille bonus Papa tanquam miniſter? Petro dicunt. At nullo miniſterio Petrus niſi Apoſtolico nobilitatur: quod tamen nec perpetuum ipſi neque proprium fuit. Ita nullum Papæ reliquum eſt miniſterium niſi quod reliquis Epiſcopis commune eſt. Sed pugnare paratis ſic inſto. Caput hoc num miniſteriale eſt Eccleſiæ quatenus Eccleſia, vel ſecus? Sin prius concedunt, tum Papa vitam porrigit Eccleſiæ, nam hoc Eccleſiæ natura poſtulat. Sin poſterius largiuntur, jam ſua ipſorum confeſſione ὁμωνύμως tantum Eccleſiæ caput appellatur. Iam vero prodigioſus ille titulus capitis vicarii quid ſibi vult? Si vicarium eſt caput, tum virtutis & poteſtatis ejuſdem eſt cum illo, cujus vices gerit & poteſtatem exſequitur. At Chriſti virtus in danda fovendaque Eccleſiæ vita exſeritur; qualm cũ nullis præſtigiis æmulari Papa poſſit, impiè ſimul & abſurdè facit quod illius vicariũ ſe venditat, cujus poteſtatem non accepit. Sed optime diffiat hoc commentũ Apoſtolus qui 4. Eph. inquit, *Apoſtolos, Prophetas, Evangeliſtas, Paſtores & Doctores &c.* nã ſi in Eccleſiæ adminiſtratione capite vicario opus fuiſſet, putamusne Apoſtolũ id ſilentio præteriturum fuiſſe? At inquit diſertè non unum aliquem, ſed omnes

nes quos recenſuit illius miniſterii cauſa conſtitutos à Domino. Non enim unũ eſt miniſteriale caput, ſed miniſtri quamplurimi, quorum opera & famulatu Dominus vtitur in Eccleſiæ fabrica, & quibus ipſe ſine alterius vicarii interventu moderatur & imperat. Nuſquam enim inter Chriſtum & Eccleſiam ὑποβολιμαῖον hoc caput inſeritur, ſed à Chriſto ſtatim ad membra deſcendit Scriptura. Eccleſia enim Chriſto contigua eſt, nec ullius interſtitii vel intervalli junctura ipſi connectitur. Hoc enim diſertè teſtatur Apoſtolus in Chriſto ſcilicet eſſe πᾶν τὸ Σῶμα συναρμολογέμενον. In quo corpore quem ſibi tandem locum effodiet Papa? Stationem in corpore, prout capiti opponitur, dedignatur, aſpirat enim ad dignitatem capitis: At caput eſſe non poteſt, quam ſtationem Chriſtus ipſe occupavit. Excluſus igitur à toto corpore, cum umbris volitat.

Nam ſi Papa vicarium ſit Eccleſiæ caput, redibit ineluctabilis illa difficultas de bicipiti Eccleſia: uno quippe regente illam in Cælis capite, altero in terris: niſi aut Chriſtus regimen ſuum projecerit, aut hi illud excuſſerint. Quod argumentum etſi adducto uxoris exemplo cui Deus & maritus imperant eludere ſatagant Pontificii, firmum tamen eſt & ſannis impenetrabile. Non enim advertunt tenebriones illi, capita hæc diverſi generis & ordinis eſſe, quorum multa ſæpe uni præſunt. Sic uxori Deus imperat in ſacris, in familia Maritus, in civitate Magiſtratus; Sed uni rei duo capita generis ejuſdem & ordinis affingere, omnium pictorum & poëtarum ſuperat audaciam. Quare cum Papam Eccleſiæ caput aſſerunt, non intelligunt ἑτερογενές, ſed caput ejuſdem cum Chriſto naturæ & ordinis. Nam cum Chriſti ſit, ut volunt, vicarius, Chriſti quoque vice fungi & partes exequi putandus eſt. Erit igitur caput ejuſdem generis. Nam cum Domini & vicarii poteſtas ſit ὑπάλληλος non poteſt eſſe non σωώνομος. Nec ullius momenti eſt quod addunt internum Chriſto regimen, externum Papæ obtigiſſe. Hoc enim futile eſt. Nam ſi Papa in regimine Eccleſiæ Chriſti vice fungitur, ipſi Chriſto regimen externum eſt, ſed quod per Papam vicarium exſequitur. At negant Pontificii Chriſtum externa moderari: nec Papa igitur Chriſti in externis erit vicarius: quomodo enim nanciſcetur vicarius poteſtatem, ſi à Principali non fuerit delegata; at quam ipſe poteſtatem non habeas fruſtra deleges alteri. Cæterum ſi nec in externis vicarius eſt, quis illum in functionibus internis admittet? quarum omnis vis in vita concilianda & dolorum membra vrentium συμπαθείᾳ verſatur. Quæ utraque quantum abhorreant à Papæ imperio quis neſcit; qui ſcripturam vitæ fomitem ab illo extingui, & omni dirorum cruciatuum genere Chriſti membra dilaniari non ignorat?

Ita tandem diſtinctionum illa ſpectra evanuerunt: aufugituris ilicò rationibus illis quibus neceſſitatem capitis ſecundarii ſtabiliverunt. Sic enim ſpecioſa illorum habet oratio. *Chriſti gloriam cujus hoc faſtigium eſt quod Eccleſiam præſes, rector, & caput moderatur, viis & modis omnibus ſpargendam & propagandam eſſe: at neutiquam plures & aperriores celebrandæ Chriſti gloriæ vias eſſe, quam ſi unus in terris moderator & caput aliorum conſtituatur in Eccleſia. Vnde non convenientia ſolum, ſed neceſſitas Papalis monarchiæ eſt.* Sed illorum pace negaverim eos rectè ſentire. Statim enim ubi capitis excelſus ille titulus homini communicatur, multum deteritur de Chriſti dignitate: & gloria Chriſti quam prædicando augere debuerant, cognomenti vilitate delibatur: nec eo tantum impedimento, quamvis maximo laboratur; ſed accedit & aliud quod Chriſti gloriæ ne curriculo pervagetur orbem, obſtaculo eſt. Nam cum honos ideo deferatur Epiſcopis, ut Chriſti gloriam ſuis laboribus pro-

moveant, arrogans ille & iniquus *capitis* titulus quo sese Papa per reliquorum contumeliam solus insignit, sicut honorem Episcopis subducit, sic augendæ Christi gloriæ studium enervat. Pluribus igitur viis obstructis & unica quæ patet corrupta, Christi gloria quam illi latius diffundi gloriantur, Papæ imperio pene suffocatur.

Sed hac ratione excussi, comminiscuntur aliam qua probent sui capitis regimen non modo non indecorum Christo sed præclarum & egregium esse. *Regi* inquiunt *late imperitanti pulchrum & glorioſum eſt Regni ſui prætorem & proregem habere, qui quo pluribus & ſpecioſioribus titulis effulgeſcat, eo majorem magnificentia & gloria ornatum redire in principem. Egregium enim eſt egregiis & ſplendidis imperare.* Sane nova & inusitata fuerit loquendi ratio, si prætor vel prorex caput Regni appelletur; Et proculdubio authori damnosa. Quare exemplis pro libitu conflictis neque pondus neque authoritas est. Admittamus tamen hoc commentum. Nonne constat proregem in functione sui muneris omnem Regis potestatem quamvis imparem habere? Ergo si proregi similis Papa est, tum omnem Christi potestatem & virtutem exsequi potest, quamvis impari modo: unde sequitur (quod ipsum tamen vestri homines detestatur) internis etiam Ecclesiæ functionibus præsidere Pontificem. Iam servata comparationis analogia quam enormis præsto est absurditas. Quod enim caput in corpore, hoc Rex in Regno. Vnde si Christo non indecorum putant, aliud Ecclesiæ corpori caput imponere; dicant eadem opera neque Regi vel inglorium vel noxium esse, alium ditioni suæ Dominum præficere. Cæterum si vel maxime demus à proregem nec iujuriam nec damnum Regi accedere, hoc saltem de tali prorege intelligendum erit, qui volente Rege electus sit, non factione populi vel propria ambitione αὐθαίρετος irrepserit irrueritve: ut de Pontificis ἀνυποµονήτως dominatione nimiis malis jam sumus edocti.

Verum Papalis imperii necessitas pluribus adhuc munimentis insistit. *Quia Christus* inquiunt *ſubvectus in cœlos militantem Eccleſiam præſentia viſibili non tuetur, opus eſt alio qui vicem ejus in Terra gerat, magnoque huic corpori miſtus illud cum cura foveat & in unitate & pace contineat.* Quasi ad tuendam pacem stringendamque unitatem non sufficiant Christi promissa se Spiritu præsentem fore pollicentis. Quare qui è Christi corporea absentia alterius capitis necessitatem inferunt, longe rectius facerent, si è spirituali ejusdem præsentia caput aliud supervacuum esse concluderent. Nam scriptura quoties unitatem Ecclesiæ commendat, illius unitatis unicum authorem Spiritum facit: sic enim ad Philipp. 1. *Tantum ut dignum eſt Euangelio Chriſti vos gerite, ut ſive venero & videro vos, ſive abſens fuero, audiam de rebus veſtris vos perſeverare in uno ſpiritu, uno pariter animo decertantes per fidem euangelii.* & 1. Cor. 10. *ſicut corpus unum eſt, & membra habet multa, omnia vero membra corporis unius multa cum ſint, unum ſunt corpus, ita & Chriſtus: etenim per unum ſpiritum nos omnes in unum corpus baptiſati ſumus, ſive Iudæi, ſive Græci, ſive ſervi, ſive liberi: & omnes una potione potati ſumus in unum ſpiritum.* & Epheſ. 4. *unum corpus, unus Spiritus, una ſpes vocationis, unus Dominus, una fides.* Qua testimoniorum authoritate satis superque probatum est ad tutelam unitatis nihil adjumenti accedere, à secundario capite: cujus si vel minimæ partes fuissent in fovenda pace, non caruisset in scripturis suo debito elogio. Sed jam tot sæculorum serie Europam docuit experientia quam parum paci conducat hoc vicarium caput. Nam si membrorum unitatem spectes, vel inter se, vel corporis universi cum suo capite, utramque afflictam ruptamque comperies ab hoc capite larvato.

Quæ

Quæ historiæ non rubent sanguine cædium quas suscitavit inter populos *hujus capitis intoleranda ambitio*? Quæ maria non sunt infamia naufragiis classium quas armavit hujus rabies. Qui agri non albent ossibus occisorum quos intestinus furor hujus libidini mactavit? sed non immorabor in hac Iliade: aliam vide: cujus præstigiis tot urbes, tot gentes exuta sacramenti quod Christo dixerant reverentia desciverunt à suo domino & Capite? quis generalem illam & nullis unquam lachymis satis deplorandam ἀποςασίαν induxit nisi infandum hoc caput, quod se jam unitatis vindicem ostentat, & proxinetam pacis? Futile ergo totum hoc argumentum est quod ab unitatis tuendæ necessitate ducitur, cum parricida potius & incendiarius haberi debeat quam custos pacis, qui exuta æqualitate in titulum involat & superbiam *Capitis*.

Sed priusquam de tabula manum tollo, operæpretium erit aliquot absurditates hujus capitis amatoribus ab oculos ponere; quarum prima hæc esto. Vicarii Monarchæ, quem caput vocant majorem authoritatem & potestatem esse quam totius Ecclesiæ: plus enim in uno capite authoritatis quam in reliquo corpore est: utpote cujus membra nutui capitis obtemperant, ductum sequuntur, imperio parent: cum scriptura tamen ejusmodi authoritatem quæ ipsi Ecclesiæ præcellat diserte prohibeat. Inquit enim Christus Matth. 18. 17. *Dic Ecclesiæ*; quo Salvatoris effato satis manifestum est summum imperium penes ipsam Ecclesiam ipse, nec ullum caput humanum ea autoritate instructum esse qua insultare possit toti Ecclesiæ: quid si enim unus ille, quem tui caput appellant, injuriam cæteris fecerit, quonam læsi confugient, à quo remedium injuriæ deposcent, si Ecclesiæ in cujus sinu querelas suas jubentur deponere ab ipso lædente imperitatur?

Hanc absurditatem excipit altera. Pontifex ipse non eligitur modo sed confirmatur ab Ecclesia, & olim quidem, nondum plane corruptis moribus ab Ecclesia Romana universa, lapsu temporum à Cæsaribus, & nunc tandem à fæce Romuli Cardinalibus suis: Hæresi tamen infectus & conscelleratus Papa, eorundem authoritate solio deturbari potest, quorum suffragiis ascenderat: ponamus ergo, quod poni facilè potest, Papam Hæreticum. Ille hæreticus tamen Papa est, & omni Papali munere fungitur, donec legitimo tramite fuerit expulsus purpuratorum sententiis. Iam quæro num hæreticus ille sed nondum ejectus præcellentem & tota Ecclesia majorem habeat autoritatem. Sane. Nã est Ecclesiæ caput: Caput enim esse non desinit, quamdiu legitimus est Papa: Est autem Papa legitimus donec consueta & legitima comitiorum via, muneris sui dignitate fuerit exutus. Vnde sequitur ἀτοπον τετρατῶδες hominem detestabilem à Deo pariter & hominibus exosum Nebulonem, Ecclesia Catholica potentiorem, majorem, sanctiorem esse.

Sed hoc absurdum alio accumulatur. Ecclesiam catholicam, ut de ambiguis hominum & belluarum figuris poetæ nugantur, aliquando ἀκέφαλον, alias ut de serpente capitum fæcunda fingunt πολυκέφαλον esse. Quo portento cum deformari non possit Ecclesia catholica, sequitur Papam ejus Ecclesiæ non esse caput. Consequens indubia est. Moriuntur enim Papæ & eò vadunt unde negant redire quenquam, neque statim in avulsi locum novus suppullulat. Sæpe enim dies, nonnunquam menses, interdum anni inter excessum unius & primordia alterius defluxere. Cujus interregni tempore ἀκέφαλος titubat Ecclesia. At homines tui ideo Papam Ecclesiæ datum ajunt ne desit illi suum caput. Quod si Christum interim admovere regimini curam, & tractare imperii habenas dixerint, ut dixisse constat: præclaram sanè imponunt Domino provinciam, quæ vivente Papa aboletur, &

mortuo revireſcit. Iam ubi plura ſimul capita, ſicuti ſæpe contigiſſe novimus, excreverint, quid dicemus? Eccleſiam tot capitibus regi? non, inquiunt: Sed illi capitis honorem & titulum deferendum qui legitime fuerit electus. At difficultatem inexplicabilem! quomodo conſtabit Eccleſiæ de jure competitorum? quis litem illam expediet? Quiſque jure ſuo nixus nihil concedit Adverſario. Alterum enim fieri poteſt, ut eorum nullus, alterum non poteſt ut omnes ritè ſint electi. In hoc Euripo, in hoc æſtu reciprocantiũ abſurditatum. Richarde, te, tuos, & caput tuum relinquo, certus Eccleſiæ Catholicæ præſidere ſanctum, immortale, inviolabile & unicum caput, qui eſt ſalvator noſter Chriſtus. Et hæc non tuæ tantum ſed tuorum diſtinctionibus diſſlandis ſufficiant.

Verum audito, quod de principatu Eccleſiæ Paulus ſentiat, operæpretium eſt audientiam Petro facere loquenti ſolita ſua moderatione, & æquanimitate Apoſtolica, non principali ſuperbia, aut dictatorio faſtu. Sic igitur in epiſtola 1. loquitur cap. 5. *Presbyteros qui inter vos ſunt precor ego unà presbyter ac teſtis afflictionum Chriſti, atque idem gloriæ patefaciendæ conſors, paſcite Dei gregem qui penes vos eſt, curam illius agentes non coactè ſed libenter; non turpiter affectantes lucrum, ſed prompto animo, neq; ut* (17) *Dominatores cleris; ſed ut ſitis exemplaria gregis, & cum apparuerit ille Paſtorum princeps, reportabitis immarceſcibilem illam gloriæ coronam.* Quid tandem in his verbis eſt quod principem refert? Dominari clero turpitudini & flagitio adjudicamus, ſed gregem paſcere vigilando, laborando, ſua negligendo, pro ſalute aliena excubare, ſuperis & cæleſti gloriæ paſtorem interſerit. Hanc Petrus ſententiam dicit.

17. R. S. Pag. 21. *Sola hic tyrannica Dominatio interdicitur, ut indicat Græc. vox κατακυριέυοντες. Itaque hic locus nihil probat.*

I. B. Vtinam tam eſſem ſubtilis Richarde, quam tu tibi videris. Sed jam è verbo texis araneæ telam, nec rei capax quæ cerebello tuo major eſt, nec verborum ſatis intelligens quæ plumbeis ingeniis non facilè patent. Non opponam cavillationi tuæ generalem omnium commentatorum conſenſum, neque ſeptuaginta Interpretum autoritate me tuebor; non utar editionis vulgatæ patrocinio, illud enim vobis relinquo. Sed ex ipſius loci genuino ſenſu ludibrium commenti tui refutabo: quod eo faciam lubentius ut Thraſonicam tuam jactantiam, quâ pag. 30 nota 28. uteris, retundam. Sic enim inibi ampullaris. *Nihil textu illo elici poteſt &c.* quâ ἀλαζονείᾳ tuam in Dialectica prodis ignorantiam: Sic enim ex textu argumentor. *Si nullus Epiſcopus debet Dominari clero, ſed gregis ſibi commiſſi curam gerere ſub Principe Paſtorum Chriſto: Ergo nullus eſt Oecumenicus Papa, Paſtor, Monarcha prater unum Chriſtum. At verum prius. Ergo & poſterius.* Antecedens è loco citato manifeſtiſſima, & conſequens omni negatione major eſt. Eſt enim ipſa germana verborum ſententia. Nam primum Epiſcopis in clerum, hoc eſt, gregem & populum Chriſtianum, multoque ſtrictius Epiſcopis in Epiſcopos dominationem & imperium interdicit. Primatus autem ille quem vetat, cujus naturæ eſt? ejuſdem cum illa dominatione quam Principes ſeculares uſurpant in proprios greges, in populum tutelis & regimini ſuo commiſſum.

Cujus

Cujus argumenti vim ut enerves, ſolam Tyrannidem hîc prohiberi dicis, idque probas è voce κατακυριεύειν, cujus (ut tu Græcus, ſcilicet litterio affirmas) in partem ſequiorem ſignificatio eſt. Sane Richarde ἀμαθὴς εἶ τὴν ἀμαθίαν: neſcis te neſcium eſſe, & hoc te audacem & temerarium facit. Audi Ariſtophanem ut ille faſtum tuum caſtiget. ἀμαθὴς ἔφυς κὶ πολυπράγμων, οὐδὲ ἣν γραμματικὴν πεπατηκάς. Sed ad rem. Quod D. Matthæus exprimit per vocem κατακυριεύειν idipſum D. Lucas per verbum κυριεύειν reddit: Quare alterutrum tibi probandum eſt: vel τὸ κυριεύειν idem eſſe quod τὸ τυραννεῖν: vel pugnanti Spiritu, afflatos fuiſſe Euangeliſtas. Quorum hoc nefandæ impietatis: illud barbari ſtuporis foret. Iam omnes, quos ego ſaltem vidi Remenſibus exceptis, qui vernaculo Idiomate (de Gallico, Italico, Belgico, noſtrati loquor) ſcripturas interpretantur, una & ſimplici voce in hoc textu utuntur. Septuaginta Interpretes eam vocem uſurpant in divino illo diplomate quo Deus Adamo Regimen & imperium in creaturas delegat. Gen. 1. πληρώσατε τὴν γὴν ⊂ κατακυριεύσατε αὐτῆς. Quo in loco non ita vecors es ut putes Adamo conſeſſam fuiſſe in res creatas κακοῦργον καὶ τυραννικὴν ἐξουσίαν. Sed ego & oleum & operam perdo, dum te aſinum litteras doceo. Audiamus quid proxima nota tinniat.

Sed qui ſe Petri ſucceſſorem mentitur quid agit? oblitus ſuæ (18) vocationis & paſcendi labores aſpernatus, in medio luxuriæ, qua frangitur, immoderata & acerba Dominatione, gregem, cui tanquam Tutor bonus præeſſe debuit, ut crudeliſſimus opprimit Tyrannus.

18. R. S. pag. 22. *Hic author blatterat ad libidinem, ut ſolet.*

I. B. Iam mihi familiaris eſt tua canina facundia καὶ πανοῦργος βωμολοχία. Sed quia nihil hæc ad controverſiam, nolo pluribus reſpondere convitianti.

(19) Subjungit idem cap. 2. *Subjecti eſtote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum, ſive Regi qui ſupereminet, ſive præſidentibus, ut qui per eum mittuntur.* Hæc mens erat, hic animus optimi illius paſtoris, qui ſicut exors auri & argenti, ſic intactus à Dominandi libidine remanſit: Verum in animos ſucceſſorum, loco moderationis Apoſtolicæ, & civilis obedientiæ, quam ſummo magiſtratui debent, peſtilens ambitionis invaſit contagio, ut Regum principumque capita depreſſerint ad oſcula ſolearum.

19. R. S. pag. 22. *Hic locus non facit ad rem.*

I. B. Neſcio quæ te momorderint larvæ, adeo infrunitus & furiens es. Conſequentias rerum & rationis cernere proprium eſt hominis, in quo quanto quis tardior, tanto brutis propior. Videamus ergo quid ad quæſtionem probandam argumenti ducitur è loco quem citavi. Quæſtio eſt. *Num Chriſtus ante ſuum è Terris exceſſum Monarchiam in Eccleſia conſtituerit nec ne.* Negat id veritas, affirmant Romanenſes. Veritatis ſententiam in ſecunda Elenchi editione pluribus ſtabilivi argumentis, quorum hîc nonnulla repetam. *Chriſtum reſpuiſſe & refugiſſe oblatum ſibi regnum: herciſcundæ hæreditatis arbitrium rejeciſſe; Cæſari ſolviſſe Tributum: obſequium erga Imperatorem omnibus injunxiſſe. Apoſtolorum de primatu certantium pravam ambitionem increpaſſe. Coram Pilato in publico Tribunali poteſtatem omnem & imperium terrenum abnegaſſe. Denique exemplo & Doctrina ad humilitatem Apoſtolis ſuis præiviſſe. Apoſtolos autem quæcunque à magno hoc propheta, (quem Patris ſui ſa-*

pientiam ſacra litteræ vocant) acceperant, humano generi fideliter teſtata reliquiſſe: Cum vero nec Chriſtus ipſe nec Apoſtoli caput ullum Eccleſia præter ipſum Chriſtum agnoſcant, qui tamen in præcipiendo erga Magiſtratum ſæcularem obſequio diligentiſſimi fuere, dubium non eſt,]quin ſuppoſititium ſit Romanum hoc caput & enſe verbi divini reſecandum.

Cæterum doctrinam obedientiæ principibus præſtandæ quam maximus Magiſter tam accurate docuerat, Diſcipuli non frigidè commendarunt Chriſtianis: Inter cæteros D. Petrus cum ad explicanda Civium erga Rectores officia perveniſſet, hoc inculcat diligenter ut *ſubjecti ſint cuivis humanæ ordinationi.* Quod præceptum Catholicæ & militanti Eccleſiæ datum, hoc nititur fundamento, quia ſic Dominus voluit, ſic juſſit, *obedite regnantibus propter Dominum.* Ergo ne Chriſtiani in libertatem ſpiritualem à Chriſto aſſerti Principum quoque obſequio ſe emancipatos crederent; ordinatione Dei ſic conſtitutum ait, ut principibus obediant. Iam vero ne Epiſcopis tam præſtanti & excellenti dignitate muneris præditis ſuperbior aliqua cogitatio obreperet, & illis *cap. 5.* imponit frænum, prohibita *Dominatione in clerum.* Ex quo Apoſtoli præcepto ſic colligo. *Si gregi ſuo Dominari non debet Epiſcopus, ergo nec muneris ejuſdem ſociis, Principibus vero & Regibus multò minus:* Atqui ſi dominari non debet, debet parere ſaltem regentibus civitatem, in qua pari jure cum cæteris civibus, eademque ſubjectione illis vivendum eſt. Nam omnibus in humana ſocietate viventibus præcipitur, *Subjecti eſtote cuivis humanæ ordinationi.* Quibus ſic explicatis argumento quod tu culpas, egregiè conſtat ſua ratio.

Si Apoſtolus Chriſtianis omnibus erga principes obſequium imperat, tum nullus Epiſcopus conſtitutus eſt Eccleſiæ Monarcha. Antecedens patet. Nam cap. 5. Epiſcopi curam *paſcendo grege* definit omni excluſa dominatione. Tangit igitur hoc mandatum Chriſtianos omnes in parendi conditione poſitos: Nam cum hominum univerſitas in Rectores & ſubditos dividatur: Rectoribus ſummum rerum judicium à Domino conceditur, relicta ſubditis obſequii gloria. Quare cum Epiſcopi ſubditis annumerantur ab Apoſtolo, (vetat enim illos *Dominari*) dubium non eſt, quin eadem cum cæteris civibus obedientia Regentium juſſis parere debeant; quæ cum excuſſerit Latialis tuus Iupiter & ipſe ſibi imperium arrogaverit, reus læſæ Majeſtatis Divinæ & ordinationis Dei perduellis haberi debet. Conſequens autem ſyllogiſmi tam neceſſaria eſt, ut à nemine negari poſſit, cui neque frons deperiit, nec obbrutuit animus.

Nunc autem Cæleſtis ipſius magiſtri ſententiam audiamus, qua corruptos ambitione diſcipulorū animos ad ſanitatem reduxit, ut apertum fiat quantum à ſalutaribus Chriſti monitis, abierit arrogans Paparum ſuperbia.

Chriſtus enim, cum ſimultatem inter ſe de principatu magnis contentionibus agitarent diſcipuli: *ſcite* inquit *principes gentium in eas dominari, & magnates authoritate uti in eas. Verum non ita erit inter vos: ſed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, eſto veſter miniſter, & quicunque voluerit inter vos primus eſſe, eſto veſter ſervus.* Matth. 20. 25. quâ moderatâ Chriſti monitione non ſolum æger diſcipulorum animus, ſed Pontificum quoque malæ mentes ſanari potuiſſent, niſi penitus in viſceribus inſedisſet malum.

lum. Qualis enim in Eccleſia Monarchia fingi poteſt, ubi more Principum imperia exercere nefas habetur?

20. R. S. pag. 24. *Hic locus oſtendit authorem eſſe imperitum Græcæ linguæ. Nam κατακυριεύειν Græcorum aliud nos docet.*

I. B. Teneas Damaſippe tuis te. Satis onerosa tibi tua inſcitia eſt. Sed jam cur iratus conviciaris? quia D. Lucas τὸ κυριεύειν ponit pro eo quod κατακυριεύειν Divi Matthæus & Marcus exprimunt? Quia Tyrannicæ dominationis commentum hîc jugulari vides? Noli tam iniquus eſſe, ut me inſimules imperitiæ quia te prohibeo ſtultum eſſe. Rem ipſam videamus. E Matth. 20. Marc. 10. Luc. 22. locis parallelis ſic diſputo. *Quod Chriſtus ipſe familiæ Dominus ſervis ſuis licere noluit, illud facere nefas eſt. Sed Dominari clero licere illis noluit.* Ergo. Minor è verborum contextu probatur, quibus authoritas & Magnificentia principibus licitæ, negantur Apoſtolis. Nam caſtigando ambitionem & ſpes nimias, docet quam immoderata & indecora ſuo muneri appetant, quantoque inter ſe diſcrimine civilis poteſtas & Eccleſiaſtica functio diſſideant. Subjungit enim *principes gentium dominantur illis & Reges exercent autoritatem in illas, ſed non ita erit inter vos.* E quibus Domini *verbis emanat hoc argumentum. Id quo princeps populi diſtinguitur à Paſtore Gregis, nec convenit Paſtori neque decorum eſt. Sed dominii poteſtate & ſplendore titulorum diſtinguitur. Ergo nec dominium neque titulorum phalera paſtorem & miniſtrum decent.* Vult enim Chriſtus Eccleſiæ miniſtrum non Regibus Terræ, ſed ſibi ſimilem eſſe, humilitatis & modeſtiæ exemplo. Sed tuus Papa cujus imaginem refert? Chriſtine vel Regis? Regium faſtum ubique, Chriſti humilitatem nuſquam video.

Verum hujus argumenti vim quia Tyrannicæ Dominationis prætextu eludunt veteratores veſtri, operæ pretium eſt in refutanda illa inſania diligentiorem operam impendere. Non rem ipſam hoc eſt dominationem damnavit Dominus inquiunt, ſed rei modum, hoc eſt acerbum, impotens & crudele regimen. Quâ hoc eſt leve & ἐυέλεγκτον? Chriſtus enim non à Regni qualitate ſed ipſo Regno deterret Apoſtolos. Nec enim ait, eritis Reges & Domini, modo improba illa dominandi flagitia non imitemini, quæ quidam inter Gentes exercent: Sed omnimodam Regni & imperii uſurpationem illis interdicit, etiam talem quæ à Regibus non illaudatis exercebatur. Nec enim vox ἐθνων hîc in ſequiorem partem accipitur, ſed quia Iudæorum Regnum in provinciam redactũ erat, & nemo principũ adhuc Sacramentũ Chriſto dixerat, ab ipſis Ethnicis exemplũ petit imperii quod Apoſtolos nolebat æmulari: quaſi dixiſſet. Paſſim in orbe Regum eſt in ſuos cives imperium: ſed ejuſcemodi imperium exercere non eſt officii neque muneris veſtri. Fruſtrà igitur de dignitate, quæ vobis indecora & inutilis eſt, ambitione contenditis. Hic loci ſenſus hæc ſententia eſt: quam fruſtra mangones veſtri adulterare ſtudent putidiſſima diſtinctiuncula, inter rem & modum rei. Nam Chriſtus cum prenſantes caſtigat Apoſtolos, id modo culpat quod votis illi & deſideriis ſuis fovebant: Quis autem dicat illorum vota ad Tyrannidem & impiam dominandi licentiam aſpiraſſe? Id ſolum ſpe & ambitione affectabant; imperare ſubditis & legitimo regimine inferioribus præeſſe: cur enim præſumantur viri boni repentè mali eſſe, imo ad tyrannidem omnium malorum extremum feſtinare? & tamen diſerta prohibitione etiam legitimæ dominationis ſpem & expectationem omnem Chriſtus illis abrumpit.

Sed quia contumaciter veſtri pugnant pro Tyrannide, non me piget in hac contentione diutius immorari. Age, interpretare quam potes rigidiſſime Chriſti verba: non tamen efficies *ut vetita Apoſtolis dominatio, alia ſit ab*

ea quam principes Gentium ea tempestate exercebant: at illam non semper & ubique Tyrannicam fuisse fateare necesse est, si ἀνεμέτρητα vocem intelligis: Patres enim & nutritii ob beneficia sua à gratis civibus multi nominati sunt. At benefacere subditis & imperare clementer cum exitiosa Tyrannidis lue non convenit. Iam dominatio illa & potestas quæ dimanare à Christo & ab ipso regi, ab Apostolis vero tanquam ministris exeri tantum & administrari debuit, tyrannica esse non poterat, nisi velint κατὰ τὸ χρεὼν βλασφημεῖν, Sed potestas illa quam Zebedæi proles affectabat, illius natura fuit. Sedere enim ad Christi dextram & sinistram, quid aliud est quam potestatem ab ipso acceptam, & eo quo acceperant modo exerere in subditos? At mitissimus erat Dominus, & nullum nisi clemens imperium ab illo vel accipi poterat vel sperari. Quod ipsum tamen cum petentibus & ambientibus negatum fuerit, quis credat idem succedentibus inposterum Ministris & Pastoribus fuisse indultum?

Veruntamen Richarde si tibi in his anguſtiis constituto liberaliter concesserim solam hic Tyrannidem excludi, quomodo Papam tuum probabis non exclusissimum esse? Quem Tyrannum immanem calumniis, rapinis, cædibus, vastantem genus humanum Christianus orbis jam nimium diu inter gemitus & suspiria patitur.

Et hîc defunctum jam abunde responso & progredi parantem, revocat me vestrorum hominum impudentia, qui ex loco D. Lucæ, Cap. 22; quo nullus imperio Papæ infestior, dominationem tamen illius egregie stabiliri contendunt. Sic enim apud Lucam verba sonant. *Qui maximus est inter vos, esto sicut minimus: & qui ductor vel dux est, sicut qui ministrat.* Græcè *ὁ μείζων ἐν ὑμῖν ὡς ὁ νεώτερος· & ὁ ἡγούμενος ὡς ὁ διακονῶν.* ergo inquiunt, *unus à Domino, Coryphæus, Dux & Monarcha constitutus.* Sed antequam huic impudentiæ os occludimus, conferamus reliquorum Euangelistarum loca. Sic Matth. 20. *Non ita erit inter vos; sed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, esto vester minister; & quicunque voluerit inter vos primus esse, sit vester servus.* Marcus ita 10. *Verum non ita erit inter vos; sed quicunque voluerit fieri magnus inter vos, sit minister vester; & quicunque ex vobis voluerit primus esse, sit omnium servus.* Quæ verba cum ab eodem spiritu dictata sint, eundem quoque cum prioribus sensum obtinent. Itaq; quod apud Lucam est *Qui maximus est inter vos*, à Marco exponitur. *Quicunque voluerit fieri magnus inter vos.* His positis non video quid hinc accedat imperio Papæ. Nullus hîc particularis denotatur: nemini nominatim provincia imponitur. Vox enim *ὁ ἡγούμενος* indefinita est apud Marcum: ut *ὁ μικρότερος* apud Lucam: ut in hoc ipso loco *ὁ νεώτερος* & *ὁ διακονῶν*. Tam enim huic quam illi, tam generatim omnibus quam singulatim alicui, hæc applicari possint quæ in illo colloquio geruntur: erat enim omnium eadem conditio & eodem ambitionis valetudinario ægri laborabant singulorum animi. Omnes quippe primi esse, omnes præcellere & reliquis imperare cupiebant. Nam quanquam indignati fuisse cæteri dicantur, non ideo est, quod animus illis vitio ambitionis vacuus erat, sed quod duorum fratrum prensationem ut astutam nimis & muliebri quoque ambitione subnixam oderant.

Quare si hoc fundamentum subditis Dominationi Papæ: Papæ! quanta vos obruet moles absurditatum? *Prima est. Aut omnes Apostolos fuisse Monarchas; aut nullum.* Ducatus enim ille de quo ibi sermo est, tam ad omnes referri debet; quam ad unum aliquem illorum: *orta enim erat inter omnes contentio quis illorum esset maximus.* Tu Richarde utrum horum mavis accipere. *Secundo vero. In hodiernum usque diem incertum esse quis Apostolorum Monarcha constitutus fuerit:* ideoque Romanam Ecclesiam quæ Petro successisse videri vult, haud sane indisputabili jure niti. Nam *ὁ μείζων ὡς ὁ ἡγούμενος* tam

Iacobo,

Iacobo, Iohanni, Matthæo debiti tituli, quam Petro fuerint. Nullo quippe nominato, nullus quoque ſecluſus creditur. Hæc gangræna Richarde digna eſt te Æſculapio. *Tertia autem. Petro ſaltem, ſi cui forte, non fuiſſe commiſſum principatum.* Inquit enim Dominus. *Qui maximus eſt inter vos.* At Petrus inquiunt veſtri, maximus erat & Dux Apoſtolorum. Ergo ſervus, ergo Minimus. At minimus & humillimus omnium ſervus quomodo jam Dux erat & Rector, & Dominus, & Monarcha, non illorum modo, ſed totius Eccleſiæ? Hic nodus Richarde dignus eſt tuo perſpicacis ingenio.

Sed ut authoritatem ſententiæ, qua condemnatur uſurpatum Pontificis imperium, elevarent Tyranicæ libidinis ſatellites, abſurdam meherculè & novam commenti ſunt explicationem, cujus recitandæ quanquam me pigeat, tamen ea non fraudabo lectorem, ut tandem exſanguis illa frons (21) Ieſuitarum ad nugamenta ſua diſcat erubeſcere *Quicunque veſtrum*, ajunt, *voluerit magnus fieri:* (22) Sermo conditionalis eſt, quo nec mandatur quicquam, neque prohibetur; ſed indicatur modò licere unicuique maximo fieri, hac lege & his conditionibus, ut una cum magnitudine & faſtigio imperii, conjungat humilitatem ſerviendi. Hâc conditione regnare Pontificem, his artibus illum graſſari ad dominationem. Eſſe quidem regnorum arbitrum, & Chriſtianæ reipublicæ primatem, ſed ſervum interea ſervorum & ad infimorum ordinum lavandos quoque pedes, vili miniſterio ſua ipſius humilitate, & moderatione abjectum.

21. R. S. pag. 25. *Tu docebis Ieſuitas* Ὁ κόρχορος ἐν λεχάνοις.

I. B. Tuam & Ieſuitarum contumaciam illi edomandam relinquo, qui ſolus cor lapideum carneo commutat. Impietatem autem, rabiem, malitiam, calumniam Deo vindici committo: certus infelix illud lolium, quod non plantavit manus Domini, aliquandò ſubvulſis radicibus abiturum in ignem.

22. R. S. pag. 25. *Huic ſuæ objectioni non reſpondere poteſt.*

I. B. Quia putida, inepta, miſeranda denique erant, contemptu an indignatione, ſciens certè præterii: nominatis modo nugis, ne ſuo riſu fraudarem lectorem. Sed quia tu graviſſime vindex, objectionem hanc inſtar Gordii nodi indiſſolubilem facis: age in tui gratiam, illam ſecabimus: ut eadem opera palam fiat quam protervè vos ſacris litteris illudatis. Sermo enim Chriſti *conditionalis* non eſt, ſed categoricus omnem inter Apoſtolos dominationem ſtrictè prohibens. Sed ut clarius eniteſcat veritas, ipſam Sermonis occaſionem, & ſingulorum Euangeliſtarum verba evolvamus. Contentio quædam inter Apoſtolos incaleſcere cæperat de primatu: Nam cum animi eorum nondum ſatis excocti eſſent igne S. Spiritus, terrenæ ſæpius cogitationes eos degravabant in fluxas ſæculi curas: putabant enim Chriſtum ideo veniſſe, ut ſplendidum & opulentum in terris inſtauraret imperium, in quo varii dignitatum honorumque gradus bene meritis aſſignarentur: ergo infectis ambitione ſtatim cupido dominandi irrepſit, & appetitus principatus: de quo pares ante & per omnia æquales ne quidem per ſomnium cogitaverant. Apoſtolorum igitur ambitio, æqualitatē dedignantium, Chriſto patefecit occaſionem ſermonis quo mentes improvidas & oblitas ſui modeſtiæ ad-

ſtiæ admonet & humilitatis. Qui ſermo Domini his à Matthæo verbis narratur. *Non ita erit inter vos: ſed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, eſto veſter miniſter &c.* verbis ſanè non conditionatis ſed rotundè præcipientibus. A Marco ſic: *Verum non ita erit inter vos: ſed quicunque voluerit fieri magnus inter vos, ſit miniſter veſter &c.* Ne umbrâ quidem conditionis relictâ. A Luca hoc modo. *Vos autem non ita; ſed qui maximus eſt inter vos, eſto ſicut qui minimus eſt &c.* Et verbis paulo aliis ſenſu eodem, dominatio ſimpliciter & abſolutè prohibetur. Et ne verbis fortaſſe deeſſet efficacia, vi ſui exempli eos erudire perrexit Dominus. Ego, inquit, autoritate nulla utor, Dominium nullum exerceo, imperium non uſurpo: vos Diſcipuli nolite ſupra Magiſtrum ſcandere, non eſt ſervus major ſuo Domino. Verum Richarde, non animadvertunt tui Ieſuitæ quod eodem inexplicabili nodo trium abſurditatum ſemet induant, ſi conditionalis hæc accipiatur locutio, quo irretitos præcedenti diſputatione reliquimus: illo donec à te ſolvantur, acquieſcam dictis, & verbum non amplius addam.

Hæc ſunt illa ludibria, quibus incautos circumveniunt, prudentioribus ſtomachum faciunt, ſed illa nos irriſu dignati, redeamus ad Catalogum Pauli Eph. cap. 4. v. 6. quo functiones illas omnes, & ordinarias & extraordinarias recenſet, quæ tum in Apoſtolorum Eccleſia vigebant, cui vel doctrinæ ſinceritate vel ſanctitate diſciplinæ ſuam, ſi modo pudor eſt, comparare Pontifex non ſuſtinebit. Igitur in hoc Catalogo Paulus ait (23) *Chriſtũ dediſſe alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas, alios autẽ Paſtores & Doctores ad concinnationem integram ſanctorum, ad opus miniſterii, ad ædificationem corporis.* Recenſitis utique functionibus illis quarum adjumento ædificatur ædis Dei, mirum videri poſſit Eccleſiæ Principem, & Architectum tanti corporis, tam illuſtre caput, quaſi derogante dignitati ſilentio indictum præteriri.

23. R. S. pag. 27. *Paulus non hîc meminit Epiſcoporum, Diaconorum, Sacerdotum. Itaque Paulus non omnes functiones attingit. Præterea, D. Bernardus Papatum vocat Apoſtolatum, ideoque Papa ſub nomine Apoſtoli intelligi poteſt.*

I. B. Sane hoc in loco tam putidè ineptis Richarde, ut ferè rationis ſit te ad ſanam mentem iiſdem conviciis excitare, quibus tu per animi libidinem & petulantiam in me abuteris. Sed quia pudoris apud te minima jactura eſt, fruſtra expectem ut Theologiæ & dialecticæ juxta rudis, ad ignorantiæ tuæ infamiam erubeſcas. Argumentum quod tu arrodis in Syllogiſmi formam reductum ſic habet. *Si inſtitutus eſſet à Chriſto Eccleſiæ Monarcha, Paulus illum indictum non præteriret in Catalogo ſervientium Eccleſiæ. Sed indictum præteriit Paulus. Ergo nullus à Chriſto fuit inſtitutus.* Pauli ſanè catalogus Illuſtris eſt, & in quo nullus Eccleſiaſtici miniſterii gradus exſors Collegæ eſt. Omnes quippe plurali numero exponuntur. Quæ Miniſtrorum Collegia quanquam in ſuas quæque claſſes redigantur (diſcriminantur enim Apoſtoli à Prophetis, prophetæ ab Euangeliſtis, Euangeliſtæ à Paſtoribus) Apoſtoli tamen eodem inter ſe jure & pari dignitate ſunt: eademque in reliquis claſſibus perſonarum æqualitas: nec enim unus alterum excelluit, niſi inani

homi-

hominum rumore & fama quam in Corinthiis damnat Apoſtolus. 1.Cor.3. Commemoratos vero ordines ad ædificandam Eccleſiam abunde ſufficere docet his verbis: *ad coagmentationem ſanctorum donec evadamus omnes in unitatem fidei.* Quare mirum videri debeat Apoſtolum ex inſtituto recenſentem omnes operas quorum miniſterio in fabrica Eccleſiæ Deus vtitur, Caput ipſum, unde in cæteros regimen, omiſiſſe.

Cui ſano probetur tam oſcitanter rem tantam à diligentiſſimo Apoſtolo fuiſſe prætermiſſam? Nulli ſane niſi Richardo noſtro Arcadico juveni: qui errorem non verecundatur mendacio defendere, & mendacium impietate inſignire. Sic enim inquis, *Paulus hic non meminit Epiſcoporum, Diaconorum, Sacerdotum &c.* Deinde ſubjungis *D. Bernardus Papatum vocat Apoſtolatum, ideoque Papa ſub nomine Apoſtoli intelligi poteſt.* Sane Richarde malam tibis hoc mendacio gratiam apud Ieſuitas tuos, qui non Epiſcopos tantum ſed ipſum Papam invenerunt in hoc catalogo: ſed tibi oculi hebetiores ſunt: juvabo igitur ἀμβλυωπίαν tuam, & detergam lenticulam quæ obtundit aciem: *Chriſtus*, inquit Apoſtolus, *dedit alios Paſtores & Doctores.* Iamne Epiſcopos vides Richarde? Nonne munus, imo ipſa Epiſcopi eſſentia eſt docere & paſcere? cave neges: nam temeritatem tuam ipſi Ieſuitæ aſpernabuntur: increpabit D. Paulus. Actor. 20. v. 28. caſtigabit D. Petrus. 1. Ep. c. 5. v. 2. Sed *Diaconorum* inquis non meminit. Quid tum? Non enim in ædificanda domo Dei, non in prædicatione verbi, non in adminiſtratione Sacramentorum munus illorum verſabatur: utpote qui pauperum ærario præfecti ultra Eleemoſynas curam non extendebant.

At ſacerdotes inquis non recenſuit? Quomodo non ſibi tantum ſed toti Eccleſiæ ignotos recenſeret? Nullus enim præter Chriſtum ipſum illo titulo cognobilis erat: nondum excluſo illo inſectorum genere quod hodie ſacrificulorum nomine in Eccleſiam advolavit. Cum enim reali ſacrificio ſemel perfecto, ſpirituales tantum victimæ à Chriſtianis requirantur, nullus quoque in Eccleſia niſi metaphorice ſacerdos nominatur. Quare cum ſacerdotulos illos Eccleſia ignaraverit, rectius feceris ſi illos in Antichriſti matricula quam in Eccleſiæ Chriſtianæ catalogo perquiras.

Sed redeamus ad verba Apoſtoli qui nominatos in hoc loco teſtatur *ſufficere ad Coagmentationem ſanctorum, ad opus miniſterii, ad ædificationem Corporis Chriſti, donec evadamus in unitatem fidei.* Verum tu Richarde, impia temeritate id pernegas, inſimulato negligentiæ Apoſtolo, *quod Epiſcoporum, Diaconorum, Sacerdotum non meminerit, ideoque functiones omnes quibus eget Eccleſia non attigerit.* Quod irreligioſæ mentis ἀσέβημα, cenſuræ bonorum & ſupplicio divino relinquo. Cæterum cum hoc apud pios conſtet, in illo catalogo non tantum perpetui & ordinarii miniſterii gradus ſed extraordinarii quoque & pro tempore tantum inſtituti enumerari, amabò Richarde in cujus generis claſſem vos Ieſuitarum pueri Papam coniicitis? cum enim in neutra Paulus eum recenſeat, ſcire pervelim ubi παραργία veſtra eum collocaverit. Cui quæſtioni meæ ſi authoritate divina ſatisfeceris, habebo tibi gratiam: nam humanæ in re tanta piget.

Sed tu D. Bernardum advocas, Apoſtolis Papam inſerentem, & Papatum Apoſtolatus nomine inſignientem. Sane cum ego teſtem exceptione majorem deſidero, tu mihi illum profers qui egeat alio teſte: non quod egregii viri apud me levis ſit authoritas, ſed quod in tanto negotio ubi Angelorum aliena docentium reſpuendum eſt teſtimonium, non alia quam ſcripturæ autoritate permoveri velim: illa vero cum de tuo Apoſtolo ne verbum fecerit parum me movet, quid de illo D. Bernardus judicaverit. Sed his omiſſis, Richarde, ſi faſtum animi tui ad Scripturæ ſobrietatem poſſis dimittere, videbis

debis ilico Bernardinum illum Apoſtolum furtivis tam ſplendentis tituli coloribus exui. Nam Apoſtolum Scriptura duabus quaſi notis ἀναντιῤῥήτοις muneris & poteſtatis conſpicuum & ſupra cæteros eminentem facit: quæ ſi Papæ non adſint quomodo merit Apoſtolatus? *Munus* Apoſtoli eſt, erudire genus humanum, nulli regno, nulli genti adſtrictum, ſed iiſdem finibus quibus orbis Terrarum circumſcriptum. *Ite, docete omnes gentes. Poteſtas; non ab homine neque per hominem ſed ἀμέσως ab ipſo Deo data.* Iam verò Bernardi Apoſtolus mandatumne accepit *docendi omnes gentes?* Num *poteſtas* illi ſine ſuffragiis hominum, ſola Dei mandantis autoritate, collata fuit? Quid dicemus Richarde? Cum Apoſtoli notæ & γνωρίσματα nuſquam ſint; Titulum quoque ut in aquis bullam & πομφόλυγα defluxurum eſſe.

Sed illius in Eccleſiam imperium, ea tempeſtate notum non erat, uſumque ſecundarii capitis in Eccleſia non ſupervacuum modò, ſed exitiabilem indicat Apoſtolus. Qui ad Cor. 1. cap. 3. v. 22. *omnia veſtra ſunt* inquit, *ſive Paulus, ſive Apollos, ſive Cephas. Cephas igitur, Apollos, Paulus, non dominantur Eccleſiis, ſed inſerviunt; nec unus eſt ſupereminens reliquos, cui traditum ſit imperium.* Illud enim hoc loco ſatagit Apoſtolus, ne miniſtris ſuis quantumvis egregiis nimios & immodicos honores, incauti & ſimplices mortales attribuerent, ne dogmata illorum & ſententias cæca credulitate arriperent, ne denique miniſtros reſpicerent, penderentque ab illis; ſed Chriſtum intuentes eidem inniterentur. Ait enim *omnia veſtra ſunt*, hoc eſt, omnia vobis & uſui veſtro commodiſque inſerviunt: Non igitur unus aliquis imperat Eccleſiæ, ſed omnes eidem pariter more ſubditorum obſequuntur: Nam ſicuti Chriſtus quà mediator Θεάνθρωπος Deo Patri, Eccleſia Chriſto, ſic Apoſtoli, ſic ipſe Cephas Eccleſiæ ſubjiciuntur.

Sed quid ſibi vult quòd hoc in loco Paulum & Apollinem Cephæ præponit? Equidem ſi vicarium Chriſtus imperium Cephæ delegaſſet & Monarchali poteſtate virum inſtruxiſſet, admonuiſſet officii ſui Corinthios Apoſtolus, ut cum qua par eſt reverentia, principem & moderatorem à Chriſto conſtitutum, ſuſpicerent & admirentur, ut mandatis illius omnibus, & juſſis ſine tergiverſatione obtemperarent. Sed nihil horum: permiſtus reliquis nulla prærogativa conſpectior eſt.

At hic obmurmurant Pſeudo-Catholici, quanquam Apollos, Cephas, & Paulus indiſcriminatim hic recenſeantur, inde tamen haud quaquam colligi poſſe, nullo ſingulari, vel principali jure Cepham præ reliquis evaluiſſe. Sic enim Chryſoſtomus, ajunt, Homilia 8. in Matthæum loquitur: *Si dux quiſpiam, ſi conſul, ſi is qui diademate ornatur, indignè adeat, cohibe & coerce:* Vnde tamen argui nequit,

nequit, & duces & conſules, & Imperatores, dignitate pares eſſe.

Quaſi verò nobis hoc propoſitum foret, omnium in omnibus paritatem aſſerere: nec enim hæc noſtra mens vel ſententia eſt: quod Apollos ſcilicet in omnibus & per omnia, vel Paulo vel Petro ſit æquiparandus. Sed in hoc tantum omnium illorum paritas ab Apoſtolo perhibetur, quod à nemine illorum tanquam Principe & moderatore regimen in cæteros debet uſurpari. Sic illi quos Chryſoſtomus enumerat, etſi dignitate & exiſtimatione, immenſa diſparitate diſſideant, tamen in eo pares ſibi mutuo fuerunt, & æquales, quod illota & impura mente, ſi accederent, à ſancta menſa, & cibo cæleſti ſint abigendi.

Sed rurſus obſtrepunt: Eccleſia ſi miniſtris, qui propter Eccleſiæ commodum & utilitatem inſtituti ſunt, authoritate & jubendi jure præ-valeat, omnino ſequitur, ut pueri pædagogos, populi Reges ſuos in ordinem redigant, cum tamen in puerorum utilitatem. Pædagogi, in populorum commoda Reges ſint inſtituti. Sed in adductis exemplis magnam eſſe diſſimilitudinem quis non videt? Reges enim & illorum imitatores pædagogi, cogendi, animadvertendi, puniendi poteſtatem habent, qua miniſtri carent: tum etiam reipublicæ moderatores, & ſcholarum Reguli imperium ſuum adminiſtrant, prout expedire ſubdit is maximè viſum eſt; Eccleſia verò legibus illis & inſtitutis moderanda eſt, non quæ miniſtri maximè probant, ſed quæ Chriſtus inſtituit & promulgavit.

Verum hæc operoſius refellere injuria tempori fuerit. Hoc agamus igitur ut præcidamus omnes anſas, quibus imperium hoc Pontifices arripuere, conſideremuſque ipſam gubernandi formam qua Chriſtianam Eccleſiam Apoſtoli moderabantur: illa debet enim eſſe propoſita nobis ad imitationem & exemplar. Hanc igitur (24) Ariſtocraticam fuiſſe, probatur hoc argumento, quod particularium ſimul & conjunctarum Eccleſiarum gubernatio talis erat.

24. R. S. pag. 28. *Eccleſiam primitivam eſſe ariſtocraticam quando probaveris, te Apoſtolum, aut Euangeliſtam eſſe putavero.*

I. B. Novimus ſordidum tuum dentem & probra linguæ circulatricis. Sed miſsâ tua ſcurrilitate, hoc agamus: audiamuſque D. Paulum de lite tota ferentem ſententiam. videris enim, neſcio quo ſubitæ bonitatis impetu, Apoſtolum non contemnere: *Vnicuique noſtrum* inquit Eph. 4. v. 7. *data eſt gratia pro menſura doni Chriſti.* Non uni data plenitudo poteſtatis, ſed ſua cuique diſtributa portio eſt. Rectè. Veruntamen ſi ducem unũ prætoremq; toti præfeciſſet Chriſtus Eccleſiæ, nonne hoc loco tanti doni tantæque poteſtatis meminiſſet Apoſtolus? At ille tantum abeſt à commemoranda plenitudine & excellen-

excellentia hujus doni, ut contrarium doceat, & quod ejuſcemodi ὑπεροχὴ omnino tollit. Subvectus enim in cœlum Chriſtus *dona dedit hominibus*, inquit; non prodit autem quod in unum aliquem omnem eorum plenitudinem, totumque copiæ cornu effuderit. Atque hoc μέτρον admenſæ unicuique gratiæ non Chriſti, in quo donorum infinitas, ſed hominum reſpectu qui ſinguli ſingulorum donis in mutuam utilitatem indigent, accipiendum eſt: nam ab hac partiaria donorum fruitione argumentum ducit Apoſtolus, quo Chriſtianos ad unitatem hortatur, ut collatis in medium uniuſcujuſque donis ut ſibi quod deeſt alter alterius copia ſuppleat. Ergo ſi gratiæ portio ſingulis κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ χριστοῦ diſtributa fuit, unicuique eorum plenitudinem velle aſcribere inſanum fuerit. Antecedentem ipſe Apoſtolus aſſerit: conſequentem vero quis neget qui μετρὸν & πλήρωμα opponi noverit? Quare concluſio legitima eſt. Nullum Apoſtolorum plenitudine donorum & ſuperexcellenti poteſtate quæ reliquis imperaret inſtructum fuiſſe: Sed totam Eccleſiam Ariſtocratica moderatione & æqualitate temperatam ea tempeſtate fuiſſe.

Verum ſi tuæ pietatis impetus nondum elanguit, audi Euangeliſtam Iohannē Cap. 20. v. 21. Vel potius Chriſtum ipſum in Iohannis hiſtoria loquentem. *Sicut me miſit pater ſic ego mitto vos.* At quomodo miſſus fuit Chriſtus? ut humilitatis & patientiæ exemplum. Apoſtolos eandem humilitatem in mandatis habuiſſe certum eſt: mittebantur enim ut æmuli & imitatores modeſtiæ Domini, cujus hoc unicum negotium fuit, hominibus aperire conſilium Dei: in quo munere cum ſibi legatos jam abiturus ad Patrem, eligeret non unum cæteris imperaturum, ſed omnes pari autoritate uſuros legit. *Ego mitto vos* inquit, non te, Principem, Ducem, caput reliquorum. In pari labore par omnibus dignitas. In qua legatione ſi æqualitatem ſociorum & Ariſtocratiæ vivam imaginem non vides, quo te collyrio juvabimus?

Sed audi rurſus Dominum in hiſtoria Matthæi 28. v. 19. 20. *Profecti ergo*, inquit, *docete omnes gentes &c.* Et *ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus &c.* Quos hic alloquitur, nunquid omnes? Nonne pariter omnibus ſe promittit adfuturum? Ita certe. Nulla hîc cujuſquam prærogativa, nulla dignitas ὑπερβάτικα, nulla alteri in alterum Poteſtas: pari jure pari gratia cuncti ſunt, pariterque ſingulis adfuturum auxilium Domini. Verum Richarde Doctiſſime, quia exiſtimationi tuæ grave putas doceri à quoquam, doceare tandem à temetipſo. Fateris enim paulo poſt ligandi ſolvendique poteſtatem Apoſtolis promiſcuam fuiſſe. At illa poteſtas cum ſumma & præcipua fuerit in Eccleſiæ regimine, jam crede tibimetipſi, Apoſtolos, in ea imperii parte pares, in cæteris quoque æquali jure fuiſſe & authoritate: Vnde neceſſario ſequitur Eccleſiæ regimen quod ligando ſolvendoque potiſſimum exercetur fuiſſe Ariſtocraticum.

Ac de particularis Eccleſiæ regimine Ariſtocratico, dubitationem omnem tollit effatum Chriſti Matth. 18. v. 17. *Quod ſi neglexerit eos audire* (25) *dic Eccleſiæ* hoc eſt, Eccleſiæ conventus, concilio, vel ſenatui, non ſibimetipſi, non uni, qui præter cæteros præcipuus omnem autoritatem ſibi arrogat. Nam quem Chriſtus de præfractis in Eccleſia jubet cognoſcere, eundem ligandi, ſolvendique poteſtate inſtruxit, quæ non unius (26) hominis, ſed Eccleſiæ univerſæ propria eſt. Eodem quoque loco cum Apoſtolos ſuos autoritate Chriſtiana exornat, non unum aliquem

aliquem cæteris præfecit, sed jure pari pares uti jubet. Ait enim, (27) *quicquid vos ligaveritis*: non tu qui reliquis imperitas, sed quicquid consentientibus suffragiis vos unius ejusdemque potestatis consortes & socii ligaveritis.

25. R. S. pag. 29. *Dic Ecclesia, id est Ecclesia summis Pastoribus ut exponit Chrysostomus. Praterea nonne Christus fuit Ecclesia Princeps, quando ista verba protulerit? Itaque Ecclesia fuit Monarchica non Aristocratica.*

I. B. Quo ruis Richarde? cur causam tuam deseris? noli in mei gratiam prævaricari & ἐθελοκακεῖν. Sed dignosco quid te fefellerit. Volebas Chrysostomi nomine & involucris te spectabilem facere: illum si modo suffragatorem tuæ opinionis posses producere, putabas te securum victoriæ: illa jejuna tibi ambitio nocuit. Nec enim animadvertit tua tenuitas ipsis Chrysostomi verbis nugas tuas, discerpi. Nam nec in scripturis nec in patribus tibi est γεγυμνασμένον διαθητήριον. Quid enim pluribus opus est ad probandam Ecclesiæ ἀριστοκρατίαν si te confitente & suffragante Chrysostomo, plures eam sociatis consiliis & laboribus, non unus aliquis absoluta sua autoritate moderabantur. Sane Richarde tædet pigetque me crassæ tuæ ignorantiæ, & pudet tam projectæ & effrontis audaciæ. Nescire quæ sciunt omnes & effutire quod nescias quam stultæ vecordiæ est? Barde ἀναλφάβητα πτωχαλάζων, jamne vides quantum tibi noceat grammaticæ imperitia? Pluralem numerum à singulari non potuit discernere in Chrysostomo, qui in litteris se venditat Aristarchum.

Sed quæ subjungis, nihilo saniora, videamus. *Praterea nonne, Christus fuit Ecclesia Princeps quando ista verba protulerit? Itaque Ecclesia fuit monarchica non Aristocratica.* Iam cum umbra tua digladiaris Richarde. Num hoc inter nos disceptatur an Christus sit Ecclesiæ Princeps? Nonne hoc assiduo clamatur à nostris illum unicum & solum Principem esse? De Papa lis est quem è fastigio principali præcipitem eiecimus: Cur enim admittatur in Regnum ille Tenebrio, quod neque Petro neq; cuiquam Apostolorum patuit? Cur in illius gratiâ Monarchica fiat Ecclesia, quæ incorruptis temporibus & moribus fuit ἀριστοκρατική: sicuti proximè sequenti nota: (scilicet nota 26) non ineptè probas: ais enim *unusquisque Apostolus habuit hanc ligandi solvendique potestatem, nullusque erit qui hanc negaverit nisi sit ἄγνως aut ὄν*. Serve nequam ex ore tuo te judico.

27. R. S. pag. 30. At Matth. 16. *Soli Petro dedit τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν* &c.

I. B. Non ego tantum sed plurimi è tuis optimi malorum, in hoc negotio dixerint te non litare veritati. Imo fortè aliquis studiosior Rhetoricæ Bellarmini, cujus arculæ scatent talibus pigmentis te dixerint mentiri. Sed ego nolim fœdare Chartas ejusmodi myrothecio. Dicunt tamen tui, non hoc loco datas fuisse Petro claves, sed tantum promissas. Ait enim Christus Δώσω σοὶ τὰς κλεῖς. Itaque de periculo te moneo quod apud tuos te manet. Mihi tecum longe alia lis est. Nam si per clavium Metaphoram primatum intelligis, nego vel datas vel promissas Petro fuisse ejus naturæ claves: quod excussa textus genuina sententia manifestissimum evadet. Nam omnis potestas quæ clavium nomenclaturâ illo in loco celebratur, in sola Euangelii prædicatione versatur, cujus hoc munus est annuntiare pœnitentibus remissionem peccatorum & aperire Regnum cæli, præfractis autem & contumacibus supplicia & pœnas indicere & occludere portas Paradisi. In hoc enim curriculo tota ministerii Euangelici exercitatio decurrit. Igitur ubi minister

Ecclesiæ

Ecclesiæ prædicando, exhortando, comminando Euangelium populis annunciat Regni clavibus uti putandus est, quæ vel adytum credentibus pandunt, vel claudunt infidelibus. Clavium usus igitur in Euangelii Prædicatione versatur, cui censuræ potestas & Sacramentorum administratio connexæ sunt. In quo nullas Papæ partes singulares agnoscimus: utpote qui Ministris omnibus à Christo datus magno cum fructu & emolumento Ecclesiæ ab omnibus exercétur.

Demus tamen traditione clavium etiam principatum datum fuisse: quibus tu tandem machinis Richarde Petrum curuli impones? Num illi soli seorsim ab aliis, præcipuo quodam modo promissæ datæve claves fuere? Nihil horum. Gerebat enim Petrus eo tempore personam omnium: Quæstioni quippe omnibus propositæ, omnium nomine respondit: quod familiare illi & usitatum fuit: sic quærenti Christo Ioh. 6. *Num & vos abire vultis*, respondet & sua & aliorum vice *Domine ad quem ibimus? credimus & cognoscimus te esse Christum illum filium Dei viventis.* Sic Actor. 2. v. 14. fædam violentiæ calumniam, non à se tantum, sed à sociis sua unius voce sed communi nomine amolitur. Erat igitur Petrus ob oris & animi promptitudinem orator & veluti ῥήτωρ Collegii; qui suo & aliorum nomine sermones exciperet redderetque. Ergo non soli Petro, sed toti collegio quod ille repræsentabat, respondit Christus.

Quod ipsum clarius evadet ex παραλληλίσμῳ locorum. Nam quod Matth. 16. Numero singulari legitur, *quicquid ligaveris*, id cap. 18. plurali exponitur, *quæcunque ligaveritis*. Sed omnium clarissime è promissionis effectu elucet, qui Ioh. 20. describitur; *Sicut misit me pater, sic ego mitto vos, accipite spiritum sanctum: si quorum remiseritis peccata remittentur iis.* Hic enim non uni Petro, sed toti collegio Apostolorum dantur promissæ claves, sed quid pluribus opus, nonne ipse tu idē asseris nota proxime præcedēte: sic enim ait *unusquisque* &c. Vnde factum etiam ut in Ecclesiæ administratione nusquam se Dominum aut Principem, sed ubique ὑπηρέτην & muneris impositi coadjutorem gesserit. Cujus argumenti ariete corruit tota Babylon.

Sed audiamus ipsum Petrum. 1. Pet. cap. 5. à quo primordia monarchicæ dominationis arcessunt, non ambitioso illo & regio spiritu, sed moderatione Aristocratica loquentem (28) *Presbyteros* inquit *qui inter vos sunt, precor ego unà Presbyter & Collega &c. Pascite Dei gregem qui penes vos est &c. neque ut dominantes cleris &c.* nullum hic monarchiæ vestigium, nullum paris in parem imperium; umbra nulla dominationis.

28. R. S. pag. 30. *Nihil textu isto elici potest contra Monarchicam dominationem.*

I. B. Vt tibi quidem ματαιολόγῳ videtur: sed æquis & cordatis facile apparet quod turbidis ingeniis non liquet. Quid enim manifestius quam Monarchiam hac Petri moderatione excludi? Christum statuit, ut est, Pastorum Principem: Ministros ad pascendi ministerium vocatos prohibet dominari in gregem: unam illis curam, unicum laborem imponit, ut pascant Dei gregem. Nihilne hinc contra Monarchiam elicitur? Expergiscere Richarde & excute veternum. Si Christus unicus Pastorum Princeps est, si subditi Christo Episcopi non dominari gregi, sed eundem pascere tenentur, tum præter Christum in Ecclesia nullus Monarcha; & Episcopi omnes, ut pari munere

sic pari

sic pari autoritate sunt: omnibus enim vetita est dominatio & omnibus injũcta cura pascendi. Quâ re cum æquabili paritate sint, necessario sequitur Ecclesias primitivas æquali quoque jure & authoritate ab illis gubernatas fuisse.

Paulus etiam, ut alias sæpè, sic egregiè in actis cap. 20. v. 28. paria pastorum imperia, parem asserit potestatem. (29) *Attendite*, inquit, *ad vos ipsos & totum gregem, in quo vos Spiritus ille S. constituit Episcopos, quem ille proprio sanguine acquisivit.* Et hæc de particularium Ecclesiarum Aristocratico regimine dicta sunto, consequens est, ut divinis quoque testimoniis convincamus, Ecclesiarum quoque consertarum gubernationem eadem illa ratione fuisse constitutam.

29. R. S. pag. 31. *Cardana subtilitas non viderit in hoc textu ἰσόψηφα potestatis.*

I. B Non est opus acutiori acie ad id videndum quod nemo non perspicit. Ipsis sane Rhemensibus ita alluxit hæc res ut inter Episcopos & presbyteros nullam differentiam agnoverint: Apostolus enim omnes Ecclesiæ Ephesinæ presbyteros alloquens, omnes Episcoporum titulo exornat: non tamen Dominos constitutos fuisse dicit, aut alterum alteri præponit, sed æqualem omnibus autoritatem potestatemque datam affirmat ad pascendam Ecclesiam Dei. Et hactenus quidem nugamenta notularum tuarum dispunxi, quibus Aristocraticam particularium Ecclesiarum gubernationem visus es arrodere. Iam quod contra conjunctarum Ecclesiarum ejusdem naturæ Regimen adferat tua morositas, videamus.

Cui rei non aliud illustrius testimonium est, illo sancto concilio, quod Hierosolymis celebratum fuit, ait enim scriptura Actor. 15. v. 22. (30) *Tunc visum est Apostolis & presbyteris cum* tota Ecclesia. Ac paulò post *visum est Spiritui sancto ac nobis:* unde luce clarius est, non ad unum spectasse summam rei, sed Aristocratica moderatione conjunctas in Concilio Ecclesias pari inter se jure, parique usas fuisse autoritate.

30. R. S. pag. 32. *Nuga nugarum! λήρος λήρων! quasi textus iste concludat contra primatum Petri. Nihil minus.*

I. B. Agnosco temulenti cerebri *βαυκάληματα*. Sed ad rem: in qua tibi *μυωπάζοντι* facem præferam. Narrat in Actis D. Lucas exacerbata jam dissensione visum fuisse ut *Paulus & Sylvanus ascenderent ad Apostolos & Presbyteros*, ut eorum arbitrio lis componeretur: non ad unum Petrum, ut illius judicio finiatur *τὸ ἀμφισβητούμενον*: quod tamen fieri debuisset à Principe & Monarcha Ecclesiæ. Addit exinde *Apostolos & presbyteros congregatos fuisse*, deliberaturos de controverso negotio. Non ergo soli Petro permissum rei judicium: subjungit denique cum jam diu multumque super ea re disputatum fuisset, variis dictis sententiis, *surrexisse Petrum*. Ergo ne quidem dicendæ primo loco sententiæ prærogativa gaudebat Petrus! Sed in liberrimo concilio pari cum cæteris jure agebat. Non indixit ille concilium more principis; indicto non præsedit: sententias non rogavit: nihil sane vel fecisse vel dixisse perhibetur quod non cuivis consiliantium jus fasque fuit: Et certe si principem in illo concilio quærimus, non Petrum sed Iacobum potius ea dignitate ornabimus, cujus sententiæ ut Christo & scriptura

dignæ ὁμοψήφως & ὁμοψύχως omnes assensi sunt. Quam Aristocratici conventus, consspirantibus omnium sententiis concordiam ita prosequitur Euangelista. v. 22. *Tum visum est Apostolis & presbyteris cum tota Ecclesia.* & vers. 23. *Apostoli & presbyteri & fratres, iis qui sunt Antiochiæ.* & v. 25. *visum est nobis concorditer coactis &c.* Quæ testimonia satis evincunt Apostolos jure & dignitate inter se pares cum presbyteris & Ecclesia Dei optimatum more & lege Ecclesiam rexisse.

Hîc te jam rogare non pudet, Richarde, quid hinc detrimenti capiat primatus Petri? o stuporem! Conveniunt Apostoli, sociatis cum tota Ecclesia presbyteris, concilium vocant, decreta faciunt, cum quibus Iudam & Sylam ablegant Antiochiam: ubi princeps interim & Monarcha Petrus? Hoccine moris est in Regio imperio, vocare senatum, leges condere, edicta facere inconsulto Principe? Næ si tu ita sentias Richarde, dignus sis qui extra Regis tutelam in ferarum lustris conseneſcas. Iam vero quod v. 28. adjungit Euangelista *visum est spiritui sancto & nobis*, quam directè καὶ διαμάχεται primatui contradicit? par enim congregatis Apostolis autoritas, par dicendæ sententiæ libertas, par denique S. Spiritus afflantis præsentia: quæ sicut omnibus à Domino promissa, sic omnibus pariter præstita videmus. Nec enim visum fuit *Spiritui Sancto & Petro, sed Spiritui & nobis* quorum sociati labores in ædificanda Ecclesia uni Christo Duci principi Monarchæ navantur.

Et certe nisi vecordes ambitio Pontifices fecisset, nunquam animum inducere potuissent ad usurpandum Ecclesiæ imperium, cui Principem & Rectorem unicum filium suum Iesum Christum Deus imposuit. Quod autem de petra proferunt supra quam Ecclesia ædificatur victrix inferorum, non facit ad stabilimentum imperii Papani, quoniam non de *Pontifice*, (31) sed Electorum Ecclesia totus ille sermo est.

31. R. S. pag. 33. *Hoc gratis dicitur nec probatur.*

I. B. Quam tu meritò id audire debeas qui mera maledicendi libidine carpis quæ non capis, rationis ignarus & silentii impatiens. Locum consule & à vers. 13. usque ad vers. 19. non de capite personato Papæ, sed de vero capite & Domino Iesu sermonem institui vel invitus fatebere. Otiosum esset singula hîc ἐξονυχίζεσθαι.

Verum à (32) miraculo non alienum est, quod invisibili corpori, quale concedunt Ecclesiam esse, visibile caput imponant. De fundamento (33) secundario, & instrumentali, quæ putidissimi mortales ineptiunt, inter excrementa censeri debent cerebri delirantis, utique cum uni terræ filio totam illam potestatem ascribunt, quam pluribus esse scriptura communem testatur. Dicit enim, *Ecclesiam fundatam esse supra Prophetas & Apostolos.* hoc est, illorum omnium doctrinam, Eph. 2. v. 20. Iohannes etiam Apoc. 22. Non uni (34) soli, sed universis Apostolis attribuit Ecclesiæ fulcimentum. *Dic in fundamentis*, inquit, *fuisse nomen Apostolorum:* prælucente nobis igitur ipsa veritate, nihil huic tenebrioni adscribamus, quod uni non voluit adscribi Deus.

32. R. S.

32. R. S. pag. 33. *Argumentum usque ad miraculum ineptum. Sed & quasi Ecclesia esset corpus Mathematicum & ἀόρατον ineptias nugarum?*

I. B. Solenne est tibi κορυβαντᾶν: Quæro tamen ex te qualis illa sit Ecclesia quam in symbolo credimus, Nonne Catholica? Nonne Electorum? Nonne domitrix inferorum? Nonne Christo Regenti subdita? At dic mihi quæso, perlustrastine corporeis oculis catholicam Ecclesiam? vidistine Electos? Certè tibi furenti miræ forsitan illudunt imagines. Sed sobrii non nisi mentis oculis intuentur eam multitudinem, latituram ad finem sæculi & interim suo tantum Domino nobilem. Ergo cum nobis invisibilis illa sit Ecclesia Capite quoque regitur olim quidem videndo, nunc vero nisi per fidem viso: Itaque Pontificii qui corpori invisibili caput in terris visibile astruunt, plani, γόητες, τερατυργοὶ sunt. Sed tu excultus scilicet liberalissimis disciplinis de Mathematicis nescio quid garris. Sane Richarde non est quod timeas Ecclesiam ideo Mathematicam esse, quia mihi, tibi, & reliquis sit invisibilis. Videtur & noscitur à suo domino: illi si fidem & charitatem probaveris, parum refert tua si ab alio non noscaris. Sed hoc te fuco usum puto ut fidem faceres te quoque Mathesios peritum esse. Profecto si non felicius in Geometricis quam in Theologicis exercitationibus tibi res processerit, autor sim ut abacum frangas & everras pulverem.

33. R. S. pag. 33. *Quod de fundamento secundario est instrumentali putidissimi mortales ineptiunt, author iste cum summa sapientia sua non potest confutare.*

I. B. Iamdudum hoc fundamentum labefeci, & funditus eruam ubi ad illa ventum fuerit, *Tu es Petrus.*

34. R. S. pag. 34. *At pagina 19. Vnus solus Christus est fundamentum Ecclesiæ.*

I. B. Nihil eo loco dictum à me quod te juvet vel me lædat. Vnicum Ecclesiæ fundamentum est Christus, ubi vox illa simplici rectaque significatione intelligitur: sed eam Metaphora indutam sæpè & Prophetis & Apostolis scriptura commodat, quacum loqui tutum & pium est. Si Papa tuus eo sensu & significatu fundamentum appellari pateretur, non excita fuisset à suis sedibus & fundamentis Europa ad jacendam in Ecclesia tyrannidem.

Restat ut alteram quæstionem ope divina, scripturarumque subsidio aggrediamur, *An Petro scilicet imperiū Ecclesiæ demandatum à Christo eidem quicquam in socios autoritatis ab eodem fuerit indultum.* Sit igitur in eruenda veritate, dicendoq; testimonio princeps Paulus, qui 2. Cor. cap. 11. v. 5. egregia illa sua magnanimitate, qua rem Christianam auxit, ita loquitur. (35) *Puto me nihil inferiorem fuisse summis Apostolis.* Quid ait vir divinus? pluresne fuere summi? non solus igitur evectus ad fastigium Petrus. Quod si Petro summa quæque adepto, non tamen inferior Paulus, quomodo manebit integra Petro principalis autoritas, cum socium habet dignitatis & fastigii Paulum.

35. R. S. pag. 35. μηδὲν ὑστερηκέναι à summis Apostolis. *vel si mavis nihil inferiorē vir τῇ γνώσει ut sequenti vers. exponit, Plures possunt dici summi Apostoli sed non ἁπλῶς: comparative vero dici possunt plures summi Apostoli: non autem hic agit Paulus de autoritate Apostolorum, sed de scientiâ mysteriorum Dei.*

I. B. Non me, sed Apostolum oppugnas; eo tamen eventu ut ipsum te confodias: interim illiberali quadam audacia uteris quæ non procul mendacio

 affir-

est: affirmas enim de *sola scientia mysteriorum* hic loqui Apostolum. Aliter longè se res habet. Nam Apostolus & hoc & sequenti capite totus in illo est ut se præstare Pseudo-Apostolis evincet, argumento à majori ducto. *Puto me nihil inferiorem summis Apostolis*: Nothis igitur & subdititiis lõge superiorem. Criminata fuerat Paulum ea spuria progenies, quasi rudem dicendi & impolito sermone, affectabatque Paulo vel par vel major haberi v. 12. 13. Quam impudentiam ut retundat Apostolus, magnificè de se sed *ἀνεμφθόνως* loquitur. *In quocunque audacia uti licet alicui, audacia velim uti & ego*, v. 21. Non igitur de sola mysteriorum scientia, sed de omni virtute & dignitate & autoritate loquitur, quæ strenuo & fideli Apostolo inferere possit honestam sui fiduciam: *Ministri Christi sunt?* inquit. *Superior sum ego: in laboribus amplius &c.* & ver. 28. *agmen illud in me quotidie consurgens, sollicitudo de omnibus Ecclesiis* inquit. Ac ut undique tandem se parem maximis ostendat, *de revelationum supereminentia* loquitur, cap. 12. *μαλὰ σεμνῶς*. Quasi dixisset: Qui Christi minister est, qui impensius cæteris laborat, qui curis omnium Ecclesiarum uritur, qui in secretissima cælorũ admissus fuit mysteria, qui religionis ergò tot suppliciis & tormentis est dilaceratus: qui denique neque scientia neque factis inferior est summis Apostolis, ille nothis certe & hypobolimæis longe fuerit superior. Cujus antecedentis veritas uti fusè probatur ab Apostolo, sic à te quoque conceditur. Hîc enim *τῇ γνώσει* parem summis agnoscis & ad pag. 36 (quæ nota 37 est) factis non inferiorem statuis: Ais enim Paulum *nihil minus cæteris feciſſe*. Quare cum & factis & scientia (in quibus tota dignitas & excellentia Apostoli sitæ sunt) summis illum æquiparas jam insçius, & invitus Pauli dignitatem maximis æqualem constituis: quod effatum paulò ante oppugnaveras, tanta vis est veritatis, ut intentata in se tela, vertat in jugulum hostis.

Sed quid ad hæc Pontificii? (36) Paulum Petro parem fuisse dicunt labore prædicandi, cura pascendi gregem, studioque propagandi regnum cæleste, sed autoritate, jurisdictione, & potestate dominationis nequaquã: verum refutat hoc delirium ipse Paulus; ait enim cap. 12. v. 12. (37) *Nulla in re inferior fui summis Apostolis*. Si nulla in re, tum ne quidem in jurisdictione & autoritate.

36. R. S. pag. 36. *Huic responsioni Pontificiorum non satisfacit author.*

I. B Satisfacit ipse Paulus, qui dicit *se nulla in re inferiorem fuisse summis Apostolis*. Satisfacis ipse tu. qui & scientia & factis hanc illi excellentiam indulges ut superiori & proximè subsequenti nota tua patet (quæ nota est 37,) quæ sic habet *nihil minus feci*: vel *οὐδὲν ὑστέρησα*: *idem plane est cum præcedente: ideo author non videtur intelligere textum.* Vide Richarde quantum sit vitii in temeritate linguæ: in præcedenti nota nihil relinquebas Apostolo præter *γνῶσιν*: hîc & factorum illi excellentiam concedis, & tamen idem esse dicis cum præcedente. Quicquid est, id saltem extudit à te Veritas: Pauli dignitatem qui neque *θεωρίᾳ*, neque praxi muneris præstantissimis cedit, maximorum Apostolorum dignitate æqualem esse. Quod textum mihi non intellectum obi cis, more tuo & frustra facis: nemo enim credet tibi, qui tuam hîc vel insçitiam vel levitatem perviderit.

Sed consideremus aliquando tandem quænã fuerit illa Petri jurisdictio: Nulla certè quæ singulari (38) prærogativa præ reliquis ipsi

ipsi fuerit indulta. Mandatum enim quo jussi fuerant Apostoli exire in omnes gentes, easque baptisare, non uni Petro, sed reliquis qui tam sancti ministerii participes erat, commune fuit. Et Paulus apertissimis verbis ad Galatas perscribit cap. 2. v. 7. (39) *concreditum sibi fuisse Euangelium præputii sicut Petro circumcisionis.*

38. R. S. pag. 37. *Hic acutius cernit quam aquila, aut serpens Epidaurius.*

I. B. Quorsum hæc illiberalis dicacitas? Sanioris consilii fuerit Theologi famam non appetere, quam acquirere titulum Scurræ. Vbi ratione non potes, ludibrio respondes. Malâ causâ iniquius patrocinium.

39. R. S. pag. 37. *Hoc loco probatur Petri principatus: nam Christi vicem supplet, dum missus sit ad πρόβατα ἀπολωλότα τῆς οἴκου Ισραήλ.* Matth. 15. 24.

I. B. Siccine Richarde? At nos hoc textu totum Petri principatum disiici credimus. Sed dijudicandum est uter rectius σοφίζει. Id certe prima fronte patet. Ecclesiæ Catholicæ non fuisse Principem Petrum, si Paulo concreditum fuit Euangelium præputii. Sed *Petrus* inquis, *supplet vicem Christi*, missus quippe ad *perditas oves Israelis*. Num pro solis ergo Iudæis Christus mortuus est? Num legati ad gentes missi Christum non repræsentant? Sed phrasis tua & loquendi formula Richarde, quid sibi vult? videtur enim crudioris cerebri ἀλλόκοτον ἔκτρωμα. Quomodo supplet vicem Christi, ut Dei an Messiæ? Illud ipsa impietas non dixerit. Hoc si dixeris, tuæ causæ præjudicas. Nam Messias humilis, submissus, Cæsari subditus, familiaris discipulis famuli speciem ubique. Domini fastum præ se nusquam tulit. Luc. 22. v. 27. Iam Iacobus, Iohannes, jam plures alii, qui eandem cum Petro legationem inter Iudæos obibant, in societatem illius gloriæ, te invito, perrumpent: missi quippe ad Περόβατα ἀπολωλότα τῆς οἴκου Ισραήλ. Quare si Petrus ob hanc legationem Christi vicarius est, & Ecclesiæ Monarcha, non video cur socii legationis & dignitate ejusdem tituli & principatus excellentia fraudandi sint.

Quapropter si totus terrarum (40) orbis inter hos ita divisus fuerit & distributus, ut omnium quidem nationum Apostolus esset Paulus, præcipue tamen gentium, & Petrus è contra Iudæorum, clarissimis indiciis manifestum evadit, nullum præ reliquis concessum Petro principatum, nullamque datam fuisse potestatem, qua more regnantium in alios tanquam sibi subditos uteretur.

40. R. S. pag. 37. *Si totus terrarum orbis inter Petrum & Paulum esset divisus, ubinam prædicarunt cæteri Apostoli? Sed hæc insipida phantasia φαινομένη.*

I. B. Ridenda ἰρεσχελία. Nonne totum orbem, & hominum universitatem Paulus ipse in Iudæos & gentes distribuit? Rom. 3. Harum ille fuit Apostolus κατ' ἐξοχήν: illorum Petrus. Ita tamen ut neuter ab alterius provincia mandato ullo vel lege excluderetur. Nam in mundum universum emissis, omnium nationum & gentium commodis & saluti consulere suprema lex erat.

Cui positioni verificandæ potissimum inservit illustris ille locus Actor. 10. v. 20. ubi post Christi subvectionem in cælos, ipse Petrus ambigit, num sibi liceat annuntiare Gentibus præconium

pacis, unde manifestum est, illum haudquaquam existimasse quod ad ditionem suam jurisdictionemque gentes pertinerent.

Sed in Act. cap. 6. v. 2. 5. 6. magis adhuc cum reliquis exæquatur Petri autoritas; nullo enim Petri mandato, nulla suffragii prærogativa, sed calatis Discipulorum comitiis, æquo jure, æqua potestate, ab universa multitudine Diaconi creabantur, nec unius Petri, sed omnium Apostolorum impositione manuum, ad divinum illud ministerium consecrabantur.

Imo tantum abest à Monarchali Dominatione Petrus, ut aliquoties imperio cæterorum obnoxius fuisse deprehenditur. Sic enim divus ille Paulus Gal. 2. 11. Petro velut oblito rerum suarum restitit in faciem, nec clam, nec privatim, sed omnibus illis coram, quorum intererat, objurgatione sana consilium illius insanum emendavit.

Sic ipse Petrus immeritò reprehensus ab imperitis, aliorum judicia tanquam illis major & supra leges evectus non dedignatur; sed facti sui palam rationem reddit Actor. 11. v. 2. 3. 4. Cui si principatus & in cæteros potestas obtigisset, aut soli sibi rationem constare voluisset, aut eam reddendo cæteris, prærogativæ potestatis suæ more principum cavisset. Sic Apostoli, tanquam jubendi jure potiores: Act. 8. v. 14. Petrum Samariam ablegabant.

Sed obstrepunt Pontificii non semper è missione & ablegatione colligi posse subjectionem illius qui mittitur & ablegatur. Verum illi næ vehementer errant, si missionis ipsa vox sensu proprio, & plane suo accipiatur; fatemur enim illum qui rogatus adornat profectionem, non ab alio mitti, sed sua sponte ad iter accingi; hîc enim efficacior est propria voluntas, quam aliena impulsio; sed ille qui potestate quadam & autoritate mittit & ablegat aliū, imperio quodam utitur in ablegatum; hujus enim motus & profectionis initium non penes ablegatum est, sed ablegantem.

Quid igitur Apostoli? Num precibus ad hoc iter Petrum allexerunt? non equidem. *miserunt*, inquit Lucas. Quos autem? *Petrum & Iohannem.* At Iohannem Apostolorum mandatis obnoxium fuisse non negant adversarii: eodem igitur imperio quo missus fuit Iohannes, & Petrum ablegatum fuisse ultra dubitemus? *Sed ineptias ineptiis cumulare non desinunt: Herodes, ajunt, magos dimisit in Bethlehem in quos imperium non habuit.* O cæcas hominum mentes! quasi non instiganti Deo magis, quam monenti Herodi ad investigandum Christum magi obtemperaverint?

rint ? & quasi Herodes in suo regno major illis non fuit? Iterum, *Populus*, ajunt, *Iudæus, misit Phineem ad filios Reuben & Gad*, Ios. 21. 13. *cum tamen in populum vi divinæ legis imperio Sacerdos vteretur*.

Non inficiamus summum Pontificem Iudæorum in sacris procurandis suprema quoque potestate fuisse decoratum ; sed nihilominus in administranda republica populo jubenti quod rectum erat, obtemperare debuisse quis negabit, qui Mosen Aaroni, Iosuam Phineæ mandasse & præcepisse non ignoravit ? *Ita nullum Pontificii exemplum invenire possunt missionis sine subjectione.*

Sed quanquam summum nobis sit studium brevitatis, attamen huic rei diutius insistere non pænitebit. Igitur, utramque Petri Epistolam quâ fideles affatus est, curiose, diligenterque perscrutemur, num aliquod in illis vestigium appareat Monarchicæ potestatis, quam velut hæreditaria successione Pontifici Petrus reliquit. Sane rimantibus manifestum evadet, ne verbulo quidem ejuscemodi authoritatem nominari ; nec in toto literarum contextu vel umbram esse dominationis aut imperii: quæ res in principe, cui summum rerum judicium datum est, planè foret mirabilis. Quis enim principali potestate præditus, prolixam subditis suis epistolam perscribat, in qua nihil imperet more dominantis? At nihil tale Petrus. Non alium sibi titulum arrogat quam Apostolis & presbyteris promiscuò indultum : non aliam usurpat autoritatem ab ea qua cæteri pollebant.

Idem quoque Paulus facit cum epist : ad Romanos se *servum Christi vocat, Dei vocatione Apostolum.* Vnde satis manifestum est, Pauli ministerium à Petri potestate non dependisse, sed ab imperio vocantis Dei ; nec ea tempestate reliquos Episcopos in munia curasque suas à Petro fuisse inauguratos, quale infælicibus postea sæculis à degeneri progenie Episcoporum Pontifici factum esse lugemus & indignamur. Nec Epistolas modo Petri producamus in testimonium : sed universum Euangelii textum advocemus, in quo cum Petri vita coloribus suis exprimatur, ne minima quidem adumbratione potestas, autoritas, imperium, quo cæteris præfuit, deliniatur. Caput autem divinæ ad Galatas epistolæ secundum qui perlegerit, nugamentum hoc principalis imperii, quod Petro affingitur & Pontificii asserunt, cum risu explodet.

Sed tempus est ut ad reliquæ quæstionis examen properemus, in quâ cum de Papali controvertatur hæredio, resq; summa con-

tentione à Pontificum advocatis tractetur, opus eſt ut adeamus tribunal veritatis, & in Scripturarum teſtimoniis acquieſcamus. *Quodnam igitur in ſcripturis eſt hujus pontificiæ ſucceſſionis in regno Petri ſtabilimentum? quæ verba ſacrarum tabularum, quibus hæc lauta Pontifici adjudicatur hæreditas?* (41) *Tu es Petrus*, ajunt. alibi *paſce oves meas*. Quid tum poſtea? Ergo Petrus eſt caput. Quam vos rem agitis, ô inepti? Quid ſi mera diſputandi liberalitate, Petro principatum largiamur, indéne conſequens fuerit ad Pontificem ſpectare ſucceſſionem?

41. R. S. pag. 39. *Hebraicum Cephas & græcum πέτρος & πέτρα idem ſunt. Hinc ſuper Petram eſt idem quod ſuper Petrum.*

I. B. Hic locus me promiſſi mei admonet de eruendo ſecundario fundamento quod tu in nota ad paginam 33. Sapientiæ meæ, ſic enim irrides, ἀδύνατον jactabas. Diſtinctionem igitur hanc primarii & ſecundarii fundamenti neque fidei Analogam, neque conſentaneam rationi, neque conſentientem ſcripturæ dico: quæ priuſquam ſingula probo, aveo diſpicere quid tu adferas. *Cephas*, inquis, *Hebraicum & Græcum* Πέτρος & πέτρα *idem ſunt. Hinc ſuper Petram eſt idem quod ſuper Petrum.* Conſequētia tua Richarde ab inſcitia & textus non intellecti ſenſu διεσταμμένη fluxit: nam in verbis à te citatis neque Petrum video fundamentum, neque Pontificem: Eccleſia enim niſi per fidem non ædificatur; quam ſi tu in Petrum vel creaturam recumbere dixeris, audacter affirmabo doctrinam tuam non modo fidei analogiam violare, ſed βδελυγμίας καὶ βλασφημίας plenam eſſe. Eccleſia quippe, quæ credendo ædificatur, non alio fundamento nititur, quam fidei ſuæ objecto: At neque Petrum neque Pontificem fidei objectum eſſe hinc manifeſtum eſt, quod non Petriani aut Papani, ſed Chriſtiani denominemur.

Huc accedit quod Chriſtus non inquit Simoni, Tu eris Petrus; ſed *Tu es Petrus*. Quare ſi ſenſus & ſententiæ ejuſdem hæc effata ſunt, *tu es Petrus*, & *tu es Petra*, jam tunc, cum hæc pronuntiaret Chriſtus, oportuit Simonem eſſe Petram: quod inde falſum evincitur, quia paulo poſt idem Satanæ nomenclatura corripiebatur: at in Satana non fundari Eccleſiam ſpero me impetraturum à tuo judicio. Iam lapſus ille Petri fœdus & periculoſus ſatis arguit illum adhuc ea firmitate non fuiſſe, ut in Petram & fundamentum eccleſiæ potuerit ſolideſcere: quare cum eccleſiæ Petra debeat immota & inconcuſſa eſſe, quomodo Petræ nomen illi conveniet, qui lapſabundus ipſe penè de Petra præceps abiit. Iam eccleſia quæ ædificata eſt ſupra Petrā quam Petrus confeſſus fuit, quomodo ſupra Petrum ædificari perhibebitur, qui non ſemetipſum, ſed filium Dei viventis confitebatur?

Sed tu ſuper *Petrum ædificari & ſuper Petram, unum & idem pronuntiatum eſſe affirmas.* Quaſi nomen & denominatum de eodem dici vulgati moris ſit: & conjugata ac ad ſe invicem prædicari Dialectica tolleret. Eſt enim Petra nomen vnde Petrus denominatur, ut à Chriſto Chriſtianus appellari ſolet, qui quantum à Chriſto differt, tantum à Petra Petrus diſſidet. Sed hæc tu ubi in Grammaticis & Dialecticis meliores feceris progreſſus, fortè non ignoraturus es. Cæterum quod Hebraicum (ſed tu μυωπάζων inter Hebraicum & Syriacum non diſcernis) *Cephas*, & Πέτρος & πέτρα, dicis eadem eſſe, facis ut tibi tumultuario litteratori nihil credam. Matthæus enim interpres locupletiſſimus ſententiæ Chriſti, nomine perſonaque mutatis Petram à Petro diſtinxit; non enim inquit, ſupra te Petrum, ſed ſupra hanc Petram, ἐπὶ

ταύτῃ

τάυτη τῇ πέτρα. Quæ distinctio tum personæ tum generis ἄτοπος esset & ἀνυπομόνητος, si de uno Petro vox utraque foret intelligenda. Ad præcedentem igitur confessionem Simonis, hæc verba nisi referantur, & verborum naturam & structuram orationis everti necessum est: quod hominibus tuis in *ædificandi* futuro tempore tam accurate γεγραμματικευομένοις diligenter cavendum est. Sed Syriace locutus fuit Christus, qua lingua Petri & Petræ sonus idem est, quippe utrobique Cephas. Quid tum? Matthæus qui tam sollicitè distinxit inter πέτρον & πέτραν, non tam Christi τὸ ῥητὸν quam τὴν διανοῖαν exprimere curæ suæ duxit. Et sanè quanquam Syriaco Idiomate Petrus & Petra vocis neque sono, neque genere mutatis dicantur, attamen est eorum in sermone communi quædam significationis distinctio: ut apud nos Magistratus vocabulum & pro munere & pro fungente ponitur, in communitate nominis elucente tamen rei diversitate.

Sed ne semper in spinis vocum hæreamus, revertamur ad rem. Ecclesiæ fundamentum, Richarde, quod fuit, est, & erit: nec enim in Ecclesia fundamenti commutatio est: Petrus ergo si fuit aliquando fundamentum; & est in præsentia, & erit in æternum: unde sequitur & Militantis & Triumphantis Ecclesiæ Petrum esse fundamentum. Nam Ecclesiæ vox indefinitè posita partem ejus utramque, tum exercitam laboribus, tum mactam honoribus complectitur. Qua absurditate quanquam portentis innutritus non trepides ad monstra, puto tamen te cohorriturum. Cæterum periptysma illud pronominis *hanc*, quo fæditatem commenti absconditis, frivolum est. Dicitis enim, pronomen *hanc*, ad nominatam novissimè Petram, quæ Syriacè loquenti Petrus fuit, referendum esse. Sed nego ad novissime nominatam referri necessitatis haberi: aio sufficere si modo in prioribus nominetur: nominatur autem Petri confessio, quæ rupes illa & Petra est, in quam pronomen reflectit. Quid enim si in orationis contextu Christus paulò remotior Petro sit, num propterea ad Christum respicere pronomen non poterit? Quam usitatis scripturæ modis contrarium apparet? Christus ait Ioh. 6. v. 50. *Hic est panis ille qui de cælo descendit.* Vbi pronomen ὅτος non ad id quod proxime, sed quod remotiuscule præcesserat referri nemo negat. Sic Actor. cap. 2. *Iesum illum Nazareum virum à Deo approbatum apud vos, præstantibus factis & miraculis & signis, quæ edidit per eum Deus in medio vestri, sicut ipsi nostis, τοῦτον hunc definito consilio & providentia Dei deditum accipientes manibus sceleratis affixum interemistis.* Hîc si situm aspicias verborum τοῦτο pronomen propius adjacet nomini Dei, & tamen bona omnium pace, ad Christum spectat. Sic ejusdem historiæ Cap. 5. *Principem vitæ trucidastis, quem Deus excitavit a mortuis, cujus nos testes sumus, & per fidem in nomen αὐτοῦ ipsius, hunc quem conspicitis ac nostis confirmavit ὄνομα αὐτοῦ.* Quo orationis contextu τὸ αὐτοῦ, nullo indignante, non ad proximum, sed ad remotiorem redit ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς.

Huic munimento diffisi petitis aliud. Dicitis enim si per pronomẽ *hanc* non Petrum sed semetipsum Christus intelligat, dicturum fuisse *ædificio super hanc Petram* non autẽ *ædificabo*, quia Petrus nisi peracta resurrectione non erat futurus Ecclesiæ fundamentum. Sed Richarde nihil est veritatis in hac pictorũ pergula. Nam quamvis verissimũ sit Ecclesiam σωιχῶς per fidem ædificari: unicũ tamen idq; perpetuum ædificii fundamentũ esse debet. Quare non sequitur futurũ tempus verbi *ædifico* de Petro intelligendũ esse, quia Christus Ecclesiã ante in semetipso ædificaverat. Nam ædificatio continuam actionẽ notat, tempora vero verborum in sacro codice sæpe mutantur. Nam ubi dicitur in Psal. 9. v. 9. *Deus judicabit populum in justitia*: ideone sequitur quod eum neque judicet neque judicaverit Dominus? Vbi cap. 11. v. 15. Apocalyp.

Christus dicitur regnaturus in sæcula, nũ ideo nec regnare nec regnasse putandus est? Quia dixit idẽ *ædificabo*, proptereane nec ædificare, nec ędificasse credetur? Sed exemplorũ in re manifesta satis est. Cæterũ si futuri temporis vim ad noui fœderis tempestatem referamus, quâ Rempublicam novam & priori, quæ finibus arctissimis inclusa latuerat, longe latiorem illustrioremque conditurus erat, nihil absurdi statuemus: quanquam enim super eodem fundamento erigi debuit id novum ædificium, splendore tamen suo & amplitudine prioris fabricæ lucem perstrinxit. Iam in veteri fœdere num summus Sacerdos Ecclesiæ fundamentum fuisse credendus est? Nonne Christus Ecclesiæ suæ fundamen fuit ante constitutum illud sacerdotium? semper enim ædificium fundamento innixum est, mutarique fundamentum sine ruina ædificii non potest: unde facilè intelligas hominem caducæ vitæ & ævi fluxi non sufficere fulciendæ Ecclesiæ quæ jacta ab initio permansura est in æternũ: unde jam quoq; non gravate concedas πέτρον illum tuum non esse τὴν πέτραν. Nã Petrus hæc adhuc loquente Domino πέτρος fuit, cum tamen de Petra quæ est ipse Christus intelligenda sint. Si dixeris hæc verba *Tu es Petrus*, sic intelligenda esse *tu eris*: ego jam non ad id quod tu vis, sed quod dictum audio adhærebo. Nec enim dixit *tu eris*, sed *tu es*. Et sanè si nunc Petrus non fuit, hoc scire pervelim ecquando fuerit. Nunc sane Christus illum ex promisso olim facto, dignatur hoc nomine, quod cum illi fuerit indictum à verissimo Domino dubium quoque non est quin revera Petrus fuerit: nec enim nisi convenientia rebus nomina à sapientissimo imponuntur.

Cæterum quod homines tui dicunt pronomen *hanc* non posse referri ad Christum Petram, sed Petrum Petram, quia temerè alias & frustra additum fuisset *ego tibi dico quia tu es Petrus*, sane temerarium est & à perfunctoriè rem considerantibus profectum. Longe enim alia causa Christum ad hæc dicenda impulit, quam ea quæ fingitur à vestris. Petrus egregia confessione fidem suam & quam honorificè de Domino sentiret, propalaverat. Non illum ærumnosa Domini conditio exanimavit: non diversa sentientium turbavit opinio, non pericula, non metus exterruerunt, quo minus & rectè sentiret, & quod sentiebat liberrime profiteretur. Quam Petri constantiam Christus suo vicissim testimonio exornat, ipsumque revera jam tandem esse confirmat quem fore promisserat, Petrum scilicet, id est, saxum. Hoc enim nomen olim ipsi destinatum nunc imponit, ubi præclara & constanti confessione id promeruisset: inquit igitur Dominus, *Dico tibi tu es Petrus*, ut antè te futurum promiseram, & *super Petram hanc* tuæ confessionis *ædificabo Ecclesiam meam*. Vnde videas hæc verba solatii simul & honoris plena non temerè aut frustra Petro dicta fuisse, quanquam ea quæ sequuntur ad Petrum minime referantur.

Sed alia rursus admovetis tormenta veritati. Christus non est vocatus hic à Petro petra, sed filius Dei viventis: ergo pronomen *hanc* ad illum qui Petra vocatus fuit, referendum est: vocatum verò fuisse Petrum non Christum scriptura testatur. Hæc satellites Papæ. Sane si syllabas numeres, Christum Petrus Petram non vocavit; si rem spectes, vocavit non obscure: Qui enim filium Dei viventis vocat, eo ipso & Rupem & Petram & fundamentum Ecclesiæ nominat: quæ confessio id præmii tulit, ut ipse jam pro saxo & lapide rupi ipsi imposito & coagmentato deprædicetur. Sed cum insanè vos perstrepentes audio circa pronomen *hanc*, mirari subit cur de referendo illo ad proximum ita tumultuemini, cum per *hanc Petram* intelligi velitis Romanum Papam, qui in verborum contextu non modo proximus non est, sed ne quidem nominatus. Num Christus esse Petra non potest & poterit Papa?

Quam

Quam hoc ἐκτράπελον? sed tamen aveo scire quomodo vos Papam tanquam ex Machina in scenam hanc producitis. Auxiliante Petro haud dubiè. Sic enim argumentamini. *Si Petrus est fundamentum Ecclesiæ Catholicæ, tum & Papa.* Sed Richarde, quodnam est hujus connexi vinculum & stabilimentũ? illudne quod audio jactari a vestris? *Quicquid de Petro dicitur id spectare ad Papam.* Pronuntiatum sanè & insanum & impium; & cui minorem subjungitis ejusdem furfuris. *At de Petro dicitur quod sit fundamentum Ecclesiæ Catholicæ.* Ergo quid de Papa tenendum sit manifesta res est. Sed primò majorem illam revocemus ad examen. Sane quicquid de Petro prædicatur, id vel personam ejus attingit vel munus. Quæ personæ adhærent, si quis agglutinare Papæ laboraverit, næ ille laborem ineptum in re ridenda locaverit. Petrus certe prompto in Dominum amore, in deposcendis periculis singulari audacia, cum advenissent, infirmus metu, peculiari quodam adversus imbecillitatem hanc remedio roborandus fuit: Quare diligenter animadvertendum est quo unumquodque referri debeat, quod de Petri persona dicitur, Quæ vero rationem muneris attingunt extra fines & ambitum ministerii non possunt extendi. Vnde fit ut illius naturæ effata ad cæteros quoque pertineant Apostolos, qui ejusdem ministerii limite circumscribuntur. Hactenus ergo nihil in illis est unde Papa tuus in usurpanda potestate sua adjuvetur. Nec enim in personam Petri transsubstantiari: nec in Apostolum ne quidem à Bernardo tuo potest converti. Iam vero in successione aut ordinatione Vicaria, quam crepatis, nihil adjumenti est: illam enim ut inanem & commentitiam ante difflavimus: illiusque probandæ si vos urgeat necessitas circulatrici vestra dialectica, hoc est, ἀδολεσχία Sophistica, reditis ad id quod disputatur, *supra hanc Petram ædificabo ecclesiam meam.* At enimvero, Richarde, ille cui Christus dixit *tu es Petrus*, erat sane filius Ionæ: ad hunc enim nominatim sermo dirigebatur. Quare si pronomen *hanc* ut vobis placet, ad proximum referri debeat, haudquaquam tamen Petri personam poterit egredi. Quis enim ille sensus foret, *Tu es Papa & supra hanc Petram*, cum neque Papæ mentio facta sit vlla, aut quisquam in discipulorum collegio fuerit Petro cognominis.

Instat nihilominus vestra pertinacia, contenditque hæc ad Petrum & successores ejus referenda esse: Quæro igitur quomodo referenda sint, conjunctimne ad omnes, an divisim ad hunc & illos. Si conjunctim id est ad Petrum & Papam referri velint, tum emerget ilicò portentosum hoc absurdum: Et *Petrum* jam olim vita functum, & Papam hodie Romæ regnantem, Ecclesiæ Catholicæ impræsentia fundamentum esse. Et decantati axiomatis *super hanc Petram*, hunc esse sensum: super Petrum & Papam ædificabo Ecclesiam, quanquam Papa ne quidem fuerit nominatus; nec deerunt qui & hoc quærent, Num omnes Papatu functi, sint adhuc fundamenta: si affirmetis, implicabit vos sequela, tot igitur fundamenta quod Papas fuisse: si negetis, irretiet vos inextricabilior quæstio, cur Petro plus juris ad fundamenti cognomentum quam Papæ præsertim bono (quorum fæta est Roma) cum utrique pariter & nomen & dignitas data sint. Iam verò si divisim referri debere dixerint, præsto est aliud ἄτοπον: Petrum scilicet desiisse fundamentum esse, quia Papa nunc fundamentum est, & Petrus jam Papa non est. At Papæ nulli dictum fuit à Christo *Tu es Petrus*: ille autem super quem ædificatur Ecclesia, debet is esse cui dictum fuit à Christo *Tu es Petrus*; aliàs enim pronomen *hanc* ad proximè præcedentem non referetur. In quo vos argumenti robur & fiduciam omnem collocatis: Sic ut vides Richarde & inaniis plena est vestra sententia, & mille absurditatum larvis circumsedetur.

Sed

Sed quia pronomen *hanc* vobis Helena est, redibo ad pugnam. *Hanc* particulam ad proximum referri debere vociferamini. Quid tum? Creditisne ergo Christum in quo sumus, in quo movemur, quem jam modo Petrus confessus fuerat, remotum esse? Imo vero si Grammaticæ nondum obliti sitis necesse erit fateamini confessionem Petri proximiorem esse: quod facile evincit secunda persona usurpata à Christo (*tu es Petrus*) cui demonstrativa particula tertiæ personæ non convenit. In quam rem si Augustini autoritas aliquid apud te momenti habeat, audi quid dicat vir egregius, Iesuitis certe haud paulo doctior, Tract. in Ioh. 124. *super hanc Petram* inquit, *quam confessus es.* Quæ ergo impudentia est Christum remotum dicere & tamen ad Papam Romæ τυραννεύοντα, per tot intervalla temporis & locorum Christi verba extendere. Nam successionem hîc vel vicariam ordinationem nominare ludibrium rationis est, τὸ δὲτὶ enim individuum significat unum numero, cui cum successione nulla communitas est: unius quippe rei & numero ejusdem ne cogitari quidem potest successio, nisi rem eandem sibimetipsi succedere deliremus. Itaque quoties è Christi verbis vos Papam jactabitis Ecclesiæ fundamentum, ego contra vi demonstrativi pronominis *hanc*, obrepentem detrudam & furcillabo.

Sed audiamus quid tandē Iesuitæ in hoc negotio plus cæteris sapiunt. *Quid inconvenientius*, ajunt, *dici possit, quam tu es Petrus & supra me Petram ædificabo Ecclesiam meam?* Sic illi boni viri non disserunt, sed somniant. Sanè Divi Augustini me miseret, qui inconvenientiam à Iesuitis animadversā non vidit. Sic enim ille. *Tu es Petrus, & supra hanc Petram quam confessus es ædificabo Ecclesiam meam: super me ædificabo Ecclesiam meam: super me ædificabo te, non me super te.* Sed mittamus hos ἀλάστορας, quibus ita depravata mens est ut obliqua illis & inepta & incongrua videantur, quæ recta pii & convenientia & decora vident. Quid enim hâc Augustini sententia scripturæ convenientius est, quæ *fundamentum aliud poni* posse negat? Recte ergo Petrus *Petræ* cognomento excluditur, *quia super Petrum non ædificavit Christus Ecclesiam, sed supra Christum Petrus, non solus, sed cum reliquis Apostolis, non dominando, sed prædicando. Nā cum ædificatio Ecclesiæ prædicatione perficiatur, certum est, quod supra Christum non supra se ædificaverit Ecclesiam, qui Christum semper, se nunquam prædicavit.* Et ita quidem Vejovem tuum capitolinum non de saxo Tarpejo, sed rupe & Petra viventi & æterna dejeci, ostendique commentum secundarii fundamenti, quo tu superbis & fidei inimicum, & rationi infestum, & scripturæ contrarium esse. Quo labore si tibi insaniam minui comperero, facilè feram & irridentis ludibria & impetum conviciantis.

Tu es Petrus, inquit Salvator, *& supra hanc Petram &c. & pasce oves meas, &c.* Sed de (42) successore quæso num verbum fecit? plane nullum. Igitur indictum se & innominatum obtrudit invitis, & audacis exempli perniciem detestantibus Christianis, qui in re tanti momenti, ex qua salutem pendere dicunt æternam, Pontificii non ab aliis quam cælesti suo magistro, se patiuntur erudiri.

42. R. S. pag. 39. *Ioh. ult. Petro dixit pasce oves meas. At nullum verbum de successore: ergo successores non debent pascere oves. Quam puerile argumentum!*

I. B. Si vel Salomoni stultis silentium suadenti paruisses Richarde, vel Euripidi monenti ἐστὶ δ' οὗ σιγὴ λόγου Κρείσσων obtemperasses, aliqua saltem

scientiæ

ſcientiæ tibi ſuperfuiſſet umbra, καὶ σκιαγραφία doctrinæ: nunc intempeſtiva & incondita loquela, totum ſtultitiæ choragium propinaſti deridendum. Quid enim, ut molliſſime dicam, ſtultius & ineptius quam omiſſa controverſia tua ipſius ſomnia diſputando vellicare? Nec enim inter nos id quæritur an quis Petro ſucceſſerit & reliquis Apoſtolis: Sed an Petro tamquam Principi & Monarchæ ſurrogatus ſit aliqs. De priore enim non ambigitur, in prædicandi munere quamplures ab Apoſtolis traditam lampada recepiſſe. Poſterius conſtanter pernegamus: Papam ſcilicet Petro ſucceſſiſſe in principatum: utpote quem Petrus ipſe non tenuit. Negationis hæc ratio eſt, quod in ſcripturis, quæ nihil celant eorum quæ uſui ſunt ad ſalutem, de tali ſucceſſione ne tenuiſſima quidem mentio facta ſit.

Hic tu jam totus παραφρονῶν & φλυαφῶν reſpondes: Ioh. ult. Chriſtus Petro dixit, *paſce oves meas. At nullum verbum de ſucceſſore: ergo ſucceſſores non debent paſcere oves, &c.* Miſeranda medius fidius, & qualia ſolent quibus mens laborat. Examinemus tamen. *Nullum verbum de ſucceſſore*, inquis; negligenter & mendoſè. Quid Epheſ. 4. v. 6. Nonne de ſucceſſoribus mentio eſt? *Cum alios quidem dederit Chriſtus Apoſtolos &c. alios Paſtores & Doctores ad concinnationem integram ſanctorum, ad opus miniſterii, ad ædificationem corporis.* Quid Actor. 20? Nonne Paulus hortatur Epiſcopos *ad paſcendum gregem?* Quid Petrus, nonne jubet ut Epiſcopi paſcant gregẽ cap. 5? Succeſſere igitur, & quidem Deo jubente, in laborioſam illam prædicandi curam quamplurimi: in dominationis autem & principatus titulum ſucceſſit nemo, utpote quo nullus ante fuerat inſtitutus. Hæc eſt reſponſi tui antecedens, cui conſequens ſubnectis ejuſdem ſanitatis. Verum, Richarde, ubi per lucida intervalla licuerit, ita diſcas ex hoc loco argumentari. *Chriſtus dixit, paſce oves meas. Sed Papa non paſcit oves Chriſti: ergo non eſt Petri ſucceſſor.*

Eſt enim adamantina in priore veritas; totumque habetis ſic colligentes aſſentientem Europæ confeſſum. Quomodo enim paſcere Chriſti oves dicendus eſt qui pabulum illis animarum ſcripturam ſubducit? qui neq; prædicat Euangelium, nec ſacramenta adminiſtrat? qui avarus deglubit oves, ſuperbus contemnit, crudelis excruciat? Sed nolo rem tragicam exaggerare grandilate verborum.

Sed ingens operæ pretium eſt animadvertere quàm exitiabili dolo Pontifex, dum ſe Petram mentitur, in alieno ædificat. *Supra hanc Petram* (inquit Chriſtus) *ædificabo Eccleſiam meam:* hoc eſt, ajunt Pontificii, ſuper te Petrum, & omnes tibi dandos ſufficiendoſque ſucceſſores. *Ædificabo Eccleſiam meam*, inquit Chriſtus: hoc eſt, inquiunt hoſtes veritatis, efficiam ut Catholicam Eccleſiam tu tuique nutu ſuo pro arbitrio temperent. *Tibi dico*, inquit Chriſtus: hoc eſt, cavillantur Papiſtæ, tibi Petro, tuiſque quos olim, longa ſerie accipies, ſucceſſoribus, qui promercalibus Cardinalium ſuffragiis nundinatione fædiſſima per fas & nefas irrumpent in ſacrarium ædis Dei. Sed hæc impiorum fæda commenta non tam refutanda quam diſpuenda ſunt.

Ad ſanctam igitur & ſobriam hujuſce loci interpretationem revertamur, unde manifeſtum erit, non Pontificem, Stygis infauſtum

fauſtum germen, ſed Ieſum Chriſtum cæli ſanctam progeniem eſſe fundamentum Eccleſiæ. Sic enim Apoſtolus Paulus ad 1. Cor. 3. *fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Et ad Eph. 2 *Non amplius eſtis hoſpites & inquilini, ſed concives ſanctorum ac domeſtici Dei, ſuperſtructi ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, cujus unius angularis lapis eſt ipſe Ieſus Chriſtus.* Et ibidem, *quo totum ædificium congruenter coagmentatum creſcit, ut ſit templum ſanctum Domino,* in quo *& vos una ædificamini.* Et ipſe Petrus 1. Petr. 2. longè nimium diſtans à Pontificiorum deliriis, ait *ad quem accedentes qui eſt lapis unicus ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum verò electus ac pretioſus: ipſi quoque vivi lapides ædificamini, &c. Quapropter etiam contineatur* in ſcriptura, Eſa. 28. *Ecce pono in Sion lapidem imum in angulo electum, pretioſum, cui qui credit, non pudefiet.* Et Matth. 21. Chriſtus ipſe, *quem lapidem reprobarunt ædificantes, is factus eſt caput anguli.* In hanc quaque ſententiam loquitur Petrus in actis Apoſtolicis cap. 4. & aliis in locis ſane frequenter. Cæterum detracto ſimilitudinis & Metaphoræ veſtimento, rem ipſam clarius intueamur. Eccleſia dicitur ædificari, quando vera & immota fide in Salvatorem ſuum recumbit, uti manifeſtum eſt ex eo quod Paulus ad Col. ait 2. v. 5. 6. 7. *gaudens ac cernens ſoliditatem veſtræ in Chriſtum fidei; ſicut igitur accepiſtis Chriſtum Ieſum Dominum, ita in eo incedite radicati & ſuperſtructi in eo, ac confirmati fide ſicut edocti eſtis, &c.* Adeo ut ejus ædificii fundamentum nullum aliud eſſe poſſit quam ipſius fidei objectum, quæ non in Petrum nec ullum alium inter Apoſtolos excellentem dignitate virum, ſed in Ieſum Chriſtum Salvatorem unicum reſpicit ac recumbit. Et quæ tandem hæc furioſorum dementia eſt, reclamante Scriptura, repugnante Apoſtolo, fundamentum aliud præter Chriſtum Ieſum, invitæ & reluctanti Eccleſiæ ſubſternere? Diſertis enim verbis Paulus aſſeverat *unicum eſſe Eccleſiæ fundamentum,* nempe *Ieſum Chriſtum* Salvatorem generis humani, noſque in illo ſolo ſuperſtrui & ſuperædificari: qua verò ratione ſuperædificatio illa peragitur alibi declarat, nempè cum arrepta ſalutari doctrina, Chriſtum Salvatorem fide vera amplectimur, illique innixi ſincera & inconcuſſa fiducia ad finem uſque perſeveremus; adeo ut verè ſuper Chriſtum ædificari, nihil ſit aliud, quam vere & efficaciter in Chriſtum credere.

Quapropter idem Paulus Corinthios appellat. 1. Cor. 3. *ædificationem Dei:* utpote quibus fundamentum illud unicum ſubſtraverat,

verat, nempe ſalvatorem Ieſum. Hinc eſt quod Epheſios, cap. 2. ſuper angularem lapidem ſuperſtructos affirmaverit, eo quod in mundum Salvator introiens promulgavit Euangelium pacis. Huc veteres eleganter applicarunt ſimilitudinem illam de domo ſupra petram ædificata, quam ineffabili ſuavitate Chriſtus ipſe diſcipulis ſuis propoſuit: Matth. 7. & Luc. 13. *Quiſquis audit ex me ſermones iſtos & eos præſtat, aſſimilabo eum viro prudenti, qui ædificavit domum ſuam ſupra Petram; deſcendit autem pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & non cecidit, fundata enim erat ſupra Petram &c.* Petram hîc, inquit Chryſoſtomus in Matth. hom. 15. Chriſtus vocavit doctrinæ ſuæ firmitatem & certitudinem; ex quibus omnibus manifeſtum eſt, *tum nos ædificari quum credimus, adeo ut Chriſti Doctrina & Chriſtus ipſe ſit fidei noſtræ fundamentum*; quare qui dicit nos ſupra Petrum ædificari, ille eadem opera dixiſſe cenſendus eſt, nos in Petrum credere, nos Petrum amplecti & agnoſcere Redemptorem, mediatorem, ſalvatorem; quæ contumelia & impietas procul ab illis abeſſe debet, qui Chriſtum profeſſi, non humanis auxiliis, ſed divinæ miſericordiæ ſalutem ſuam acceptam ferunt.

Ab hac igitur Petra, quia præcipitem Pontificem ejecimus, agedum, ab ovili quoque prædatorem illum lupum abigamus. *Paſce oves meas*, inquit Chriſtus: hoc eſt, inquiunt Pontificii, *Tu Petre*, tuique ſucceſſores toti Eccleſiæ tanquam univerſales Epiſcopi dominabuntur. O vecordiam! o ſingularem impudentiam! Num vel uno verbulo ſucceſſores nominantur? Quid ſi Petro largiamur univerſalem Epiſcopatum, indene ſequitur & Pontificibus deberi, quorum ne mentio quidem facta eſt? Verum multæ & graviſſimæ rationes ſuperſunt quibus evincemus, nec ipſi Petro univerſi curam ovilis à Domino demandatam: ac proinde nec ipſum nec quenquam Pontificum univerſalem Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe conſtitutum. Primum rationis momentum in eo eſt, quod *paſcere oves* Chriſti, non idem ſignificat quod imperare Chriſtianis, & eos tanquam ſubditos inſtar dominantium coercere: ſic enim ipſe Petrus inquit, 1. Epiſt. cap. 5. *paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, non ut dominantes clero.*

Deinde paſcendarum ovium curam non ſolum Petrus ſuſtinuit, junctas operas Apoſtoli quoque reliqui contulerunt; quibus conjunctim univerſis, non uni Petro ſeparatim Chriſtus, inquit, Ioh. 20. *Sicut miſit me pater, ſic ego mitto vos.* Poteſtatem igitur paſcendarum ovium, ſicuti Petro, ſic & reliquis factam eſſe

esse à Domino nemo sanus dubitare potest. Insuper quis tam immanis est audaciæ, qui contendere audeat omnes universi terrarum orbis oves à Petro pastas fuisse? Quare necesse est hanc enuntiationem aut falsam esse, aut non universalem. Sed tantum indefinitam. Princeps autem illa ratio est, quod ipsos Apostolos Petrus non paverit, quod fieri debuisset vel *docendo*, vel *corrigendo*, vel *ablegando mittendove*, vel *denique imperando*.

At *docuisse* minime putandus est; *erant enim omnes docti à Spiritu sancto; correxisse verò, vel reprehendisse quenquam illorum nusquam perhibetur: misisse verò* prorsus alienum est ab omni imagine veritatis, *omnes enim à Christo missi fuerant & legati*, instructique potestate docendi gentes universas. Apostolis autem *imperasse* quicquam quomodo censendus est? utpote quos dignitas & officium Apostolatus ipsi pares fecerat, & exæquârat: paris enim in parem nullum est imperium. Manifestum igitur est, quod Apostolos Petrus non paverit: unde consentaneum est, quod universalem Episcopatum & Ecclesiæ monarchiam nec tenuerit nec occuparit; talem enim definiunt universalem Episcopatum pseudocatholici, cui subjacent omnes omnium Ecclesiarum ministri & pastores. Sic igitur unde salutem causæ sperabant, perniciem & ruinam sibi pepererunt.

Sed insânire nondum desinunt deliri Papistæ: Petrus, (43) ajunt, Romæ fuit, ibidem docuit, & martyrii corona religionem insignivit, vitamque piè actam, morte gloriosa, quanquam acerba finivit. Pedibus enim sursum erectis inter dolores & cruciatus in cruce extinctus est. Quid tum? Romæ sedem fixit igitur, & Episcopi principis autoritatem sibi assumpsit, audio.

43. R. S. pag. 40. *Quare istis non respondet ex authoritate veterum?*

I. B. Si tibi concedam Ricarde quòd tam ambitiosè cupis, quid inde compendii facturus sis non video. Age, fuerit Romæ Divus Petrus; finierit illic vitam acerbissima morte: num inde sequitur, quod Ecclesiæ Princeps constitutus, successorem sibi reliquerit in Monarchia Papam tuum? Hæccine tua Dialectica est? sic instituis ratiocinari? Non video quid invidere tibi debeat pistrino asellus.

Sed autoritatem veterum quia flagitas, sequar vocantem: quanquam à scripturis abeam invitus, dissimilis in eo scarabæis Romanis ὃι μυεῖν ἀπολείπουσι τὰ δυσωδη διώκειν.

Igitur quod de Petri habitatione Romana vestri crepant, Ricarde, id totum penes fidem Papiæ est, quem discipulum Apostolorum fuisse jactitant. Certe quicquid id est, ab hoc uno fluxit in scripta patrum post aliquot sæculorum intervalla viventium, seu opinio seu fides Petrum Romæ fuisse. Igitur cum Papiæ testimonio res tota nitatur, operæ pretium est inquirere quæ huic autori existimatio fuerit apud antiquos, qui ab ætate illius propius aberant.

Et

Et sane Eusebius lib. 3. cap. 38. & 39. decoris illum Apostolicæ scholæ ornamentis exuit, his verbis. *Ipse quidem Papias declarat se nunquam fuisse sanctorum Apostolorum auditorem, aut eosdem oculis suis aspexisse.* & quanquam Irenæus auditorem Iohannis & Polycarpi socium vocet, id Eusebio non probatur, qui *ut exigui ingenii hominem rerumque incredibilium consarcinatorem*, quæ fabulis quam historiis propiores sunt despicit. Cujus notæ illud est quod de Iuda laqueo rupto defluente & post suspendium superstite memorat, cum scriptura tamen asserat Iscariotem præcipiti lapsu effusis intestinis teterrimam mortem obiisse. Nec contentus ipse insanire, multis contagionem suorum errorum affricuit, ut Iustino, Irenæo, Tertulliano, & aliis: Primusque chiliastis autor existit vecordis commenti quo Christum in terris annos mille cum sanctis regnaturum nugantur. Quibus erroribus & Patrocinium & robur addidit, ut inquit Eusebius, *Viri antiquitas*, quæ non semper est genuinum τῆς ὀρθοδοξίας κριτήριον. Ergo quantum Papiæ Petrum Romæ fuisse narrantis testimonium tribuendum sit, relinquo judiciis cordatorum, qui à solida veritate historiæ distinguere norunt τὸ δεκμαπικὸν καὶ ψλασμαπάδες. Sed præter hanc veterum autoritatem homines tui alio utuntur argumento è verbis ipsius Petri derivato: sic enim Petrus 1. Ep. Cap. v. *salutat vos ea quæ est Babylone vobiscum electa Ecclesia, & Marcus filius meus.* Hic Romam vocari Babylonem dicunt: Visitato etiam in Apocalypsi loquendi modo: quia tum temporis instar antiquæ Babylonis & septicollis erat Roma & reliquarum Domina gentium: cui argumento à nobis ipsis Romam ubique Babylonis stigmate inurentibus, autoritatem accedere clamitant. His ergo respondendum est.

Quanquam civitas illa quæ Babylon in Apocalypsi μυστικῶς dicitur ipsissima Roma sit, negamus tamen Epistolã Petro in Latiali Roma conscriptã fuisse: quia duæ tũ, altera in Assyrio, altera in Ægypto, urbes erant cognomines & simpliciter ita dictæ. Ergo cũ Petrus sine circumstantia vel additamento Babylonem nominat, non de figurata sed de vera civitate loqui putandus est: Nam si Romæ scripsit, cur Romæ mentionem non fecit? Cur Papæ qui successisse Petro videri cupiunt, id nominis numquam usurparunt?

Paulus sanè qui plures Romæ litteras scripsit, illo civitatis nomine nusquam utitur, quanquam & Antichristi nequitiam totumque iniquitatis mysterium Deo plenus perspiceret. Quare credibile non est Romam eo nomine fidelibus tum temporis innotuisse. Vnde facile colligas Petrum non figurato & mysteriis implicato nomine, sed vero & simplici usum fuisse, si credendus sit eos quibus scripsit certiores facere voluisse de loco in quo morabatur: quod autem voluerit, è salute patet quam à Babyloniis adscribit.

Cæterum si ad historiæ lucem examinemus hoc commentum, facilè discutientur errorum umbræ. Petrus enim ut historiæ testantur, Martyrium obiit anno Christi 68. At Iohannes Euangelista, si fides Eusebio, ἀποκαλύψιν τῶ μυσηρίε accepit anno 96. quæ res ad id usque tempus opertæ celatæque fuerunt, ita ut ab Ecclesia non noscerentur. Petrus ergo ante revelationem secretorum vita functus, quomodo Babylonem Mysticam apud nescios nominabit, & quidem, sub Epistolæ finem, cui & tempus & locum scribentis appingere, non figuratè & implicitè, sed apertè & simpliciter mos inter omnes obtinuit.

Huc accedit quod datis in eam rem dextris Euangelium circumcisionis Petri curæ, præputii verò Pauli diligentiæ creditum fuerit. Vnde creditu difficile est Petrum deserta sua provincia in alienam involasse: ad fidem vero longe facilius Petrum in alteram tra vel Assyria vel Ægyptiaca Babylone morantem

Iudæis ἐκ διασπορᾶς scripsisse qui post captivitatem vicinis in locis maxima multitudine insederant. Ergo cum Petrus in litteris suis aperto sermone utatur & simplici, Iohannes autem prophetico & μυστικῶδει non eandem urbem ab utroque eadem voce indicari, apertæ rationis est: Nec enim Roma apud recta loquentes Babylon est, sed apud figurate ἀινιττομένους. Babylon dicitur ἐν μυστηρίῳ, sicut eadem Sodoma & Ægyptus non simpliciter sed spiritualiter nominatur. Apoc. 11. v. 8.

Verum his sive opinionibus sive somniis discussis, non erit arduum Richarde rationibus invictis evincere Petrum Romæ non fuisse. Nam cùm homines vestri, Eusebiana autoritate innixi asseverent Petrum annis 25 Romanæ Ecclesiæ præsidisse, necesse est ut anno Christi 43. Petrus Romam venerit, utpote qui anno 68. mortalitatem expleverit. Atqui annus ille à Christo quadragesimus tertius non Romæ sed Hierosolymis & per Syriam Petro transigebatur, cujus Paschate solutus vinculis & carcere liberatus fuit. Act. 12. Iam annum 52. si prospicias, non Romæ sed Hierosolymis invenies Petrum ministrum in concilio Apostolorũ. Actor. 15. quæ res ex Pauli ad Galatas Epistola manifesta est. Paulus enim anno 35. conversus exacto triennio rediit Hierosolymam. Gal. 1. 18. expletisque deinceps annis decem & quatuor, cum Barnaba & Tito venit ad concilium Hierosolymitanum. Gal. 2. 1. quod in quinquagesimum secundum incidit. Iam finito concilio non Romæ sed Antiochiæ versatur. Gal. 2. 11. Anno vero 54. quo Paulus Corintho per Pheben ad Romanos misit Epistolam, nefas est credere Petrum Romæ fuisse. Nam cum illis litteris Christianos alicujus & nominis & famæ commemoret Paulus, iisque salutem adscribat, Petrum tantæ dignitatis & claritudinis virum, indictum præterit: nec Ecclesiam tanti præsulis bonitati commendat, nec hortatur ut tanto Dei beneficio gratè fruatur quod tanto Doctori tradita sit in disciplinam: neque sortem ejus præ cæteris attollit quod tanti pastoris custodiæ commissa fuerit: quod ducem denique & principem omnium nacta sit quo præsenti fruerentur: quæ certe Paulo totum Dei consilium retegente silentio dissimulata non fuissent, si Petrus universæ Ecclesiæ regimini à Deo fuisset impositus.

Anno tandem 87. Paulus Romam venit in vinculis, exceptus ab egressis urbe fidelibus ad Appii forum & Tres Tabernas. Acto. 28. 15. sed nihil de Petro: continuoque biennio quo Paulus in libera custodia visentes excipiebat, nullus Petri congressus memoratur: in Epistolis etiam quas ex vinculis scripsit ad Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, Timotheum, Philemonem, commemoratis passim Christianorum nominibus, de Petro tamen ubique silet, cum Timothei nomen in litterarum inscriptionibus nonnumquam suo sociaret. Quis præsentem credat fuisse semper innominatum? Iam vero si præsens & Princeps Romæ Petrus fuit quantæ audaciæ & contumaciæ reus erit Paulus, ubi negat in Epistolis ad Galatas & Ephesios sese quicquam à Principe illo & Monarcha in disciplina cælesti profecisse? imò ubi memorat Petrum simulatione nimis indecora utentem, oratione libera & nonnihil acerba à se fuisse reprehensum? Denique cum Christo *Capitis & fundamenti* titulum tribuens. Ephes. 1. v. 22, & 2. v. 20. Eundem Petro, Christi vicario debitum, deterente dignitatem silentio negat? Iam cui verisimile fiat Paulum Petro Romæ principatum tenente sic ad Philippenses scribere? *Neminem habeo pari animo praditum, qui sincere res vestras curaturus sit. Nam omnes quæ sua ipsorum sunt quærunt, non quæ Christi Iesu.* Nam Ecclesiæ Monarcha cujus animus excellere cæteros debuit, ne par quidem Paulo fuit studio in Ecclesiam? Num Petrus Philippensium salutem commodis

suis

ſuis poſtponeret? quod hodie mentitis ejus ſucceſſoribus familiare eſt.

Porro ad Coloſſenſes Epiſtola cap. 2. v. 8. quam acriter increpat poteſtatis uſurpatores qui prætextu humilitatis & cultus Angelorum alienæ libertati inſidiantur, qui à capite Chriſto defluunt, qui cibos à Deo permiſſos vetant, qui pietatem cultu hćto & voluntariis corporis ærumnis mentiuntur? quæ cuncta cum homines veſtri velut à Petro profecta tueantur, quis credat tum Petrum Romæ fuiſſe, cum hæc dogmata à Paulo ut perniciosa convellerentur? Sed quod cap. 4. v. 10. 11. addit quam mirum videri poſſet præſente Petro ſcriptum eſſe: *Ariſtarchum* ſcilicet, *& Marcum conſobrinum Barnabæ & Ieſum agnomento Iuſtum, homines circumciſos, ſolos ſibi adjutores fuiſſe in Regno Dei*, & à ſolis illis ſuppeditatum ſibi ſolatium. Vnde colligas Petrum vel præputiatum & ignavum in Eccleſia, & infidum Paulo, vel quod verius eſt, Romæ præſentem non fuiſſe. Nec minus hoc permoveat animum legentis, quod 2. Epiſ. ad Timoth. Cap. 1. v. 17. Oneſiphorus ἐνιχο ſtudio Paulum *quaſiviſſe* dicitur. Cum enim Petrum Romæ regnantem rectâ non adiit perquiſturus ubi ſubditus illi Paulus, & qua parte moraretur? Item quod cap. 4. v. 16. habetur quam mirum eſt. *In prima mea defenſione*, inquit, *nemo mihi adfuit, ſed omnes me deſeruerunt.* Petruſne Paulum in re capitali apud Tyrannum deſeruit? horreo cogitationes meas conſcelerare tanto crimine. Nec leve eſt quod in epiſtola ad Philemonem v. 23. & 24. inter adjutores ſuos quos ſigillatim recenſet, Petrum ne fando quidem nominat: qui præſens & aſſiduitate & diligentia haud dubiè cunctos ſuperaſſet.

Iam vero quod de crucifixo Romæ Petro nugamini, D. Hieronymi autoritate, & Nicolai Lyræ teſtimonio refutatur: neque futilium hominum, neque ſupinè credulorum. Quorum alter Romanæ Eccleſiæ Presbyter & Damaſi Epiſcopi ſtudioſiſſimus procul abfuit à ſuſpicione hæreticæ pravitatis, qua vos ſoletis illos infamare, qui Petrum Hieroſolymis vitam expleviſſe ſcribant.

Verum Richarde ſi poſt tot tormenta litium, tibi conceſſero Petrum Romæ fuiſſe, quid inde ſequetur? Papam Romanum illius in Epiſcopatu ſucceſſorem eſſe. Callide ſanè. Sed quis hoc vobis largitur Petrum fuiſſe Epiſcopum? Nonne Apoſtolus erat ad univerſalem Eccleſiam cum cæteris legatus? Quis vos docuit Apoſtolatum cum Epiſcopatu, quæ particularis Eccleſiæ præfectura eſt, confundere? Siccine totius orbis magiſter & Doctor intra unius Eccleſiæ curam & ſubſellia compingetur? Contumelioſa ſunt hæc Apoſtolicæ dignitati. Quare cum Epiſcopum Romæ Petrus non egerit, in Romano Epiſcopatu fruſtra ſuccedat illi tuus Pontifex. Sed dic tandem Richarde qua fronte Papam ut Epiſcopum ſuccedere Petro affirmetis: Num Epiſcopi munere fungitur, num paſcit gregem, num fovet, num tuetur? Imo deglubit, mactat, laniat. Veritatis in doctrina & Sacramentis negligens, divini cultus contemptor, nec erudiendi cura, neque morum ſanctitate Petrum æmulatur. Iam in vita civili quid tam diſſimile Petro eſt quam tuus Papa? Ille humilis ſubmiſſus imperantibus paruit, tributa indicentibus ſolvit, obſequium omnibus Chriſtianæ diſciplinæ æmulis præcepit. Hic ſuperbus, arrogans, obſequiū erga regentes exuit, civilis imperii vinculis mancipia ſua ſolvit; in fortunas denique & capita principū ſibi vim & poteſtatem arrogavit. Et hūc adhuc Petro vel parē vel ſucceſſorem facimus? qui vendendis & emēdis ſacris Simonem Magum refert, qui affectandis divinis honoribus Caligulam reddit; occidendis per calumniam Chriſtianis Neronem, vitæ denique infamis obſcænitate Heliogabalum imaginat.

Sed Papæ ſucceſſio, quî magis inde firmatur? Quis ſanus ita

semet deludi patietur, ut credat, ideo quod in urbe Petrus, si forte fuerit, hæredium Ecclesiastici principatus continua successione Pontificibus deberi? veruntamen quis est, qui fide non dubia Petrum Romæ fuisse adseveret? narrant historiæ dices. Non ab oraculo veritatis igitur, sed ab (44) infido vocis humanæ testimonio, prima sacerrimæ dominationis origo petita est.

44. R. S. pag. 41. *Quomodo nosti scripturam nisi ab infido isto testimonio?*

I. B. Quid sibi velit hæc importuna quæstio, Richarde, non satis assequor. Puto te non adeo obbrutuisse ut Papiæ testimonium ejusdem autoritatis putes cum totius Ecclesiæ consensu: aut traditiones humanas eadem fide recipi debere qua divina oracula amplectimur. Si tu Richarde (vel quis tui non absimilis) nec ingenii maximi nec fidei egregius, rem mirandã mihi nec oculato nec ante aurito testi enarres, quam ego victus asseverationum tuarũ frequentia, vel ore vel scripto diffundam ad plures, à quibus eadem rursus ad alios invalescat, donec famâ sui impleat civitatem, num propterea veritas constabit narrationibus tuis, quia victus ego vel deceptus easdem inserui in ore populi? Deus errorem illum hostibus. Num ergo Papiæ narratio, quæ à solo & primo illo emanavit, pari fide & autoritate erit quibus universæ testimonium Ecclesiæ Scripturam celebrantis? Quis tam protervè ausit illudere suo ipsius Iudicio? Quam lubricum quam subjectum errori, malitiæ, corruptelis, unius testimonium! Quo tu vel ductus, vel tutus argumento, Foxianam historiam de parricidio martyrum ut plenam mendaciorum petulantissimis sæpe ludibriis exagitasti; quo tamen res parentum nostrorum memoriâ gestæ, non unius sed plurimorum & quidem optimorum hominum fide, quibusque nullum è mendacio pretium traditæ monumentisque consignatæ sunt. Quare cum tibi id licentiæ sumas, ut ea calumnieris & repudies quæ sub oculis avorum nostrorum peracta fuere: noli indignari nec invidere nobis libertatem flagitandi testes sacras litteras in iis negotiis quæ pertinent ad salutem, & fluxis hominum testimoniis ut junceo tibicine periculosè fulciuntur.

Verũ ut non ignores Richarde quantũ intersit inter traditiones vestras, quæ fragili mortualium fide malè se tuentur, & sacræ scripturæ oracula quæ divinis testimoniis innituntur. Audi, quid Christus promittat Ecclesiæ Matth. ult. cap. *adfuturum se illi ad consummationem seculi.* Vnde credimus iisdem nos privilegiis frui quibus dotata erat Iudæorum Ecclesia, *Cui tradita fuerunt eloquia Dei:* quæ Deus idem quâ dedit eâdem curâ tuetur in salutem suorum, & improborum perniciem, qui per animi pravitatem illis abutuntur: accedit autem his *eloquiis* fides & autoritas non tantum ex universali tot sæculorum & Ecclesiarum consensu, sed ex interno suo & velut indigena testimonio, quo ipsa per se convincunt, se divinæ veritatis esse; quam in dubium vocare, vel disputando convellere ferreæ contumaciæ & Cyclopum furoris est.

Neque te, Richarde, quamvis odiosa interrogatione lacessas patientiam bonorum, ita projectæ & perditæ impietatis judico, ut putem te libidini Papæ novum Euangelium, ut olim non nemo fecit, parturientis fidem tuam proculcatis scripturis gratificari velle. Ipsis quippe scripturis in animos etiã protervos magna vis est, adeo ut nolentes cogat ad consensum. Quare, rectius consules saluti & existimationi tuæ, si quæstiones ancipites & ἀθεότητος pedissequas reliqueris aliis, qui vindicis iram ludibriis irritant. Sed tamen quia quæris, respondeo: non ab infido vocis humanæ testimonio, sed ipsius scripturæ radiis & σπινθηρίσμῳ, sanctique Spiritus luce collustrantis animos

scripturam

scripturam nosci, quæ insitam ingenitamque sibi esse vim suam ipsamet testatur & effectu probat: cui accedunt velut auxiliares copiæ. *Antiquitas, puritas, perfectio, partiumque omnium consensus, majestas etiam & simplicitas orationis, domitrix rebellium conscientiarum & obluctantium animorum victrix: praedictionum certissimus eventus; scriptores a fingendi non modo fraude, sed etiam suspicione alieni; defensio divina adversus Tyrannorum haec scripta abolere studentium rabiem, Martyrum in cruciatibus constantia, Tragici persecutorum exitus*, & similia quæ in sensus incurrentia, tam extraneos allicunt vel percellunt, quam roborant domesticos & in fide confirmant. Veruntamen cum Ecclesiæ testimonio asserentis veritatem verbi assentimur, non ideo credimus quia sic testatur Ecclesia, sed quia divinam scripturæ autoritatem Spiritus sanctus in cordibus nostris obsignat. Est enim scriptura veritas ab ipso Deo veritatis fonte profecta, quæ insita & interna sua luce micans oculos mentis ferit & aperit, seque adspiciendam præbet. Et cujus quæso ecclesiæ vel testimonium vel commendatio subigere nos possit ut ignotis, despectis, calamitosis hominibus, quales Apostoli, qualis ipse Christus fuere, assentiamur, nisi ista vis ex ipsa doctrina sese exeruisset, & cujus nos stimulis impelli sentimus ad eam amplectendam?

Quare cum in unum Deum fides nostra sese advolvat, illi soli incumbat, nec humano testimonio fulciri aut statuminari opus habeat, diligenter cavendum est ne reverentia, quam Ecclesiæ debemus, in detrimentum aut perniciem nobis vertat. Ergo ubi speciosо Ecclesiæ nomine doctrina quæpiam commendatur, ilicò nobis ad instrumentum salutis, ad normam & regulam, quæ scriptura est, confugiendum erit. Nam ut in numeris vel pondere dubitatio, calculis aut lance adhibita facile tollitur: sic quæ in fide aut dubia, aut dissidia oriuntur, adhibita quam in hunc usum Deus tradidit regula, minimo labore, errore nullo componuntur. Quæ scriptura cum Petri principatum & monarchiam non agnoscat, cum eundem Romæ fuisse nusquam perhibeat, nobis tam promptum quam utile est ejusmodi commenta, quæ falso Ecclesiæ fuco venditantur imperitis, aspernari, & quam possumus procul ejicere.

Et hæc de primatu Papæ in dispungendis notulis tuis dicta sunto. Sequitur sacrificium missæ, in quo asserendo tam frigidus & jejunus es, ut erubescam ad stuporem & vecordiam Adversarii. Sed audiamus te sine proœmio, ut rideamus maturius.

Sed his omissis, operæ pretium est animadvertere qua ratione Petro successerit, cujus in Scriptura neque nomen neque titulum ullum dignitatis, præter Apostoli reperimus. Quocirca si Petro succedat pōtifex, aliter fieri nō potest quin ipsi succedat ut Apostolus; quod dignitatis augustæ nomen, si recipiat, equidem scire velim quomodo vocationem Apostolicam probare possit, qui non ab ipso Deo sine mortalium interventu dictus est, sed hominum suffragiis, per ambitum, cæteraſque malas artes, corruptis, eligitur: quaque disciplina, quoque pietatis studio munus Apostoli tueri potest, qui pedum soleas, quos in peregrinando terrarum orbe, erudiendoque ad salutem exercere debuisset, per superbiam & molitiem principibus, quos edicto Dei colere jussus est, porrigit osculandas.

Hæc igitur esto prima Pontificiorum rebellionis erga scripturas, impietatis in Deum, & regiam Christi majestatem perfidiæ & perduellionis convicta doctrina: cui papistica dum adhæret Ecclesia, nec *Vera* nec *Apostolica* nec *Catholica est*.

Hac igitur expuncta majus opus movendum est, iisdemque quibus usi sumus testibus evincendum, reliquas Pontificiorum Doctrinas sacerdotali officio, Christique meritis, plenæque pro peccatis satisfactioni, nefariis & injuriosis derogare contumeliis, tantumque cum placitis Apostolorum bellum gerere, ut nec *Apostolicæ* nec *Romanæ* nominari queant: quas res tractaturo visum est uti sermone simplici, & accomodato ad intelligentiam illorum, quibus hanc operam ab initio navare constitui.

Verum hîc si quibusdam pro instituti operis ratione prolixiores esse videamur, illi veniam dabunt, ubi legendi fastidium cum rerum utilitate compararint. Nam cum in hisce doctrinis res utrisque capitales vertantur, operæ pretium est animadvertere, quomodo ad defensionem falsissimorum errorum non pertinaciam modo, sed crudelitatem & rabiem advocarint, qua studiosos veritatis, & mancipes scripturarum per omnes terrarum angulos exagitatos lacerarunt: ut tandem expositis tot calamitatum miseriarumque causis, quibus oppressa gemit Ecclesia, boni mortales, & devoti veræ religioni, magis ac magis exaggerent animos suos generosa constantia; qua furiarum terrorumque impetus fortiter sustinentes, in asserenda cælesti veritate indefessi perseverent, donec exacta per laboriosam militiam vita sua, gloria macti & honore triumphum ducant in cœlis.

Sed ad quæstiones ipsas progrediamur, quarum falsitatem armis Pontificii, veritatem Reformati sanguine propagârunt. Ac prima sit illa nobilis, & tantis contentionibus agitata quæstio, de sacrificio missæ, quod sese Christi mandatis, & Apostolorum accepisse, mentiuntur: ad quos errores refutandos, priusquam accedamus, Apostolicam doctrinam, eamque depromptis ab ipsâ veritate testimoniis, firmatam & stabilitam, proponemus, ut ad lucem divinæ lampadis, horribile monstrum, noctis editum partu, perspicuè magis agnoscatur.

Igitur ut à Scripturis edocti sumus, ita confitemur, cruentum illud Jesu Christi sacrificium, semel in Cruce factum, fuisse solum & unicum sacrificium externum, & reale in Christiana Ecclesia; idemque fuisse solum & unicum propitiatorium pro peccatis nostris, Christumque solum

lum esse Pontificem, verumque Sacerdotem, nec ullum aliud expectandum esse sacrificium novi fœderis.

Cujus nostræ confessionis veritatem, utpote dimanantem è verbo Dei, testimoniis invictis corroborabimus, ubi Pontificiorum de Missa doctrinam oculis legentium subjecerimus, ut oppositæ juxta se res tam contrariæ, magis eluceſcant.

Sic igitur Papistæ. In actione, quam vocant, missæ, verum, externum, & reale fieri sacrificium, ibidemque sacrificulos Sacerdotes, verum Christi corpus, & sanguinem offerre Deo, idque sub panis & vini speciebus, idemque sacrificium propitiatorium esse pro vivis & mortuis.

Quod Pseudo-catholicorum dogma merum pus est, & venenum Theologiæ. Statuit enim aliud à sacrificio Christi, sacrificium propitiatorium, idque incruentum; Sacramenti naturamà Christo constituti corrumpit: inductaque reali præsentiâ, panem vice Christi suggerit adorandum, & ne quod absit palmare nefas, peccatum in veniale mortaleque distinguit, culpam remitti docet, manere pœnam, hominum meritis expiare peccata, residuasque miseris animis, & penitus inolitas labes, igne purgatorio exuri.

Hæ sunt illæ doctrinæ, quæ de missâ natæ, cum missa pariter & vivunt & occident. Sed in ipso limine, ne verborum ambiguitate irretiamur, Controversiæ statum tricis omnibus exolutum, manifestius proponamus. Nos igitur honestâ veritatis fiduciâ asserimus *solum Christum verum esse Sacerdotem & Pontificem novi Testamenti, & ejus mortem unicum esse novi Testamenti sacrificium, reale & propriè dictum, idque pro peccatis propitiatorium*. Pseudocatholici verò exitiabili mendacio pernegant *Christum solum esse Sacerdotem, ejusque mortem unicum esse novi fœderis sacrificium, & unici illius virtute peccata propitiari:* Attribuunt enim missæ sacrificio vim propitiatoriam quæ in vivos juxta & mortuos exeritur, illamque virtutem & efficaciam Missæ conciliari putant, simulac sacratus ab Episcopo Sacerdotulus, unctus & delibutus, ilicet ab impositione manuum, *potestatem acceperit offerendi sacrificium Deo, Missasque celebrandi tam pro vivis quam pro mortuis*. His enim verborum præstigiis ab Episcopo sacerdos constituitur, qui Iesum Christum reali & propitiatorio sacrificio oblatum quotidiè immolet: unde liquet, alios præter Christum in Papatu Sacerdotes, aliud, præter Christi mortem, sacrificium coli: Et hic quidem est controversiæ status, ad quam ritè pertractandam haud absurdum

erit & ſacerdotis & ſacrificii naturam penitus habere perſpectam.

Apud omnes in confeſſo eſt, ſacrificiorum omniſque cultus qui victimarum immolatione celebratur, authorem, fundatoremque Deum eſſe; nec pœnas ibi tantummodo peccatis hominum debitas, ſed & ipſum Meſſiam qui ſuppliciis noſtris ſuccidaneam ſe victimam immolaret, ad vivum fuiſſe delineatum, tantamque Legiſlatori Deo fuiſſe cultus hujus curam, ut ne leviſſimum quidem hujuſce religionis momentum ſine juſſu & authoritate ſua vel inſtitui voluerit, vel immutari. Quæ res, ut de Chriſti ſacrificio rectè ſtatuamus, permagni momenti eſt. Chriſtus enim peracto in cruce ſui corporis ſacrificio, quo figuras omnes & imagines abolevit, rationem ipſe modumque Eccleſiæ ſuæ præſcripſit, quo ſalutaris illius victimæ fructus & utilitas in nos dimanaret, ut in hoc religioſiſſimo cultu nihil è nobis ſapere vel quicquam ſtatuere conaremur. Sicut enim in momentaneis illis & umbraticis & mox evanituris ſacrificiis nihil ultra citrave Dei præſcriptum homini licuit, ſic in æterno, perpetuo, perfectoque illo ſacrificio quod æternus ipſe Sacerdos obtulit, humanæ cogitationi voluntatique ne minimum quidem indulgendum fuit.

Sed ille modus & ratio quam utilitati ſuorum Chriſtus inſtituit, qualis igitur & quænam eſt? nihil hic ambagibus opus, nihil tergiverſatione: ſi docenti Deo præbeamus aures, confecta res eſt. *Evangelii prædicationem & uſum Sacramentorum Chriſtus ipſe ſapientiſſimus Legiſlator inſtituit, quibus in ſacratam ſibi rempublicam beneficia magni illius Sacrificii auxiliante Spiritu ſancto derivaret.* Præter quæ media conſequendæ beatitudinis cùm non aliud à Deo vel juſſum vel permiſſum eſſe comperiamus, inſanientem illorum ſapientiam judicamus, qui realis & externi ſacrificii modum, magno ſuo malo, prava ingenii libidine commenti ſunt.

Fit enim ut hoc admiſſo delirio, Chriſti ſacrificium & æternæ illius victimæ efficacia, non enervetur modò ſed tollatur. Si quis enim vir munificus, & divinæ liberalitatis acerbo duroque creditori, miſerorum aliquot & inopum debitorum nomine, pecuniam grandem repræſentaret, & ea conditione ut ii ſolutione demum fruerentur, qui beneficium accipere non erubeſcerent, nonne ſtultum & inſanum foret pecuniam toties numerandam dicere, quoties ſibi bene fieri, vel hic vel ille pateretur? Eodem modo ſe res habet in ſacrificio Salvatoris. Hâc enim piaculari victimâ cum Deo plenè fuerit & abundè pro nobis ſatisfactum; ſi modo

verâque

veràque sincerâque fide beneficium oblatum amplectamur, impiissimæ stultitiæ reus est, qui Christum, ut in nos immolatæ victimæ fructus & utilitas derivetur, rursus immolandum sacrificandumque, meliora monitus pervicacitate contendit.

Et hæc quidem consideratio quanquam ad intellectum & stabilimentum sententiæ nostræ lucem contulerit haud pænitendâ, tamen enitendum putavi, ut è vocum accuratiori explicatione claritatis aliquid veritati fœneremur. Superioris igitur assertionis nostræ prædicatum diligentius excutiamus: *Christum enim Pontificem appellavimus & Sacerdotem.* Quæ voces etiamsi stante veteri fœdere cum Aaroni tum posteris illius inditæ fuerint, hunc tamen Pontificem nostrum peculiaribus sibi notis ab ordine Levitico longissimè distinguimus, utpote quem æternum & à Leviticis adumbratum, novique fœderis Sacerdotem indigitamus.

Et quamquam Euangelii præcones allusione quadam ad veterem cultum Sacerdotes nominantur, enatam è similitudine denominationem fuisse putandum est, quoniam per Euangelii prædicationem, contriti cordibus auditores, quasi sacrificantur, & ancipiti gladio divini verbi transverberati mactatique Deo consecrantur, *ut nostra oblatio* (Rom. 15.) *sit accepta, sanctificata per Spiritum Sanctum.* Christum autem non ex umbra quadam similitudinis, sed ipsa rei veritate, *Sacerdotem & Pontificem vere nominamus.*

Sed voce Sacerdotis examinatâ, vocem sacrificii, & quid illa significet, investigemus. Et quanquam futilis & inepta videri possit anxia nimis & scrupulosa verborum perscrutatio, tamen utilitate sua, si prudenter adhibeatur, sæpè non caret. Quoties enim illis vocibus utimur, quæ sacris literis comprehensæ sunt, danda est opera ut idem apud nos, quod illic significent; nam si quis pro nutu & arbitrio suo, novam vocibus usitatis significationem affingat, næ perversus ille cum pravis commentis suis è Theologiæ sacris procul arcendus est.

Vox igitur sacrificii quid in Scriptura sonet, audiamus. Et sacrificii quidem significatio multiformis est, & latè patens, non solum denotans sacras illas & divinitus institutas ceremonias, è quarum norma victimæ ritè immolabantur, sed & illas insuper donationes quæ rerum inanimarum incruentarumque oblatione peragebantur. Deinde vox sacrificii non actionem tantum significat, quô res sacratæ votæque Deo offeruntur, sed & ipsam rem sacratam votamq; ambitu suo comprehendit. Vsus tamen quem

penes est & vis & norma loquendi, ferè obtinuit ut ipsa oblationis actio sacrificium; res autem oblata, vel victima vel hostia nominetur.

Igitur primaria sacrificii significatio est, veréque propria, *quæ sacram denotat actionem quâ res externæ & votivæ Deo ritè consecrantur.* Ex hâc primariâ subinde per similitudinem (nihil est enim in rerum natura unde simile duci non possit) altera deducta fuit & derivata, *quæ spiritualem & interiorem Dei cultum, atque ipsa pietatis & charitatis officia denotaret.* De posteriori quod metaphoricâ loquendi ratione præcariò venit in possessionem vocis, nec sermo nobis est, nec controversia. De priori quod & proprium & externum & reale est, certamen omne cernitur: cujus ita demum natura definiri potest. *Sacra nimirum ceremonia à Deo instituta quâ pios Majores nostros ante Christi adventum uti voluit, ut hoc velut adminiculo cum ad pœnitentiam tum ad fidem ipsius Christi (qui typicis illis sacrificiis præfigurabatur) excitati, gratâ religiosâque rei externæ & transmutatæ Deoque soli à legitimo Sacerdote consecratæ oblatione, Deum propitiarent.*

Verum cum Christus adventu suo, sed imprimis eo sacrificio quo semet in cruce pro nobis obtulit, omnes umbras figurasque veteris Testamenti aboleverit, omnis etiam in Ecclesia sacrificii realis & externi consuetudo cessavit & exolevit: nam quodcunque sacrificium propriè dictum reperimus, illud vel umbra quædam fuit & imago venturi Messiæ, vel ipsum illud sacrificium quo sese Christus in ara crucis hostiam obtulit acceptam Deo. nec ullum præter hoc à Christo sacrificium vel præscriptum fuit Ecclesiæ vel mandatum; cujus utpote summi Doctoris arbitrio cum temperanda sit omnis nostra religio, faceſſat à nobis illa commentitia sacrificii quotidiani ratio, quod in terra, mortali manu peragitur, omnemque beatitudinis & salutis nostræ spem in unico Christi Sacerdotis æterni sacrificio, quod semel in cruce peractum est, collocemus.

Sacrificii vocem & quid illa significet hactenus explicuisse sufficiat. Verum cum sacrificia divinitus instituta vel propitiatoria fuerint vel eucharistica, Christi sacrificium revera propitiatorium fuisse animosè & constanter affirmamus. *Deus enim misit Christum* (ait ille dilectus Deo Ioh. epist. 1. cap. 4.) *ut esset propitiatio pro peccatis nostris:* (& iterum 2. Ioh. cap. 2.) *ipse est propitiatio pro peccatis nostris,* adeo ut væcordes illi qui novum sacrificii genus, quo delicta mortalium expientur adinvenêrunt, Christi mortem parvi pendere,

pendere, æternique ſacrificii virtutem ſuſque deque habere non immerito videantur.

Sed explicato quantum ſatis eſt hoc ſacrificio, diligenter obſervandum eſt, ne ſacrificium ipſum cum applicatione ſacrificii confundamus; nec enim remedium ipſum cum remedii admotione permiſceri natura patitur. Chriſtus autem ſemel oblatus, immolatuſque ſacrificari denuo non poteſt, ſed infinita ſempiternaque virtus & efficacia victimæ cœleſtis, ope Spiritus ſancti, vi prædicationis Euangelicæ, ſubſidio ſacramentorum, piis fidelium mentibus apponi, applicari, imo inſinuari debet. Quibus ita conſtitutis, efficitur, *Ieſum Chriſtum eſſe ſolum, & unicum, verumque Pontificem novi fœderis, illiuſque ſacrificium ſemel in cruce peractum, unicum eſſe, ſolumque novi Teſtamenti ſacrificium externum, reale, propriè dictum, quo ſolo generis humani peccata procurentur, expienturque.*

Sed aſſertâ veritate, ſententiam Pſeudo-catholicorum explodendam exſibilandamque producamus. Sic igitur opinantur. *In actione, quam abſurdo vocabulo, Miſſam vocant, veram, realem, externamque victimam immolari, verumque Chriſti corpus & ſanguinem, ſub vini paniſque ſpecie à ſacerdotulis offerri Deo, virtuteque hujuſce ſacrificii piacularis vivorum mortuorumque peccata ſimul expiari.*

Quod opinionis portentum eâdem quâ partum eſt, abſurditate tuentur: ſacrificium enim Chriſti geminum conſtituunt, cruentum unum, alterum incruentum. Illud ſemel in cruce peractum; hoc à ſacerdotibus ſæpè peragi dicunt, idque, ſi Deo placet, Chriſto jubente, qui memoriam ſuæ mortis non Euangelii tantùm præconio recoli, ſed argutis miſſæ geſticulationibus eandē Eccleſiæ velut in tabulâ volunt exhiberi. Eâdem quoque ratione Sacerdotes geminantur. Primarius Eccleſiæ ſacerdos Chriſtus ſtatuitur. In ordine ſecundario, prô pudor! infinita presbyterorum, ſacerdotulorumq; caterva collocatur, qui Chriſtum ipſum ſecundariè (ut illi balbutiunt) immolent, ſacrificentque. Differentiam inter cruentum & incruentum ſacrificium non in ipsâ re ſtatuunt, ſed in modo; quapropter & incruenti vis eadem in peccatis expiandis perhibetur, quam cruento ſacræ literæ tribuunt. Si quæras unde fiat ut mortuorum vivorumque ſimul hoc ſacrificio peccata procurentur, in promptu ratio eſt; quia non omne in hâc vitâ peccatum remittitur, ſed etiam poſt mortem purgatoriis ignibus reſiduum excoquitur exuriturque. Hinc incruenti

ſacrificii,

ſacrificii, virtus non ad eos modo qui ſunt, ſed qui fuerunt, extenditur.

Et hoc eſt illud monſtrum quod inſolens & impatiens corrigi, ferro flammaque & omni genere rabidæ crudelitatis lachrymabilem Reipublicæ Chriſtianæ vaſtitatem intulit; adeò ut dum incruentum ſacrificium Roma venditat, univerſa propemodum Europa ſanguine fidelium inundaverit. Sed tempus eſt, ut ſacrificium hoc pſeudo-catholicum non inſtitutione divinâ, nec mandato Chriſti, ſed carioſo putidiſſimarum diſtinctionum tibicine malè fultum, convellamus impellamuſque.

Prodeat igitur illa de ſecundario Sacerdote diſtinctio, quantumque in aſſerenda laborent, audiamus. *Sacerdotali Salvatoris, inquiunt, dignitati, minorum gentium Sacerdotuli non magis derogant, quàm inferiores & miniſtri & præcones, paſtorali & prophetico ejuſdem officio detrahunt. Sicut enim Aaron ſummus Pontifex infra ſe minores aliquot ordinatos habuit, & ipſi reges in adminiſtrandâ republicâ multiplici ſerie vicarios ſibi miniſtros ſubrogant: Eodem modo Chriſtus in functione Sacerdotali principem locum tenere, ſed munia laborum inferioribus delegare pro libitu poteſt. Nec Apoſtolus,* ajunt, *Sacerdotum inferiorum, eorumque qui vicario munere funguntur multiplicationem excluſit, ſed collateralium tantum, qui gradu & dignitate cum ordinis principe contendunt.*

Et hoc unicum eſt malæ cauſæ pravum patrocinium. Quid enim? Inferiorum illa ſacerdotum cum miniſtris inferioribus comparatio inſana eſt & intollerabilis. Nam quod rei caput eſt, in officio prophetico Chriſtus ipſe minores verbi præcones ſuo ſibi mandato legavit: Matth. 28. *Ite & prædicate:* ſed in ſacerdotali munere ſacrificandi partes alteri commiſiſſe nuſquam legitur. Divus Paulus etiam Epheſ. 4. 11. cum munia repetit hominibus à Deo commiſſa, diſertè narrat *Apoſtolorum, Prophetarum, Euangeliſtarum, Paſtorum, & Doctorum vocationem datam à Deo fuiſſe,* ſed Sacerdotum qui vicariam Chriſto commodent operam, neutiquam meminit.

Deinde prædicandi magna eſt & inevitabilis neceſſitas: 1 Cor. 9. 16. *væ mihi ſi non prædicem*; & hoc ipſum munus in Eccleſia requiritur *ad coagmentationem Sanctorum, ad opus miniſterii, ad ædificationem corporis Chriſti.* Eph. 4. 12. Sed immolantium & ſacrificantium Sacerdotum nec uſus eſt, nec neceſſitas. Nec leviter illud animadvertendum eſt, quòd Euangelii præcones mero tantùm miniſterio ſibi delegato funguntur, omniſq; virtus & efficacia, quæ

quæ labores sudoresque eorum concomitatur, à Deo profluat & emanet. *Paulus enim plantat, & Apollo irrigat,* sed Pastorum Prophetarumque princeps Christus internâ vi & virtute facto semini sufficit incrementum : adeò ut vicarius hominum labor nihil prophetico deroget officio Christi.

Verùm Pseudo-catholici commentitio suo sacrificio tantam attribuunt virtutem & efficaciam, ut ejus vi non peccata tantùm expientur, sed ipsum Christi corpus stupendâ generatione producatur, unde fit ut in negotio spirituali, non Ministros & Vicarios sese Christo submittunt, sed eidem se vel pares, vel eodem se majores jactent & extollant.

Verùm ad Aaronem quod provocant ineptum est. Habuit ille quidem ad diversa sacrificia, quibus undequaque peragendis unus impar erat, inferiores sibi sublegatos sacerdotes: attamen in Sanctũ sanctorũ effuso sanguine reconciliationis ipse solus & unicus intravit. Exod. 30. 10. nec in sancti muneris illius societatem quenquam admisit, at Pseudo-catholici non à Christo tantùm illam piacularem victimam, & divinæ pacis reconciliatricem, sed à sacerdotulis etiam suis offerri sacrificarique contendunt. Quo fit ut suos Pontificulos in sacerdotali dignitate, Christo salvatori adæquâverint.

Nec majoris est momenti quod de Rege ineptiunt. Est quidem in more positum Regibus, ut illis negotiis quibus ipsi superesse non possunt, alios delegatâ jurisdictione præficiant; majestatem tamen & summum imperium nemini delegant, nec in illius authoritatis possessionem quenquam admittunt. Christus autem sacerdos æternus & absolutus, constitutusq; à Deo secundùm ordinem Melchisedech, cum singulas muneris sui partes obire per se facillimè possit, nec vicariis eget quorum operâ sublevetur, nec rivales suæ dignitatis obtrudi sibi cupit, quibus sancti & cœlestis sacerdotii gloria communicetur.

Verùm Pontificii, quasi parum esset unum admittere, multitudinem penè infinitam in societatem hujus muneris advocarunt, qui Christi corpus quotidiè immolent, eoque sacrificio Deum iratum humano generi reconcilient. Imo non contenti Christo pares facere suos sacerdotes eosdem supra Christum ipsum extulerunt : cujus impudentiæ dementia non minus portentosa quàm manifesta est : Constat enim sacrificantem undique sacrificio majorem & digniorem esse. Sic Aaron dignitate victimas præcellebat : sicut enim victimæ Christum immolandum adumbrabant,

sic

ſic Aaron Chriſtum immolantem referebat: Res autem ſic habet; in naturâ humanâ Chriſtus immolabatur, ſed divina demum natura fuit quæ virtutem & efficaciam ſacrificio conciliabat; teſte Apoſtolo ad Hæbr. cap. 9. verſ. 14. *Chriſtus per ſpiritum æternum ſeſe obtulit inculpatum Deo:* ſic ut in ipſo Chriſto majus aliquid & excellentius fuerit, officio fungi ſacrificantis, quàm ſacrificii victimæq; partes ſuſtinere. Quare non ultra dubium eſt quin ſacerdos infrunitus ille qui Chriſtum offert & immolat Chriſto ſe non adæquet tantum, ſed longè præferat, utpote qui laboriosâ paſſione ſacrificii relictâ Chriſto, ſibi dignitatem arroget ſacrificantis.

Multaque præterea ſunt in quibus Pſeudo-catholicorum ſuperbia ſeſe ſuper Chriſtum evexit: Chriſtus enim corpus ſuum obtulit dum in terrâ verſaretur: Illi ſacrificare Chriſti corpus non erubeſcunt, poſtquam in cœlos ſubvectum eſt. Chriſtus uno in loco; illi millenis in locis offerunt: Chriſtus è Maria virgine natum corpus immolavit: illi corpus è farina piſtum. Chriſtus abſque miraculo, illi cum fidem omnem ſupergreſſo miraculo ſacrificium peragunt. Denique ne quid ad impudentiam & impietatem reliquum ſit, ſuos quoque Sacerdotes ſecundum ordinem Melchiſedeci conſtituerunt.

Quod autem Sacerdotum omnium ab Apoſtolo multiplicationem damnari negant, vix reſponſo dignum eſt. Succeſſionem enim omnium excludit Apoſtolus, præter eorum qui vitâ defuncti vacuum ſucceſſori locum morte fecerunt: Chriſtus autem cum mortem amplius neſciat, quis in eius locum ſucceſſor reperietur? Et ita quidem prior illa diſtinctio corruit.

Nunc ad alteram quæ ſua ſe contradictione deſtruit everrendam, accedamus. *Ajunt enim miſſæ ſacrificium cum ſacrificio Chriſti unum & idem eſſe, veruntamen incruentum.* Quis hîc riſum, imo quis indignationem teneat? Sacrificium Chriſti in cruce peractum, quo pretioſus ille ſanguis effuſus eſt, idem aſſerunt cum illo, ubi ne guttam ſpargi confitentur. Quis hîc non videt inſaniam in ſe verſam, & ſuo ipſius vulnere dementiam cadere?

Præterea, proprietates ipſæ utriuſque ſacrificii, crucis & miſſæ tantâ contrarietate inter ſe diſſident, ut nulla poſſit inter eas identitas excogitari. Nam in miſſa cuncta ad animi voluptatẽ hilaritatemque velut in Comicorum ſcena comparata ſunt. In cruce verò cuncta tragici terroris, & feralis aſpectus, horrendique cruciatus plena fuere. Quare ſi voluptas & dolor, hilaritas & terror unum

num idemque ſunt, cauſam non dico cur crucis & miſſæ ſacrificium unum idemque cenſeri non debeat.

Inſanam igitur hanc diſtinctionem ſuis implicatam contradictionibus, ipſam ſe deſtruere ſatis oſtenſum eſt: ſed ea non modò ſecum, ſed inſuper cum Dei verbo inimicitias gerit. Nam ſi Chriſtus uno illo cruento ſacrificio non abundè nobis Deum propitiarit, adeò ut incruenti ſacrificii interventu quotidiè debeat immolari, ſequitur ejuſdem Chriſti plura diverſaque ſacrificia reperiri, quod ſacræ ſcripturæ penitus adverſatur. Sic enim Divus Paulus loquitur ad Hæbr. 10. *Sanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel.* Et in eodem capite: *Chriſtus unâ pro peccatis oblatâ victimâ in perpetuum ſedet ad dextram Dei &c. unicâ enim oblatione conſecravit in perpetuum eos qui ſanctificantur.* Heb. 9. *non ut ſæpe offerat ſemetipſum, ſicut Pontifex quotannis ingreditur in Sacrarium cum ſanguine alieno, alioqui oportuiſſet ipſum ſæpè paſſum fuiſſe à condito mundo.* Et Heb. 10. *Lex umbram obtinens futurorum bonorum non expreſſam formam rerum, iis hoſtiis quas ſingulis annis eaſdem aſſiduè offerunt, nunquam poteſt accedentes ſanctificare, alioquin non deſiiſſent offerri.* Et in eodem capite. *Vbi eſt peccatorum remiſſio, non eſt amplius oblatio pro peccatis.* Hebr. 9. *Sine ſanguine non eſt remiſſio.* Plura proponi poſſint in eandem ſententiam, è quibus evincitur Chriſti ſacrificium ſemel peractum, haudquaquam iterandum eſſe.

Stante verò Pontificiorum diſtinctione, quis argumentum Apoſtoli jacere non videt? ait enim diſertiſſimis verbis, *Non ut ſæpè offerat, alioquin oportuiſſet ipſum ſæpe paſſum fuiſſe.* Obganniunt Papiſtæ; ſæpè poteſt offerri Chriſtus, & tamen haud ſæpè pati, utpote qui ſine ſanguinis effluvio mactatur. Verum hoc abſurdum & delirantis cerebri commentum, expungit Apoſtolus, cùm ait: hæc duo neceſſitate quâdam ſe mutuò conſequi; *Chriſtum ſæpe offerri, & Chriſtum ſæpè pati:* & alio in loco. *Si lex potuiſſet ſanctificare* (inquit Apoſtolus) *certè hoſtiæ non deſiiſſent offerri.* Ex quo manifeſtò liquet, Chriſtum virtute & efficaciâ ſanctificandi præditum poſtquam ſemel oblatus & immolatus eſt, offerendum amplius & immolandum non eſſe: nam hoc, niſi ſtatuamus, legalibus illum victimis hoſtiiſque minorem & inefficaciorem, non ſine execrando ſcelere facimus.

At incruento ſacrificio ſi Chriſtus offerri poteſt, quid Apoſtolo fiet, qui toties inculcat *Chriſtum ſemel oblatum eſſe, eumque non eſſe ſæpius offerendum?* Alibi quoque Paulus idem tam indubitanter aſſeverat:

seuerat: *Sine sanguine non fieri remissionem peccatorum.* Papistæ tamen absque sanguine eandem fieri scribere non verecundantur. Negat idem Apostolus ullam restare pro peccatis oblationem, postquam ea per Christum remissa sunt: affirmant Pseudo-catholici restare quandam oblationem, sed incruentam. Ita dum propugnandis erroribus suis à pertinacia vires petunt, in ipsam veritatem hostiliter impetum facere nihil pensi habent.

Sed priusquam hac refutatione defungamur, opus est Theorema theologicum monstrosis his paradoxis opponere. *Quotiescunque reperitur in Scriptura propositio universalis, nulla debet eidem opponi distinctio, nisi certis, indubitatis & manifestis inmixa Scripturæ verbis: Ratio est, quia nullum alioqui Theologiæ dogma certum & immotum permaneret. Semper enim illud quod in quæstione positum est à litium & controversiarum avidis exciperetur.* Verùm inquiunt Papistæ, verba jam recitata Apostoli de sacrificio cruento intelligenda sunt. Nemo negat, cui sinciput sanum est: non enim aliud Apostolus agnovit. Igitur cum oblationem unicam asseverando cruentum intelligit, sequitur unicum Christi sacrificium idque cruentum esse, nec argumentis sed sibilis opus esse, quibus illa commentitia distinctio exigatur. Verum concocto tædio tot ineptiarum, sententiam nostram invictis Scripturæ munimentis circumvallemus. Ac in serie locorum ordinem ducat illustris illa Divi Pauli ad Hebr. 8. testificatio.

1. Hebr. 8. *Sacerdotes qui secundum legem offerunt dona, exemplari & umbræ deserviunt rerum cælestium, sicut divino dictum est Moisi, vide ut facias omnia ad exemplar quod tibi ostensum est in monte, &c.* & Col. 2 *quæ sunt umbræ futurorum, corpus autem Christi. &c.* Hebr. 10. *Lex umbram habens futurorum bonorum non expressam formam rerum, iis hostiis quas singulis annis easdem assiduè offerunt, nunquam potest accedentes sanctificare, &c.*

2. 1. Tim. 2. *Vnus Deus, unus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui semetipsum dedit redemptionis pretium.* Hebr. 9. *Adveniens autem Christus Pontifex futurorum bonorum, &c. ingressus est semel in Sacrarium, æternam redemptionem nactus.* Hebr. 7. *Talis nos decebat Pontifex pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior cœlis factus, &c.* Hebr. 12. *Accessistis ad novi testamenti mediatorem Iesum Christum, & sanguinem aspersionis, &c.* Ierem. 31. Heb. 8. *Ecce dies venient dicit dominus, cum pangam cum domo Israel & cum domo Iuda fœdus novum, &c. dum dicit novum, antiquavit prius.*

3. Heb.

3. Hebr. 10. *Vnicâ oblatione consecravit in perpetuum eos qui sanctificantur.* Ac eodem in capite, *quâ voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel factam.* Heb. 9. *Nunc semel in consummatione sæculorum ad abolendum peccatum per immolationem sui ipsius patefactus est. &c. Christus semel oblatus ut multorum peccata tolleret.* Ephes. 5. *Christus dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & victimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ.*

4 Heb. 7. *Illi quidem plures facti sunt Sacerdotes quòd mors prohiberet eos permanere: at hic propterea quod in æternum manet, perpetuum habet Sacerdotium, unde & servare prorsus potest eos qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens & interpellans pro iis, &c. cui non sit quotidiè necesse quemadmodum illis Pontificibus prius pro peccatis propriis victimas offerre, deinde pro peccatis populi, id enim fecit semel cum semetipsum obtulit.* Heb. 10. *Vnica oblata hostia in perpetuum sedet ad dextram Dei.* 1. Ioh. 2. *Si quis peccaverit, Advocatum apud Patrem habemus Iesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, &c.* 1. Ioh. 4. *item misit filium suum ut esset propitiatio pro peccatis nostris.*

Ex tribus illis prioribus Scripturæ locis evincitur, Christum sub veteri Testamento, Sacerdotum & sacrificiorum typis adumbratum fuisse.

Ex quinque sequentibus Christum novissimis temporibus exhibitum, solum & unicum esse novi Testamenti mediatorem & Pontificem, veteris Testamenti sacerdotio sublato, & cæremoniis abrogatis: Mediatoris autem & Pontificis munus tam arctâ inter se cognatione devinciuntur, ut alterum ab altero divelli vel separari non possit: Nam Christus eo potissimum tempore partes mediatoris in se suscepit, cum Sacerdos pro nobis factus, obtulit semetipsum hostiam pro peccatis nostris piacularem. Hebr. 9. & 1. Tim. cap. 2.

Ex tribus autem subsequentibus manifesto liquet, Christum & Sacerdotem simul & hostiam factum, obtulisse semetipsum in arâ crucis ut eâ victimâ peccata nostra expiaret, & unico sacrificio consecraret illos in æternum qui divinitus sanctificantur.

Sed ex ultimis Scripturæ testimoniis haud dubiè constat Christum peracto sacrificio quo semet pro nobis obtulit hostiam Deo, gloriâ mactum inenarrabili considere ad dextram sui patris, non ut inde profectus iterum se victimam offerat, sed ut illorum beatitudini consulat qui per ipsum accedunt ad Deum, ut semper ipse vivens & perpetuo gaudens sacerdotio preces suas interpo-

nat pro piis; ut unici sui sacrificii semel in cruce peracti, nec unquam repetendi, sempiternâ & in omne ævum duratura virtute & efficacia sanctas illas animas reconciliet Deo, quæ fidei tenacitate divinum illud beneficium amplectuntur.

Ex omnibus hisce locis coacervatis & inter se connexis Apodoxin hanc firmatam munitamque exstruximus: Ille namque solus est & unicus novi Testamenti Pontifex, sacerdos, & mediator, qui stante veteri fœdere, typis sacerdotum, sacrificiorumque figuris adumbrabatur: qui semetipsum pro nobis in cruce victimam immolans piacularem, eos in æternum consecravit qui sanctificantur; qui semper vivens æternoque fruens sacerdotio salutem nostram precibus suis commendat Deo. Quæ cuncta cum soli tantum Christo conveniant, necessario sequitur eundem esse solum illum & unicum novi Testamenti Pontificem & sacerdotem, nec aliud ullum in Ecclesiâ sacrificium extare præter illud quo semet hostiam offerens in cruce, peccata nostra suo sanguine propitians expiavit: Cujus demonstrationis tanta claritas est, ut negari non possit nisi ab iis qui meridie non lucere judicant.

Medium enim non tantum è notis sibi peculiaribus & ex sacro oraculo petitis, subjectum nempe Iesum Christum designat: sed ipsius attributi quod de Christo prædicatur continet definitionem. Elucet enim ex ipsis Scripturæ locis, quibus innititur omnis hæc demonstratio, quid sit esse Pontificem novi fœderis, & Sacerdotem, quid sit externum illud & reale sacrificium novi Testamenti, quæ quidem ita per se de Christo enunciantur, ut sine Christo nec intelligi possint nec definiri: si quæras enim quis sit Sacerdos & Pontifex novi fœderis, ut promptu responsio est, ille quem valido adhuc veteri Testamento, Typici sacerdotes adumbrabant, ille qui perpetuo sacerdotio fungitur, ille qui sacerdos simul & victima factus est.

Si rursum interroges quid est reale illud sacrificium novi Testamenti; statim audias, actio illa sancta, mirabilis, veneranda, quâ semet in cruce Christus obtulit hostiam Deo, ut nos æternæ mortis supplicio & servitute emancipatos assereret in libertatem filiorum Dei: Huc ergo necesse est redeamus, illud esse solum, verumque novi fœderis sacrificium in quo unus & idem sacerdos est & victima: tandemque in eo sacrificio subsistamus quod à Christo semel in cruce peractum est.

Ex præceptis igitur legitimæ demonstrationis omnia in hac Apodixi reciprocantur. Nam Christus is est quem sacræ literæ typis adumbratum, simulque Sacerdotem & victimam factam fuisse

isse testantur: & vicissim quem adumbratum simulque Pontificem & hostiam fuisse Scriptura narrat, is est Christus benedictus in sæcula. Sic Pontifex & sacerdos novi Testamenti Christus solus est; & si Scripturam reciprocantem audimus, Christus solus est Pontifex & Sacerdos novi Testamenti. Manet igitur & æternum permanebit hujus sententiæ veritas, *Christum esse solum sacerdotem novi fœderis, & sacrificium ejus in cruce peractum, unicum esse solumque quod in Ecclesiâ novi Testamenti coli debeat & agnosci.* Affirmamus igitur haud dubiè, Christum prædicta vatum oraculis tempestate, carne indutum, hostiam semet obtulisse pro nobis peractoque in cruce sacrificio sui, reliquis omnibus sacrificiis externis posuisse finem. *Pontificii contrà, legalibus antiquatis sacrificiis, Christum nihilominus in dies efferri, immolarique in missâ incruentum debere dicunt.*

Quod exitiabile dogma cum tantam Theologiæ labem intulerit, à Scripturâ, quæ nobis ad veritatem investigandam dux esse debet, si probari firmarique postulemus, ad illa Christi verba Papistæ confugiunt; *hoc facite*, iisque inclusa contineri duo Sacramenta mortales inepti fingunt. Ordinum & Sacerdotii unum, alterum Sacramenti cænæ, quod in Sacrificium siccum & incruentum, & panis Idololatriam, non sine instinctu mali genii converterunt; veruntamen cum ex hisce verbis & hoc enunciato, nemo sanus intelligi sacrificium debere existimet, cumque Christus ipse non sacrificâsse sed celebrâsse Cænam perhibeatur, cumque nullus Apostolorum hac de re tanquam sacrificio verbum fecerit, alias nihil eorum negligere soliti quæ pertinent ad voluntatem Dei; Nobis omninò tenendum est, nihil ejuscemodi verbis comprehendi, quod unico & externo Christi Sacrificio, vel derogare, vel homines ad excogitandum aliud propitiatorium monere possit.

Agedum igitur, & è verbo Dei, cujus è vestigiis excedere nefas est, testes omni exceptione majores adducamus, quibus Apostolicæ doctrinæ veritatem comprobemus. Quæ res ut ordine procedat, statuimus.

Primò, nullum esse externum reale sacrificium in Ecclesia Christi.

Secundò, solum Iesu Christi Sacrificium esse propitiatorium.

Tertiò, oblationem Christi sine morte & obitu ejusdem fieri non posse, Christumque post mortem semel à se debellatam, amplius neque mori posse nec offerri.

Quartò, sacrificium Christi factum semel in cruce, per fidem prædi-

cationemque Euangelii, usumque Sacramentorum efficaciter operante Spiritu sancto, nobis applicandum esse.

Quintò, Christum solum esse & unicum Sacerdotem illius victimæ, per quam expiantur peccata, spirituales autem sacerdotes esse non ministros solum, sed omnes utriusque sexus fideles.

Verum quod primò propositum est, age confirmemus. Divus Paulus in Epist. ad Hebr. cap. 10. inquit: *omnem Sacerdotem adstare quotidiè operantem, & easdem sæpius offerentem hostias, quæ nunquam possint auferre peccata: hunc verò unâ pro peccatis oblatâ victimâ, in perpetuum sedere ad dextram Dei, id quod supereſt expectantem, donec inimici ejus scabellum pedum ejus fiant: unicâ enim oblatione, consecrare eos qui sanctificantur.* Quid apertius pro veritate scribi potuisset? Vnius virtute sacrificii sanctificantur homines. Quid opus igitur quotidiana sacrificii repetitione? manſurus est Christus in cælis ad sæculorum usque consummationem; quî potest igitur in terris, omnibus horis, tot diversis locorum intervallis. *realiter & personaliter* offerri? sed ne qua dubitatio, piis relinqueretur, idem Apostolus cap. 9. ait. *Eum in cælos intrasse non ut sæpe offerat* (45) *semetipsum, alioquin oportuisse eum sæpe passum fuisse à condito mundo.* & in 10. *Legem umbram obtinuisse futurorum bonorum, non expressam rerum formam, iis hostiis quas singulis annis easdem assidue offerunt, nunquam potuisse accedentes sanctificare, alioquin non desiissent offerri:* liquet igitur quod Christi sacrificium semel factum, at non sæpe faciendum reliquis omnibus sacrificiis attulerit finem.

45 R. S. pag. 57. *Christus semel seipsum offerebat sacrificium cruentum.*

I. B. Cum te daturum aliquid dignum hiatu tuo putarem, elusisti non semel expectationem meam: sed nunc opinor ipsummet te frustratus es. Quid enim vel ad argumentum meum vel ad rem totam ea verba pertinent quibus tu miseram chartam conscribellasti? Estne hoc inauditum in Ecclesia vel indictum ore alieno. *Christum semel obtulisse se sacrificium cruentum?* At quæ tu id nobis recitas quasi à te primo observatum: cum nihil aliud inculcet scriptura, nec alio partam nanciscamur salutem. Quod tamen hic fateris, paulo post negas, eo successu ut tuo te obelisco jugules, tuaque deserta, meam imprudens vel invitus asseras sententiam, ut e sequentibus patebit.

Quid ad hæc Papistæ? Christus, inquiunt, sæpe potest offerri nec ideo tamen pati, quia sine sanguine potest offerri; sed negavit Apostolus offerri posse Christum, & tamen non pati. Vtri credemus? at offertur, ajunt, sine sanguine. Verum subjungit Apostolus: sine sanguine nullam esse remissionem. Quocirca si Christus offerri potest incruentus idque oblatione propitiatoria, quis vi niæ locus erit Apostolo, qui (46) sine sanguine nullam esse docet remissionem

missionem peccatorum? Sed (47) respondeant aliquando Papistæ, cui bono sit hæc incruenta pro peccatis oblatio. Nam Christi sacrificio remissionem adeptis peccatorum, quod ipsum quanquam periniqui sunt, denegare tamen haud sustinebunt, supervacaneus est & inutilis usus oblationis.

46 R. S. pag. 58. *Sine sanguine Iesu Christi nullam esse redemptionem omnes quotquot sunt confitentur Papistæ. Quid ergo? si hinc concludas non dari sacrificium incruentum, ridiculus es & Democrito dignus.*

I. B. Richarde non modo sacris Romanis initiatus non es, sed ne quidem à limine illa salutasti. Hoccine Papistæ confitentur omnes? Rudis es & imperitus, opinionem illius sectæ ad quam te animi impetus non judicium abripuit. Sed ipse tu nonne negasti? Numquid sacrificio Missæ quod sacramentum altaris vocas, propitiari Deum & vivis & mortuis dicitis? Scalpe sinciput & exsuscita memoriam. at sacrificium hoc nonne incruentum est? sic vultis. Quid jam è tuis præmissis colligitur, nonne quod sine Christi sanguine detur redemptio? Stolide nec veritatis tantum sed mendacii incapax & ignare, nonne sentis adhuc, te Missam ipsam improvida tua loquacitate enervasse? Nam neque propitiatio in illa, neque redemptio est, quæ incruenta peragitur. Idolum ergo & detestandum portentum est.

Sed sequitur aliud furiatæ mentis ἐξάμβλωμα: convicium, turpis fœtus impotentis animi. Ridendus autem rides. Quis enim unquam quicquam ineptius. Nam si per sacrificium incruentum intelligas sacrificium Christi, næ tibi risus tuus vertat in fletum & *stridorem dentium*: Sin vero spirituale sacrificium & cultum internum Christianorum innuis, quære quocum litiges: habes enim nos assentientes isti sententiæ.

47 R. S. pag. 59. *Hoc factum esse εἰς τὴν τῶ χριστῶ ἀνάμνησιν* Luc. 22. 19. *Nam redemptio generalu particulariter applicatur in sacrificio altaris.*

I. B. Ipsa impudentia (penes quam vestræ factionis imperium est) negare erubescit peccatorum remissionem oblatione cruenta partam: confoderetur enim ea negatio districtissimis Apostoli asseverationibus: Qui concesso axiomati subnectit aliud ejusdem veritatis *non esse amplius oblationem pro peccatis, ubi peccatorum est remissio.* Quibus Apostoli pronuntiatis urgere cepi vestram insaniam, quærebam enim, *cui bono sit hæc incruenta oblatio, si jam partasit peccatorum remissio.* Huic tu quæstioni (vir perspicax scilicet) jam respondes. *Sacrificari Christum in Christi memoriam. Vt Generalis redemptio particulariter applicetur.* Quo responso nullum ipsi Missæ exitialius cogitari potest, quam pagina sequenti, *oblationem eandem & eandem cum Christo victimam appellas.* Nam si sit eadem oblatio, quomodo erit oblationis illius applicatio & commemoratio? Tu furiosus in ipsam Missam involas & quam colis jugulas. Sed ipsum jam responsum examinemus.

Hoc fit, inquis, εἰς τὴν τῶ χριστῶ ἀνάμνησιν. Siccine? Ergo Missalis oblatio quæ commemorativa est non erit vera & realis oblatio corporis Christi: quod tamen alibi valde vis. Nam id quod rem commemorat non est ipsa res commemorata: commemoratio enim est rei præteritæ & absentis: præsens autem & præteritum simul esse non possunt nisi in tua Africana Dialectica quæ semper aliquid monstri parit: subjungis alteram rationem Missæ *ut generalis redemptio particulariter applicetur.* Et hæc Richarde Missam adurget magnis absurditatibus; Nam si sacrificii propitiatorii applicatio tantum est in Missa, tum Missæ sacrificium ipsum non est ἱλαστικὸν: Nam ut donatio differt a re donata, sic a re applicata applicatio dissidet: at in Missa inquis

applicatur sacrificium Christi: non est igitur in Missa propitiatoria oblatio, nec sacrificatur in illa Christus, ut ejus satisfactio semel in cruce peracta nobis applicetur. Quod manifestæ rationis est: aliter enim contradictionibus mutuis hæc implicarentur. Satisfactionis quippe applicatio, satisfactionem ante peractam supponit: at vos in ipsa applicatione peragendam satisfactionem dicitis. Quo nihil absurdius aut repugnantius. Statuitur enim idem jam factum & adhuc faciendum esse.

Porrò cum in sacramento Baptismi sacrificium Christi & surgentes ab eo fructus nobis applicentur Rom. 6. Col. 2. Nullo tamen inter Baptismum repetito sacrificio, quid tandē causæ est ut in cæna Domini ad applicandum mortis Dominicæ beneficium novo sacrificio operemur? Neque deerunt qui rationis similitudine inducti colligant incarnandum denuo Christum esse, ut fructus τῆς ἐνσαρκώσιος nobis applicetur; si propterea denuo sacrificandus sit, ut sacrificii fructus in nos derivetur. Et qui de resurrectione idem flagitabunt, eadem ratione utentur, quam vobis refutare, dum insaniam similem insanitis, non licet. Veruntamen in applicatione beneficiorum Christi non ineunda est nobis via quæ lubet, sed quæ patet: patet autem gemina, unâ Spiritus, alterâ Evangelii prædicatio penetrant; ille intus efficaciter influit, hæc foris potenter allicit. His sane duobus auxiliis omnis applicatio peragitur, nec mandatum in Scripturis ullum accepimus renovandi sacrificii quod semel in cruce peractū per fidem credentibus applicatur. Quā sententiā Christus & scripturæ passim & docent & firmant. Sic Ioh. 17. *pro eis ego sanctifico meipsum ut sint & ipsi sanctificati per veritatem: non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui per sermonem eorum credituri sunt in me.* sic Rom. 3. *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Sic Hebr. 10. *Quum habeamus sacerdotem magnum præfectum Domui Dei, accedamus cum verò corde & certa persuasione fidei.* Quibus apertum est, Christi beneficia in nos descendere per fidem quam tum ἐνέργεια Spiritus, tum Euangelii κήρυγμα in animis inserunt.

Quamvis autem Euangelii prædicatio spiritualis cujusdam sacrificii naturam referat, & figurate sacrificium appelletur; Missæ tamen sacrificium non juvat. Quid enim commune est Euangelii κηρύγματι luculento & vocali, cum mutis & inimicis Missæ gesticulationibus? Iam euangelium quoties prædicatur, toties offertur Christus, non Deo, sed nobis, ut vera fide receptum totis animi amplexubus asseramus: denique per Euangelii prædicationem non Christus, sed credentes sacrificantur Deo, quoties verbi divini cecespitâ, exscissis superbiæ fibris, humiles & submissi Domino consecrantur. Quid multa congeram in re non dubia? vim modo vocabulorum expende & quid *applicatio commemoratioque* sibi velint cogita, nec difficulter intelliges Christi sacrificium nobis applicari dum Christus offertur non Deo sed nobis.

Verum quæ restant testimonia producamus Hebr. 7. *Talis*, inquit, *nos decebat pontifex, cui non sit quotidiè necesse, quemadmodum illis pontificibus, prius pro peccatis propriis victimas offerre, deinde pro peccatis populi, hoc enim fecit semel, quum semetipsum obtulit. Et Capite 10. sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel factam.* Si sanctificati sumus, igitur oblatione Christi semel facta, quis furor est (48) oblationem aliam eamque sæpe faciendam comminisci, nisi per infandum scelus Scripturæ fidem detraxero, cumque gregis immeriti pernicie, doctrinas, malis falsitatum venenis

nenis imbutas, loco pabuli salutaris, esurientibus animis proponere.

48 R. S. pag. 60. *Eadem est oblatio, eadem victima, sed non eo modo facta.*

I. B. Vt asellus in pistrino gyrum, sic tu in differendo circulum tuum teris: principium petere & tibimet contradicere ex consuetudine in naturam abiit. Primo quidem assumis quasi τὸ ὁμολογούμενον id quod inter nos controvertitur, quo nullus in scholis crassior aut putidior est error. Negamus enim Missam vestram esse Christi sacrificium, quia semel id oblatum fuit nec iterari possit. Tu autem respondes *eandem oblationem esse, &c.* Sed illam circuli tui fatuitatem pueris ridendam propinemus. Deinde rationem omnem & tua ipsius dicta evertis. Quomodo enim Missæ & Christi sacrificium *eadem* erunt *oblatio & victima*, cum non proprietatibus tantum sed tota definitione dissentiant. Christi enim sacrificium multa morte, sanguine & dolore plenum ab ipso Christo sacerdote & victimâ & altari ad mundi totius ἀπολύτρωσιν ut infinitæ virtutis & meriti oblatum fuit Deo Patri. In Missa vero ubi mors, ubi sanguinis, ubi dolor, ubi sacerdos Christus, ubi infinita virtus? cum ad eruendam ex igne purgatorio unam animulam plures sæpe Missæ demurmurari debeant. Iam Christi victima fuit tota natura humana, quæ nata ex Maria virgine, sub Pilato passa, victis & subjugatis inferis resurrexit & ad dextram Patris triumphat. At Missæ victima, πλάσμα pistoris est, farina tenuis, furfuraceum numen, Ethnicorum popanum. Quare qui hic oblationem eandem, eandem victimam fingunt, non verbis sed flagris castigandi sunt.

Sed quid sibi vult illa verborum appendicula Richarde, *non eodem modo facta*? dicine potuit quicquam insulsius? Etenim oblationis Christi modus est, quod ad mortem quod unica fuerit, & semel à Christo tantum facta repeti non possit: qui oblationis Christi & solus & necessarius modus est. Quare si tu Christi oblationem ut ab illo modo disjunctam consideres, ipsum negas ipsum esse, quod omnis dementiæ extremum est. Igitur si Missæ sacrificium nec à Christo offeratur, neque Christi mors sit, neque sacrificium cruentum, quod jam fateris cum *modo non eodem factum* dicis; hoc apertum est te tibimet ipsi pugnacissimè contradicere, dum ilicò negas, quod modo affirmaveras. Vnum enim est in novo fœdere ἱλαστικὸν sacrificium, & plura dari non posse ratio evincit. Nam quamvis unius substantiæ plures & variæ dari possint actiones & passiones & ejusdem hominis numero plures, eadem specie; tamen nonnullæ ejusmodi naturæ sint, ut sint singulares, nec repeti possint nec iterari; ut in Christo nasci, mori, resurgere. Quare cum Christi oblatio mortem ejus secum inferat, sublata morte tollitur oblatio. Mors enim est necessarius oblationis hujus modus. Vnde fit ut actio Christi, nimirum oblatio, passionem ejusdem ut individuam comitem trahit: est enim actio Christi patientis. Quam atrocem tu ergo vim rationi facis qui Missæ & Christi idem sacrificium, eandem oblationem asseris, cum tamen illo modo Missa differat à Christi oblatione, quo dempto, non est nec esse potest eadem oblatio? sic levatum jam vides Richarde distinctionis impiæ velum sub quo Missæ teterrimum Idolum, tot Ethnicorum rituum, tot Iudaicarum ceremoniarum mangonio fucatum, ut palladium quoddam civitatis Dei venerandum & exosculandum imperitis proponitur.

Ac in capite primo idem testis disertè affirmat, *Christum purgatione peccatorum nostrorum per seipsum facta*, sedere ad (49) dextram majestatis patris sui in locis excelsissimis. Christus igitur

cum ſedeat in excelſis, qua ratione cælo detrahi & manibus impuris offerri poteſt in terris?

49. R. S. pág. 61. *Chriſtus eſt in dextra Patris, ergo non in terris? admiranda canis ſed non credenda.*

I. B. Heu non tantum inſulſiſſimarum nugarum, ſed teterrimarum in Deum, in ſcripturas, in ſacramenta, in rationem blaſphemiarum farraginem! Sed agedum aggrediamur hydram. *Chriſtus*, inquis, *eſt in dextra Patris, ergo non in terris.* Ridentem dicere verum quid vetat? Cum enim ὁ λογὸς naturam humanam aſſumpſerit hypoſtatica unitione, ſequitur Chriſti corpus verum omnibuſq; proprietatibus humani corporis & dimenſionibus præditum eſſe. Quare cum corpus illud ſurſum in cœlis ſit, idem in terris deorſum non eſſe dictat ratio, quam ſuffulciunt tot diſerta ſcripturæ teſtimonia. Sic enim Matth. 26. Chriſtus ipſe loquitur *pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis.* Sic Iohan. 17. *Nunc non amplius ſum in mundo* inquit Chriſtus. Sic ad Hebræos Apoſtolus cap. 4. ſcribit *habemus ſummum ſacerdotem qui penetravit cælos*, & cap. 8. *ſi eſſet in terra non eſſet ſacerdos, &c.* & Actorum 3. præciſe affirmatur *oportere cælum capere Chriſtum uſque ad tempus reſtitutionis omnium.* Sed jejunæ ambitionis & ſupervacuæ diligentiæ fuerit ſingula colligere (ſunt enim ſexcenta) quæ ad rei tam manifeſtæ probationem è ſcripturis adferri poſſunt. Vnum Matthæi locum cap. 28. v. 6. prætervire injuria veritatis fuerit. *Non eſt hic, ſurrexit enim prout dixit: adeſte videte locum ubi jacebat Dominus.* Vbi triplici argumento, *rationis, ſcripturæ, ſenſuum* reſurrectionem Chriſti evincit Apoſtolus, eodemque nos corporis ejuſdem in variis locis ſurſum in cælis deorſum in terris exiſtentiam convellimus: hoc enim axioma niſi inconcuſſæ veritatis ſit, Angeli ratiocinantis conſequentia inanis fuerit. Vtitur enim hoc argumento: *ſurrexit è ſepulchro, non eſt igitur hic:* quo firmamur & nos. Chriſtus aſcendit in Cœlum, ergo corpus abſtulit è terris. Nec vos juvat illud miſerabile ſuffugium, *non eſt hic*, hoc eſt, non jacet in ſepulchro mortuus ut unguentis veſtris imbuatur. Ait enim Angelus abſolute, *non eſt hic*, ingreſſiſque mulieribus in ſepulchrum, & abſentiam ejus mirantibus addit eò loci Chriſtum quærendum non eſſe, quia *reſurrexerat:* corpus enim quod è ſepulchro exiverat, eodem adhuc contineri ἀσύστατον eſt.

Sed aliud ex ſecundo Angeli argumento telum velut amentata haſta in monſtrum realis præſentiæ nobis porrigitur. Angelus enim ut omnem mulieribus de reſurrectione perſuadendis eripiat ſuſpicionem latentis in ſepulchro corporis, ad ſenſum oculorum, fidiſſimum teſtimonium illis provocat, *Venite & videte locum, ubi poſitus eſt Dominus.* Loco quippe vacuo, & corpore non apparente, quid amplius de reſurrectione Domini & abſentia à ſepulchro dubitaturæ? At Chriſtus cum in Miſſalis & farinacei denarioli figurâ non magis appareat, quam poſt reſurrectionem in ſepulchro viſus fuit, licet & nobis Angelo præeunte & ad oculos teſtes provocante concludere. *non eſt hic. Surſum enim receptus eſt à nobis in cælum.* Siç tum ſcripturæ tum rationis tibicine ſtatuminatâ ſententiâ noſtrâ, videamus quam adverſa & inſeſta fronte ſomnium veſtrum in rationem incurrat & arietet,

Nam ſi Chriſti corpus & in cælo ſimul & in terra poteſt exiſtere, nihil prohibet quin idem infinitis ſimul locis exiſtat, pari cum ipſa Deitate privilegio, & Creatori ſuo creatura exæquetur. Cujus blaſphemiæ ἄῤῥητον βδέλυγμα eſt. Non enim per corporis naturam ſtat, ut vobis placet, quo minus ubique ſit, ſed quod præſtigiatorum & ſacrificulorum copia deſit, qui locos omnes Chriſti multiplicatis corporibus impleant.

Hoc

Hoc absurdum multis aliis stipatur. Nam si corpus unum pluribus in locis simul est, tum corpus idem, & unum erit & multa. Corpus enim in altari oblatum, ab illo divisum est quod fulget in cælo, & ab illis etiam quæ ad reliquas aras offeruntur: At unum divisum non est: tum enim & unum, & non unum foret. Neque medetur incommodo vestra responsio. Vnitatem rei essentialem non ab unitate rei, essentialem non ab unitate loci, sed à principiis suis internis pendere. Internum quippe principium unitatis in corpore est indivisio partium: in toto autem partes distinctæ, sed indivisæ sunt: Nam unitas confusionem aspernatur. Philosophus certè in prædicamentis hoc intrinsecum & ἑστῶτα corpori statuit, situm habere & positionem partium in continuo. At corpus quod hoc loco continetur, continuum esse nequit cum illo corpore quod alio loco circumscribitur, nec agglutinari alteri potest continuitate partium, ob intervallum & intercapedinem loci qui interijcitur. Dividuntur enim quæcunque, non ejusdem loci spacio comprehenduntur, cum fieri nequeat quin χάσμα quod interhiat loca distincta, non separet unum ab alio. Nec juvat ullum atramentum quod rei claræ & liquidæ suffunditis. Sic enim dicitis, *Rem prius unam esse quam uno in loco sit: ergo rei unitatem essentialem non pendere ab unitate loci.* Sane quanquam esse rei, loco rei, & unum esse, quam uno loco esse, natura prius sint, re tamen & tempore non sunt. Sic proprietates substantiis suis natura posteriores, re inseparabiles & individuæ habentur. Vnde manet eadem axiomatis nostri firmitudo, quia unum esse & uno in loco esse, tempore simul & reipsa inseparabilia sunt; quod in hoc rei, de qua disputatur, momento, satis est.

Sed quia in senticerum hoc pedem indui, nolo spinis evellendis fatigari. *Quod in loco est.* Richarde, *id loco suo ita circumscribitur, aut continetur, vel definitur, ut ipsum non sit alibi, quia definita est illius substantia in illo ubi. At Christi corpus cum neque cælo contineri vultis, nec ullo terræ loco sic definiri ut non sit alibi, naturam corporis & omnis rei creatæ destruitis.* Vnde inextricabilium absurditatum nodis implicati, fædam in dictis inconstantiam & inter vos pugnam proditis. Alius enim *circumscribi corpus Christi, definiri* alius putat, & tertius ἐπέχει, eodem tamen omnes infixi luto. Nam nonnulli qui somniant Christi corpus in cælo circumscribi, in sacramento autem nec circumscribi nec definiri digni non sunt, qui à vigilantibus audiantur sibimetipsis contradicentes. Corpus enim loco circumscriptum idem esse non potest cum illo quod circumscriptione caret: circumscribi enim & non circumscribi in dialecticis opposita contradicentia sunt. At acuti homines qui Christi corpus in sacramento circumscribi dicunt, non ratione sui, sed dimensionum panis febriculosis insomniis delirant. Quid enim beato corpori cum dimensionibus panis? Num Christus est superficie lata, rotunda, nullius altitudinis, nullius profunditatis, tam extenuatus ut μονόγραμμος videri possit? Iam verò ubi in variis sacramentis variæ panis fuerint dimensiones, num & rotundam & oblongam, & crassiusculam & tenuiorem figuram uni & eidem corpori adaptabimus? Sic enim aliquid & majus & minus semetipso fingeremus: imo duæ quantitates dimensivæ simul forent panis & corporis: quod Aristotelis (hoc est fere naturæ) voce in Metaphysicis damnatur. *Duo solida non possunt esse in eodem loco.* Cæterum si alienarum dimensionum ratione corpus in sacramento circumscribitur, tum à dimensionibus suis separatur & exuitur: quod in natura ἀδύνατον. Igitur qui hoc dixerit, dicat & illud, ibi esse corpus Christi & non esse, quia ubi corpus est, ibi suæ illud dimensiones necessario comitabuntur. At sanguis qui in venis fluit nonne alveis suis circumscribitur? Medulla nonne ossibus clauditur? carnem & viscera nonne culis astringit? Porrige manum, Richarde, & æstuantes tuos eripe

ex anguſtiis: imo explica te ipſum mæandris intricatiſſimæ fatuitatis. Tu enim ille es qui noveris in cælo ſimul & in terris locare Chriſti corpus.

Sed Ricarde *non poteſt aliquid ſimul eſſe duobus temporibus*, ergo *nec duobus in locis*. Reſpondent tui, tempora ſimul eſſe non poſſunt, quia fluunt: loca vero quia permanent, poſſunt. Quaſi hac reſponſione non ſtringerent ſibi laqueum? loca enim etſi permanent, diverſa tamen loca non ſunt ſimul; quare ſi diverſis temporibus aliquid eſſe ſimul non poteſt, quia diverſa tempora non ſunt ſimul, eadem ratio obtinebit in locis diverſis quæ ſimul non ſunt. Certè ut omnia tempore, ſic loco uno ſunt. Eſt enim contradictorium unum eſſe in locis diſcontinuis, eſſet enim ſimul & non ſimul: quia ſimul aliquid dicitur propter unionem & conjunctionem partium: at loca diverſa ſimul non ſunt: ergo quod in locis diverſis eſt, nec unitum, nec conjunctum, neque ſimul eſt: niſi convulſis naturæ principiis omnia perturbare & permiſcere velimus, ut ex ea confuſione emergat tandem monſtrum realis præſentiæ.

Sed ne meum hîc judicium ſpernas, audi Thomam Aquinatem: *Deus* inquit, *facere non poteſt ut duo contraria ſimul ſint. At omnes loci ſecundum aliquam contrarietatem inter ſe diſtinguuntur: ut ſurſum, deorſum, ſiniſtrorſum, dextrorſum*, ergo Deus facere non poteſt è Thomæ ſententia, *ut corpus unum ſit diverſis in locis*. Sed ne pæniteat Paulũ plus operę impendere audiendo Thomæ. *Locus* inquit *& locatum ſunt æqualia; ſed Sacramentalis panis minutia longe minor eſt Chriſti corpore; corpus igitur Chriſti in pane non eſt ut in loco, nec ratione dimenſionum panis, ut nugatoribus placet, circumſcribitur*. Rurſus Thomas, *Locus* inquit, *eſt terminus locati. At terminus rei, eſt, extra quem nihil eſt rei terminatæ. Si corpus igitur, unum duobus in locis ſimul eſt, extra terminum ſuum ſit neceſſe eſt, & ita locatum ſimul erit & non locatum*. Et has è Thomæ pharetra in Pithonem hunc ſagittas prompſimus.

Verum Ricarde, *Si corpus unum pluribus in locis ſimul eſſe poteſt, tum Ricardus in avio gurguſtio intereſſe poterit ſacrificio Miſſæ, & Shortius apud Edmundanos ſuos ægris miſcere pharmaca: poterit hîc loqui, illic tacere; hîc cubare, ambulare alibi: illic ſudare, hîc algere*. Sed quanta Deus bone ſurgat difficultas, ſi idem Ricardus occurrat ſibi, ſi contendat *de loco*, ſi via decedere nolit. Videor videre jam geminum illum Plautinum Soſiam. At quid tandem? impediretne Ricardus Ricardum? qui poſſet? unus enim & idem homo eſt. impediret tamen quia duobus in locis diverſis eſt. Sed has abſurditates Ricarde ut pediculos Ægyptios tibi relinquo in ſinu. Neque hîc repetam quam fœdis inter ſe & adverſis ſententiis ipſi ὑπεραςπίςαι collidantur: quomodo Scholaſtici & Canonici veluti Midianitarum gladiis inter ſe concurrant, ubi de modo præſentiæ diſputatur: quod tamen magno argumento eſt, hoc monſtrum cum Sacramenti natura quæ manifeſta eſt, cum corporis Chriſti veritate, cum Scripturarum συναληθείᾳ quæ perſpicuæ ſunt, è diametro pugnare. Præſtat ipſum portentum ſuis abſurdis premere, & ſuis ipſi laqueis intercludere Spiritum.

Corpus Chriſti, inquis, *eſt ad dextram Patris & in terris ſimul*. Sed amabo Ricarde qui tam acutum cernis, dic mihi præſentiæ modum. Nam Bellarmino non auſim credere ne Thomas indignè ferat: Thomæ nolim, ne tota Scholaſticorum in me irruat turba. Dic tu aliquem Ricarde, dic colorem, quo hunc Tragelaphum pingas. *Omne enim corpus quando incipit eſſe ubi prius non fuit, aut venit aliunde in eum locum, aut in eo generatur*. Vtrum horum tu accipis? Generarine vis? at fieri nequit, ut id quod generatum ſemel eſt, generetur, aut fiat quod factum eſt. Ergone motu locali venire vis in locum novum? At ſic deſereret priorem; hoc enim de natura motus localis &

lis & essentia est. Verum si has evitaturus Symplegadas, nec generari corpus neque motu locali advenire, sed panem in corpus converti dixeris, nondum eripueris te periculo. Hæc enim conversio nova generatio est. Nam ex pane cum fit corpus, opus audio productionis novæ: corrupta enim re una, sequitur alterius generatio. Sic aqua conversa in vinum, vini certe generatio, sic virga mutata in serpentem, generatio colubri intelligitur. Multis enim modis res producuntur, *creando, generando, putrefaciendo, convertendo*, qui modus ultimus miraculi plenus est. Sed esto: sit in Eucharistia Christus per conversionem panis: Iam aveo scire, num illud ipsum Corpus Christi quod in cœlis est, per conversionem panis sit in Eucharistia. Non negabis opinor. Ergo corpus illud quod est in cœlo fit ex pane: Quam hoc ἐνθύμιον? Nam quod est, id ipsum non potest fieri, & ex diversa materia sanè minimè. At materia panis diversa est ab Abrahami semine, unde ortum ducit id cœlo receptum corpus.

Accipe Syllogismum Ricarde quem solvas. *Quod est, non potest fieri. At Christi corpus est. Ergo non potest fieri.* At fit ex pane, vobis ita pinsentibus; ergo jam contradictio est: Fit quippe quod est, & fit ex pane: æquivocum igitur corpus: nec enim univocum in diversa materia reperitur: sexcenta supersunt nihilo saniora. Quid enim? Conversionibus his non generatur, inquis; augetur tamen Christus. Cum enim perpetuis submutationibus panis vertatur in ipsum, non potest non augeri corpus cui assiduo quid accedit: erit igitur illic augmentum ubi generationem tollitis. *Caterum hæc panis conversio aut est in nihilum, & tum non in Christum: aut in Christi corpus & tum mutationis in illo corpore effectrix.* Alias enim & conversio esset & non conversio: sic enim dissero. *Omnis conversio est in aliquid, & rem aliquam producit. At hæc conversio non est in aliquid, nec rem aliquam producit. Ergo non est conversio.* Minorem firmo: *Si sit conversio in aliquid, tum in corpus Christi: si in corpus Christi, tum in id quod in cœlis est; tum quod in cœlis est hac conversione mutatur: Nam impossibile, aliquid mutari in aliud sine mutatione ejus rei in quam immutatur. At corpus illud gloria plenum & majestatis, mutationis incapax & impatiens est.* Cui accedit quod ad mutationem hanc peragendam opus sit, ut vel hic panis feratur in cœlum, vel corpus Christi è cœlo delabatur in terram. Quæ cuncta tam crassis & spurcis sordibus fætent, ut non solum à commemoratione eorum piæ aures, sed etiam cogitatio ne piæ mentes abhorreant. Et hæc quidem de vi dicta sunt quâ portentum hoc rectam rationem & naturam ipsam violat.

Consequens est videre quomodo cum fidei Analogia pugnet: *Credimus enim Christum ex virgine natum, naturam vere humanam nobis per omnia similem assumpsisse, peccato excepto.* Sed humana natura loco suo terminata, pluribus simul in locis esse non potest. Vnius enim hoc immensæ Deitatis privilegium est & ὑπερεχὴ quâ creaturas omnes excellit. Ier. 23. 24 simul autem finita & infinita esse ne Deitas quidem potest, quæ semper immensa & incomprehensibilis, quia immutabilis manet. Quare fingendum non est, Christo hæc verba proloquente, *hoc est corpus meum*, carnem illius in cælo simul visam & in terra pani fuisse inclusam. Tale enim φαντασίας εἴδωλον spectrum omnem evertit naturam veri corporis.

Credimus etiam Christum legationis à Patre sibi demandatæ perfunctum munere, relicta terra in cœleste sacrarium subvectum esse, unde cum summa gloria & majestate redux judicaturus est universum Terrarum orbem. Quem fidei articulum proterve vexant qui corporis Christi παντοχοῦ urgent, illudque quasi magico carmine è cœlis devocatum non globo solari cum Manichæis, sed micæ panis impingunt. Nam corpus ejus cum verum & proinde finitum

sit,

sit, sedere simul in cœlis & in terra locis infinitis comedi non potest. Nec tamen eò quod ascendit propterea cœna sua abest Christus, quandoquidem præsentia non partis sive corporis est, sed totius personæ. Et cum corpus quà crucifixum & mortuum non amplius sit in natura rerum, absurdè statuitur præsens quà tale. Spirituali vero & divina præsentia nemo non est contentus nisi qui fastidito Spiritu & divinitate, nihil nisi carnem sapit; cui denique quod spirituale est, perinde est ac si nihil esset. Etsi enim panis terrenus sensu ac dente, tamen cælestis sola fide & mente percipitur: neque alia hîc & ab ea quæ fit per verbum diversa est unionis ratio: siquidem sacramentum non aliud obsignat quam quod verbum promittit. Nec quicquam ἀνθητὸν qua tale fidei est objectum: nec tamen reale esse desinit quod est νοητὸν & spirituale: Ac quemadmodum in corporali nutritione assimilatio sequitur manducationem: ita ex spirituali manducatione Christi, sive ea fiat in verbo, sive in sacramentis, coalescimus in unum corpus cum Christo: ita ut fiamus caro ex carne ejus, os ex ossibus ejus per arcanam operationem Spiritus ipsius. Quæ unio nostra cum communionem quoque sanctorum inter se producat, & hunc fidei articulum qui de communione est, evertit commentum realis præsentiæ quo à spirituali σωτηρία ad crassum & barbarum Cyclopicæ κρεοφαγίας Συναίπον revocamur.

Iam ipsam quoque loquendi formam & usitatam in sacramentis phrasin convellit hæc insania. *Panis*, ut usu loquimur, *est corpus Christi*. Atqui panis ipsius substantia non est corpus humanum: Locutio quippe figurata est & sacramentalis. Panis enim & corpus humanum disparata sunt, & quorum alterum de altero non potest prædicari nisi enunciatione metonymicâ vel relativa & σχετικῇ. At panis eâdem ratione *corpus* appellatur, qua Christus ipse vocatur agnus. Ioh. 1. & Christiani omnes *panis unus nominantur*. 1 Cor. 10. Natura quippe omnium Sacramentorum est, ut signa corporaliter, res signatæ spiritualiter intelligantur: ut illæ sensui, hæ menti exhibeantur. Et sane quoties signum dicitur esse res signata, non quid in se sit sed quid significet consideramus. Forma enim sacramentorum posita est in analogia & σχέσει signi terreni ad rem cælestem & significatam: quæ copulatio signi cum signato in sacramentis non est physica qualis est materiæ & formæ: neque localis quo unum alteri est ἀνυπόστατον, sed tota σχετικὴ ac relativa. Nec curanda est illa inanis objectio. *In cœna verbis, nullam esse metonymiam*, quæ secutis Christi verbis metonymiam explicantis satis refutatur. Ait enim *hoc facite*, id est panem hunc edite & hoc poculum bibite in mei μνημόσυνον εὐχαριστικὸν quo memoriam mortis meæ ita recolatis, ut gratiæ divinæ, ex tanto erga vos beneficio, sensu lætemini, & omne vicissim obsequium Deo Spondeatis. Hoc pervulgato loquendi modo *circumcisio est fœdus Dei* Gen. 17. 10. *Agnus est transitus*: Exod. 12. 11. *Petra erat Christus* 1 Cor. 10. 3. *Panis est corpus Christi* Matth. 26. 26. *Poculum est novum testamentum* Luc. 22. 16. quarum locutionum nonnullas Deus ipse verbis propriis interpretatur. Vt circumcisio est *signum* fœderis Gen. 17. 11. Agnus est *signum* & *commemoratio* transitus. Exod. 12. 13. Sabbathum est fœderis *signum* Exod. 13. 9. quod ante fœdus dicitur 31. Exod. vers. 16. In quarum phrasium interpretamentis cum Deum sequamur Authorem, de veritate securi sumus: quæ tamen adeo perspicua & manifesta est ut suiipsius luce incurrat in rationem: sunt enim hujusmodi locutiones non modo in rebus sacris & sacramentalibus sed etiam apud exoticos scriptores receptæ. Sic apud Homerum ubi Græci & Troiani fœdus pangunt, agnis & vino quæ nihil nisi fœderis hujus symbola erant, ipsius fœderis appellatio tribuitur.

Κήρυκες δ' ἀνὰ ἄστυ θεῶν φέρον ὅρκια πιστὰ
Αρνε δύω καὶ οἶνον.

Nec enim subjectæ materiæ aptius, neque communi usu tritius loquendi genus in hisce rebus usurpari potest.

Panis igitur si propria & nativa significatione verborum utimur, est sacramentum corporis Christi: Baptismus signum remissionis peccatorum. Sed metonymicæ prædicationis causa est unio sacramentalis, quæ consistit in analogia & σχέσει elementi sive signi terreni ad rem cęlestem & significatam. Cujus assertionis veritas è Pauli verbis 1 Cor. 10. v. 16. egregie firmatur. *Panis*, inquit, *quem frangimus nonne est communio corporis Christi?* Nam eadem ratione qua panis est *communio* corporis, eadem quoque *corpus* est. At panis est *communio* corporis sacramentali locutionis forma, hoc est signum & sacramentum communionis quæ nobis intercedit cum Christi corpore. Ergo panis etiam est signum & sacramentum corporis. Spiritualem autem hanc communionem esse inde evincitur quod *unum corpus multi* non carne sumus, sed spiritu: cujus communionis spiritualis etiam in scriptura 1 Ioh. 1. v. 3. 6. 7. explicatio sacra est ab illo cui non ignota erant mysteria Domini. *Communio nostra est cum Patre & cum filio ejus Iesu Christo: si dixerimus, nos communionem habere cum eo, & in tenebris incedimus, mentimur, nec sincere agimus. Sin autem in luce ambulamus, sicut ipse est in luce; communionem habemus mutuam*, &c. Similis est phrasis Luc. 22. *Poculum est novum testamentum*, hoc est novi testamenti signum. At qua ratione poculum est testamentum, eadem sanguis; poculum autem propriè loquendo non est ipsa hominum cum Deo per Christi sanguinem reconciliatio quæ testamentum novum dicitur, sed promissæ reconciliationis sigillum: Nec ipse sanguis Domini pro salute mundi effusus, sed fusi signum & sacramentum. Iam verò Christus ipse ut homines à terrena & elementari materia sacramentorum quæ in sensum incurrit, ad virtutem eorundem Σημειωτικὴν, quæ tota cælestis ac spiritualis, spiritum & mentem adficit, paulatim subveheret, ita docet Ioh. 6. *Quid igitur si conspexeritis filium hominis ascendentem eò ubi prius erat? Spiritus est, qui vivificat caro non prodest quicquam: verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt.* Modum scilicet hujus manducationis respectu rei significatæ, non crassam ac carnalem, sed spiritualem esse. Panem terrenum dente, cælestem mente capiendum. Proinde nuda signa non rem, sed panem, & panem Domini, non panem Dominum, percepturos qui ad sacram hanc mensam sine fidei ore accumbunt.

Quare cum forma hujus sacramenti consistat in unione signi cum re signata, non hypostatica aut locali, per unius in altero inexistentiam aut coexistentiam, sed sacramentali & relativa, per quam hæc duo ex divina ordinatione unum fiunt, non genere, aut specie aut numero, sed analogia qua unum refertur ad alterum, quovis malo digni sunt hi mystæ ἀνομίας, qui crasso & barbaro realis præsentiæ commento, generalem sacramentorum naturam usitatamque de ipsis φρασιολογίαν, qua Symbolis vel nomina vel proprietates, vel effecta rerum tribuuntur, corrupere.

Sed jam Ricarde animum invabit advertere ad rationes vestras quibus informe hoc monstrum aluistis: ut sunt *omnipotentia, miraculum, Scripturæ testimonia*; inter quas familiam ducit omnipotentia. Quamvis mirum sit argumentandi genus. *Deus est omnipotens: ergo corpus Christi est sursum in cœlis & deorsum in terris simul.* Quasi Deus omnipotens non sit nisi ea faciat quæ adlubescunt pertinaci tuæ stultitiæ. Sed priusquam hanc de omnipotentia divina Διατριβὴν exordiar, quædam theoremata pręmittam χαλιναγωγοῦντα ἀκατάσχετον illam & incoercibilem licentiam. Quorum primum

esto,

esto: *Nefas esse τοῖς θεολογοῦσι ex Dei omnipotentia argumentum deducere, nisi Dei voluntas disertis Scripturæ testimoniis fuerit manifesta.* Sic enim Christus ipse ad Saducæos Matth. 22. *Erratis* inquit *nescientes scripturas, neq; potestatem Dei*, utpote cum hæc ex illis manifestetur. Sic Angelus omnipotentiam Mariæ non patefacit nisi exposita primum ejusdem voluntate. Quare nisi doceas hoc velle Deum, ut Christus sit in cœlo nec tamen absit à terra, concedat ille omnipotentiæ κομπασμὸς. Nec enim agnoscit Deus ejusmodi omnipotentiæ laudem, qua veritatis & constantiæ laus sibi adimitur, & rerum in verbo prius testatarum natura evertitur: Corpris Christi scilicet & panis & vini; quibus sublatis, ipsum quoque sacramentum tollitur.

Sed id voluisse Deum probatis e Christi verbis *hoc est corpus meum.* Vaferrimum παιάγγελμα id proferre ad testandam Dei voluntatem quæ liquere debeat, quod figurate dictum & inter nos controversum est: Cujus generis in Scripturis multa sunt quæ ad litteram accepta à Dei voluntate & mente quam longissime dissident: Sic enim Anthropomorphitæ ex iis quæ more humano de Dei forma leguntur exitiabili suo commento turpissimum peripetasma obtenderunt. Sed Christi verba, & quid illa significent ponderemus. Ac primo ex te quæro Ricarde, homine acri scilicet & multum perspicaci, num particula *hoc* demonstret ipsum essentiale & naturale Christi corpus, nec ne? Si negas, ultrò evanescit carnalis præsentiæ spectrum. Sin affirmas, vereor ne fatiges audientium patientiam, dum ea conditione corpus demonstras ne videatur. Ecqua enim illa importuna demonstratio est? Si dixeris corpus Christi demonstrari non corporis oculis sed mentis obvium, miserabor nugarum tuarum. Demonstratio enim quæ fit per articulum *hoc*, ad præsentiam referenda est, adeo ut eadem sit præsentiæ quæ demonstrationis ratio: Ergo si corpus Christi non corporeis oculis sed animi videtur, ipsa præsentia corporis in hoc mysterio spiritualis erit. Quid igitur realem corporis in ore manducantis & sub specie panis præsentiam μεταλοῤῥοῶντες ostentatis? Versate vos in omnes formas & omnes Protei vultus, nunquam tamen hoc efficient vestræ præstigiæ, ut corpus quod per indicem præsentiæ articulum *hoc* demonstratum est, non sit ibi visibiliter præsens ubi demonstratur. Quare si vel in pane vel sub specie panis corpus demonstratur, ergo in pane vel sub specie panis visibiliter præsens est, sed sensu teste visibiliter præsens non est: unde pari firmitate concludimus, neque realiter in pane præsens esse. Nam ὁρατὸν καὶ αἰσθητὸν de corpore prædicantur καθ' αὑτὸ & propterea necessario.

Sed hæc forte pro modulo ingenii tui paulo altiora sunt. Absurdum vide quod enascitur ex hac opinione. Idem corpus enim simul actu visibile erit in cœlis & invisibile in terra, idque innumeris in locis: unde sublata veritate & identitate corporis ubiquitas ejus, quam vos verbo tenus odistis, asseritur. Sed absurda vos postmodum prement. Nunc ad ipsa verba redeamus, in quibus nisi figurata statuatur φραστεολογία, frustra expectamus ut à vobis ipsis explicetur. Nam si Christi verbis *hoc est corpus meum* transsubstantiatio peragitur, tum explicari nequit quidnam pronomine *hoc* significetur. Cum enim particula *hoc* pronomen sit demonstrativum, opus est ut aliquid demonstret. *Ergo aut corpus Christi demonstrat, aut substantiam panis sicu vestitam accidentibus, aut nuda denique accidentia panis.* Si demonstrare dixeris corpus Christi; addam ego, non id fieri igitur vi transsubstantiationis, quam vos ipsi verborum demurmuratione peragi statuitis. Sic enim Thomas Patriarcha Scholasticorum: *Consecratio perficitur in ultimo instanti prolationis verborum.* Itaque sequeretur ante consecrationem peractam corpus Christi esse: quod vos vehementissime negatis. Iam his adde perspicua

& di-

& diserta scripturæ verba. *Accepit panem, fregit deditque discipulis suis*, & corpus non demonstrari ipsa rei perspicuitas te coget fateri. Veruntamen si demonstrativum *hoc* ad panis substantiam & ad ipsum panem ut σύμβολον corporis Christi referas βέβαιον καὶ ἀσφαλὲς, jam nunc ἴσχυσε τὸ φάντασμα τῆς μετουσίας. sequitur enim verum panem Apostolis fuisse demonstratum: nec enim adeo (ut spero) pudorem dedecoxistis ut dicere sustineatis aliquid à Christo fallaciter fuisse demonstratum. Sin vero sola panis accidentia demonstrari dixeritis, jam quod tanto labore, tot Sophisticæ filis contexuistis, uno ictu discinditis: quandoquidem negatis accidentia esse corpus Christi quod ex hâc novissima sententia vestra, Christus ipse affirmaret. Ex hoc labirintho quomodo vos exitum moliamini, nondum video. Nam quod quidam è vestris, vagum aliquod individuum comminiscuntur, delirio propius est quam rationi. Et sane ἀλόγιστον illud non differendi sed somniandi genus non tam paralogismum quam Helleborismum sapit. Quomodo enim individuum, πόθι vagum erit & incertum, quod jam determinatum & definitum est: antecedente præsertim Articulo *hoc* qui certum aliquod & palpabile designat. Sin autem cum nonnullis respondeas demonstrari individuum vage determinatū: ita ut in principio illius enuntiationis, *hoc est corpus meum*, sit adhuc panis, in fine vero sit corpus Christi, pro unâ tres nobis obtruseris contradictiones. Nam vage determinatum ἀκαταλήπτον est: deinde si tale demonstratur individuum quod in effati principio panis, in fine corpus est: tum duo individua sunt unum. Tum unum est plura, qui fons est omnis ἀλογίστου καὶ ματαιολογίας. Deniq; ex hac vaga & errabunda interpretatione sequetur, ut verbum *est* significet fieri. At *esse* & *fieri* dicuntur ἀλόγως. Contradictoria igitur sunt quæ blaterant homines tui θεῷ ἐμπνεύσῃ εἰδότες θεῷ ὀρθοτομεῖν. Vides ergo Dei voluntatem neque manifestis neque disertis scripturæ testimoniis asseverari, ut inde deducto omnipotentiæ argumento sententiam vestram corroboretis.

Cui theoremati connexum est *illud*, *Theologice differenti jus non esse ab omnipotentia argumentum petere ad aliquid probandum quod contradictione ipsum se destruit*. Quod cum illis qui inter vos minime mali sunt consentit, utpote qui Deo potestatem illam negant quâ contradicentia simul vera faciat. Hoc enim non omnipotentiæ sed impotentiæ foret, ut benè priscis Doctoribus observatum. *In sinu Dei non est contradictio* inquit Augustinus Confes. lib. 12. cap. 25. & idem alibi *Deus dicitur omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult: quod si ei accideret, nequaquam esset omnipotens: unde propterea quadam non potest, quia est omnipotens.* De Trinit. l. 5. Nec addam quæ pluribus in locis idem Augustinus, quæ Chrysostomus, quæ Ambrosius in hanc sententiam protulere, ne videar tibi è mustaceo ambire laureolam. Ipsi sane Scholastici, quorum nugacissimæ curiositati perparum debet divina scientia, hac tamen in parte non insaniunt; utpote qui ab ipsa natura & ratione id hauserunt, *idem non posse de eodem & verum simul & falsum esse*: Vnde concludunt ne Deum quidem facere posse ut quod factum est, factum non sit. Nam si factum est & verum est, factum esse, ac proinde falsum, factum non esse. Falsa autem Deus non potest quia hoc non posse, non infirmitatis sed virtutis est. Similique rationis στηρίγματι innitentes asserunt, Deum facere non posse ut opposita se mutuo perimentia simul insint in eodem subjecto. Nam contradictio includit falsitatem, quam posse designatur omnipotentia. Eodemque filo veritatis ducti præclare statuunt, ne divinæ quidem potestatis esse, à definito definitionem tollere: cum enim definitio & definitum convertantur, sequeretur eandem rem simul esse & non esse: in quod absurdum sententia vestra præceps data est.

Duobus

Duobus his Theorematis conjungitur *Tertium. Theologica tractanti illicitum esse ab omnipotentia argumentari ad probandum id cujus contrarium in scripturis diserte enunciatur.* Nam hoc modo Dei potestas Dei potentiæ opponeretur, quem sibi ipsi non posse repugnare satis manifestum est. Sic enim Paulus 2 Tim. 2. *ille fidus manet* inquit, *se ipsum negare non potest.* & 1 Cor. 1. *Christus non est ita & non.* Quare? quia cum ejus natura pugnat, quæ tota veritas & constantia est. Sic corpus unum duobus in locis simul esse non potest, quia tum unum non esset unum, corpus non corpus: quod efficere omnipotentia ipsa non potest, quia nequit mentiri. Quam belluinus igitur vecordiæ vestræ stupor est qui Christum locatis ad dextram Patris simul & in altari terreno eundem immolatis, absurda prætexentes omnipotentiæ velo? Illam quippe facere posse ut in cœlo sursum sit, in terra deorsum, in altari, in ore sub speciebus & accidentibus panis, sine circumscriptione, sine localitate, sine dimensionibus & quæ alia furentibus suggerit mentis insania. Quanto salubrius esset ita differentium συμπέρασμα? Deus est omnipotens, ergo non facit ut Christi Corpus pluribus in locis simul sit præsens, exutum proprietatibus suis & tota denique essentia dispoliatum: nequit enim mentiri veritas, & duo contradictoria quæ se mutuo perimunt, simul vera facere *potenter non potest.* Quibus ita positis argumentum vestrum ab omnipotentia petitum sane flocci faciendum est, utpote quod voluntate divina non subnixum, rem à Scriptura diserte negatam & contradictionum laqueis à semetipsa strangulatam, imperite juxta & impudenter affirmat. Sed antequam ex hoc vepreto excedimus ipsum omnipotentiæ argumentum in autores retorqueamus. *Deus est omnipotens, ergo facere potest ut nos in terris existentes participes simus Corporis Christi quod est in cœlis.* Quam κοινωνίαν vos ἀδιώατον dicitis nisi realiter in terris præsens sit, omnipotentiam quam clamando defenditis dubitando evertentes. Et hæc quidem dicta sufficerent nisi ea quæ contra omnipotentiæ argumentum disputamus è principiis nostris evertere se Pontificii gloriarentur.

Sed quomodo principiis illis, quæ tria memorant, contra nos abutuntur videamus. Primum est *nihil esse credendum sine verbo Dei.* At inquiunt illi, nusquam Scriptura negat omnipotentiæ possibilem unius corporis in pluribus locis præsentiam. Quasi non tota illorum Schola fateatur à potentia alienum esse quod contradictionem involvit & mendacium. Quod autem mendacium συμπέρασμα quam corpus idem & non idem, unum & non unum esse?

Secundum ita habet. *Esse in loco non est de essentia corporis sed accidens.* Non implicat ergo contradictionem, inquiunt, unius corporis in locis pluribus præsentia: quia contradictione non perimuntur nisi quæ pugnant cum essentia rei. Sed quam avidè rapiunt quod non concedimus? Corpori enim quam maximè essentialis est repletio loci, utpote quod *longitudine, latitudine & profunditate* præditum est: quæ dimensiones ità contrahi arctarique in se nequeunt ut ipsæ spatio & corpus ipsis carere possint: dimensiones igitur de corporis essentia sunt, & earum ratione corpus nullum sine loco est. Nec est quod ultimi cœli operculo tegant hoc nugamentum, quia cœlum ultimum non est in loco ut scholastici ipsi affirment. Loquimur enim de corpore humano cui cœli novissimi dispar natura est; agimusque de loco propriè dicto quem loci impropriè dicti instantiâ eludunt: Nihil tamen compendii faciunt ex illa Sophistica. Nam quamvis cœlum ultimum in loco propriè dicto non teneatur, sua tamen ipsius superficie circumscribitur ita ut non sit ubique, aut in pluribus locis simul; sicuti Christi corpus & circumscriptum & vagum, & in loco simul, & non esse dictitant, quod

fæda

fæda ἐναντίωσις ipsum se destruit. Sed mittamus hoc (ut similes nugas vocat Aristophanes) παμφολυγοπαφλάσμα.

Tertium ita repetunt. *Veram doctrinam esse quæ Deum extollit, hominem deprimit: falsam quæ contra facit. Ergo inquiunt, qui omnipotentiæ divinæ præsentiam corporis unius in pluribus locis concedunt, Dei gloriam extollunt & hominis laudem deprimunt, fatendo majora Deum exequi quam nos assequi: at qui eandem negant, illi hominem celebrant & obscurant Deum, docendo hanc non posse facere, quod ille non potest capere.* Verum hoc est fragiles nugas præpilare mendacius. Nihil enim tale docetur à nostris quibus unicum hoc principium est, de rebus divinis non statuendum sine regula verbi cælestis, ne dum indulgemus ingenio nostro, vel inanibus vel monstrosis somniorum formis agitemur: Nec enim semper id verum est quodcunque nos amplificandæ Dei potentiæ fingimus: Sic enim & πανδωνία & plurium mundorũ δημιούργημα, putidæ fabellæ, velut ad illustrandam Dei gloriam renovari possent. Non ergo semper ad lapidem illum doctrinæ veritatem examinari volumus, præcipue ubi talia agitantur quæ prætextu adstruendæ gloriæ gloriam destruunt, & Deum sibi pugnantem faciunt. Et sic omnipotentiæ argumentum per omnes concessus derisum & exsibilatum Theologiæ Theatro ejecimus.

Iam quod à miraculo præsidium arcessunt, exarmemus, quanquam acceptis in præcedenti pugna vulneribus jamdudum langueat & fere corruerit. Nam cum miraculum sit effectum omnipotentiæ, non magis hîc reperitur quam ejus causa. *Sane cum cœna Domini sit ordinarium Ecclesiæ Sacramentum, quomodo illi miraculum accedet, cujus natura est extraordinarium esse?* Et hæc prima est Sacramenti cœnæ cum miraculo αἰλοπάθεια: Nec respondeant miraculum id fieri spiritualiter: hoc enim pugnat cum natura miraculi, quod in sensus vi sua irruens attonitos rapit homines in admirationem operis, ut subactis & præmollitis animis fides & obsequium facilius ingenerentur: Imo sententiæ illorum omnino disconvenit: nam quæ fieri dicuntur spiritualiter, illa non foris sed intus & in abditis animi penetralibus efficaciam suam exerunt: at in hoc negotio nihil tale: affirmant enim τῆς μετουσίας miraculum edi foris in reali corporis præsentia, sub accidentium panis & specierum involucris, in cre denique manducantis. At os corporis nostri sane non est animus: & in rebus externis quæ palpati aspectarique possunt, spirituale miraculum edi quis affirmet δυσμόρους? In sacris litteris equidem, ubi tamen miraculorum fons est, de miraculis ejuscemodi naturæ nihil accepimus.

Iam adde post *adultam Ecclesiam & altè actas radices fidei exoleviſſe miraculorum usum* cum sacrum cœnæ mysterium in finem sæculi perpetuandum sit, & assiduo repetitoque usu celebrandum. His accedit quod in contrariis & mutua contradictione pereuntibus, consistere non possit virtus miraculi, utpote quæ à potestate profecta, infirmitate & impotentia falsitatum enervaretur. *Adjunge quod in evertendis & destruendis rerum essentiis & naturis spectari spernit miraculum*, quod quidem supra naturam scandit, sed adversa fronte contra eam nunquam aritat. Quod axioma apud *Scholasticos*, *Patres*, *Scripturam* denique, illæsæ autoritatis est. Inspice enim miracula quæ Scripturæ celebrant, videbis *solem sisti, salva tamen ejusdem essentia: Mare dividi, salva tamen ejus natura: virgam verti in serpentem, non tamen annihilari: aquam corrumpi in vinum, sine interitu tamen τῆς οὐσίας. Sic Christo super aquas ambulante stupendo miraculo, ipse tamen homo & nihilo minus illa permanserunt aqua.* Inter modum ergo operantis Dei & id quod Deus operatur distinguendum fuerit. Modus supra naturam; sed natura tamen integra & illæsa est. Quare si Deus farinaceum panem in corpus aliquod humanum convertet

teret, ille vertendi modus miraculique plenus longè supra naturam ascenderet, attamen ipsa conversio vera conversio non naturæ Διαφθορὰ foret, emergeretque ex illa conversione corpus visibile, palpabile, præditumque illis proprietatibus, quæ naturam corporis actu existentis concomitantur. Quæ cum de Missatico corpore prædicari non possint haudquaquam credimus panem in Christi corpus conversum esse, etiamsi miracula crepent & verborum tumoribus se rumpunt Missatici hierophantæ.

Nec juvabit illos latebra in quam pressi incommodis sese recipiunt; varii respectus, inquiunt, non tollunt veritatem Essentiæ: Itaque corpus Christi non naturali modo sed sacramentali qui naturam superat, vel in pane est vel sub panis accidentibus. Hac enim distinctione veluti fossa valloque munitur arx impietatis quam transsubstantiationem vocant. At nos de vera & reali præsentia loquimur veri corporis quod actu & revera existit, variosque Papistarum respectus despicit. De Christi corpore disserimus individuo, singulari, realiter existenti, vero, naturali, cujus veritatem neque gloria tollit, quia gloriosum non foret nisi esset verum, cujus naturam diversi respectus non mutant ut actu simul in cœlo, & in terra, locis innumeris, ut circumscriptum simul & indefinitum, ut præsens sit alicubi, neque tamen in loco.

Sed qui sint illi diversi respectus audiamus. Præsentia illa, inquiunt, nec corporalis nec spiritualis, sed sacramentalis est. Mirabiles verborum præstigiæ! In qua classe rerum locant Christi corpus? Nonne in Substantiæ? Sic opinor. At omnis substantia vel corporalis vel spiritualis est: quid igitur hæc sacramentalis præsentia sibi vult? Cui præsto est, corporine vel spiritui? certe si sacramentalis illa præsentia nec corporalis nec spiritualis est, ne realis quidem & essentialis erit corporis præsentia. Sed velo levato facile patet hanc sacramentalem præsentiam non aliam esse Papistis quam realem corporis præsentiam in pane vel sub specie panis: atque ita non distinguentium sed rem eandem inani garrulitate repetentium hanc vocem esse, quæ cum principium petat & in girum decurrat Sophisticæ loquacitatis, distinctionis tamen involucris honestata prodit. Sed nudemus interim hunc sacramentalem respectum.

In sacramentis duplex, ut ipsi non negant, est manetque materia signum terrenum, & res signata cœlestis. Atqui corpus quod manere debeat tollitur & aufertur, si unum idemque realiter in cœlo præsens & circumscriptum, & realiter simul in terra præsens sit incircumscriptum, indefinitum, in pane & in ore. Quinam ergo id fieri sacramentaliter judicabitur, quod rationem Sacramenti tollit? Iam ipsa Transsubstantiatio quantum hinc labem patitur? Nam cum panis sit signum corporis Christi, necesse est remanere veram panis substantiam, ne fides abrogetur veritati Sacramenti. At si signum retinent, Ricarde, cur rem signatam μυριομυριάκις nobiliorem nobis eripiunt? Nonne majori studio veritas corporis Christi, quam veritas Panis propugnanda fuisset? Certe. Non erit igitur Christi corpus realiter præsens sub specie panis & in ore comedentis, quia non potest esse non verum corpus. Iam verò, si Christi corpus una pars sacramenti Sacramentaliter præsens est, nonne panis pars altera, eodem modo præsens esse judicari debet? haud dubie. Atqui Sacramentum non facit ut præsens sit panis, sed panis realiter præsens ex instituto Christi fit signum corporis sui.

Verum quia adverbium hoc *sacramentaliter* modum notat: dic amabo Ricarde, quis ille modus? Si dixeris hunc esse sacramenti modum ut res signata realiter & οὐσιώδως præsens sit cum signo, principium petes & calcabis asini tramitem. Hoc enim ἀμφισβητεῖται: Quare perinde erit ac si dicas.

In

In ſacra cœna corpus Chriſti realiter præſens eſt in pane & in ore, quia hæc eſt ratio, hic modus ſacramenti. Quod nihil eſt aliud quam id operam dare ut cum ratione inſanias. Quod hominibus veſtris oppidò frequens eſt qui rerum naturam diſtinctionibus non explicant, ſed divellunt & lacerant, nec diſtinguendis ambiguis & multiplicibus, ſed extinguendis veris & ſimplicibus inſudant. In qua re præpoſteram diligentiam veſtrorum hominum admiror qui tantum operæ & olei collocant in explicando modo quo verum Chriſti corpus non ſit amplius corpus verum. Nam quocunque tandem modo ſit ut definitionem ac naturam veri corporis exuat, eo jam efficitur ne ſit verum corpus. Nam verum aliquid eſſe non poteſt quod omnino non ſit verum. Sane ſic à *Scriptura*, à *Patribus* à *Concilio* imbuti nos Chriſtiani credimus, ſanctiſſimum Chriſti corpus, eſſe verum, fuiſſe, manſurum. I tu nunc Ricarde & modum commini ſcere quo Chriſti corpus verum non ſit. Nam ſi aliquo ſaltem modo Chriſti corpus proprietatibus ſuis & dimenſionibus caret: tum aliquo ſaltem modo non erit verum corpus. Si ſacramentaliter iis careat, tum ſacramentaliter verum corpus non eſt. At nec ſacramentaliter nec ſpiritualiter fieri poteſt ut corpus verum, verum non ſit. Impia igitur & execranda diſtinctio eſt quę naturam rei evertit & eſſentiam diruit. Et ita quidem miraculi commentum refellimus, quod ad ſordidiſſimi cujuſque ſacrificuli nutum quotidie patratur, quod ſenſus nullos adhcit, & mira nihil ſenſibus ingerit: quo uno certè miraculum eſſe deſinit. Quare deſinant Mahumedem ridere qui fractæ & manibus ſuis divulſæ lunæ, deinde reparatæ & cœlo reſtitutæ miraculo teſtem nullum ἀυτόπτην niſi ſe auctorem producit, cum transſubſtantiationis miraculum Mahumedis mendacio longe ſit impudentius, quandoquidem illud nulli unquam mortalium, ac ne ipſi quidem ſacerdoti τῷ θαυματύργῳ, videre contigerit.

Sed nunc Scripturas quibus ad hujus monſtri patrocinium abutuntur, vindicemus à calumniis. *Non minus eſt*, ajunt, *ab uno capi & contineri plura, quam unum à pluribus.* Ergo *ſi locus unus plura corpora capere potuit; certe corpus unum à pluribus poterit contineri. At Scriptura teſte, plura cepit unus ut Chriſti corpus & obſeratam januam* Ioh. 20. *Corpus idem & intemeratam virginem, naſcente Domino; corpus idem & clauſum ſepulchri lapidem: cœlos incorruptibiles & penetrantem Chriſtum* Hebr. 4. *Ergo virtute divina fieri poterit ut unum Chriſti corpus locis diverſis non quidem capiatur, ſed ſacramentali & mirabili modo præſens contineatur.* Hæc Miſſaticorum quot verba tot σφάλματα. Ac initio quidem veteris erroris recocta crambe opponitur. Irritum enim argumentum eſt quod à virtute & potentia divina ducitur inconſulta ejus voluntate, ut ſupra docuimus ſicut à Chriſto didicimus qui Matth. 26. in hunc modum, *an putas*, inquit, *me non poſſe precari patrem meum, qui huc ſiſtat mihi plures quam duodecim legiones Angelorum*, &c. Et Marc. 14. *Pater, omnia poſſibilia tibi ſunt, verum non quod ego velim, ſed quod tu.* Sed loca Scripturæ quæ objiciunt miſerabili depravatione detorſerunt. Nam hæc Iohannis verba *venit Ieſus foribus clauſis* ſic exponunt quaſi januam clauſam corpore penetraverit: cum longe ſecus ſeſe res habeat. Hoc enim vult Euangeliſta, Chriſti ad diſcipulos ſuos introitum miraculi plenum fuiſſe, nullo auxilio humano foribus apertis, omnibuſque impedimentorum repagulis ultro cedentibus illius corpori: quare ſtatim ſubjicit, *Multa alia ſigna edidit Ieſus in diſcipulorum ſuorum conſpectu.* Fruſtra igitur hinc exſculpitur plurium corporum in uno loco præſentia: Quæ enim hæc connexio fuerit: ingreſſus eſt clauſis januis, ergo diverſa corpora locus unus continuit? At ritè connectas, ingreſſus eſt clauſis foribus, ergo præter ordinariam rationem: quod ipſum Scripturis conſonat. Nam quamvis in edendis miraculis ordo naturæ ex-

cellenti Dei potestate interrumpitur, ipsæ tamen rerum naturæ & essentiæ non extinguuntur, quod ibi fit ubi plurium in uno loco præsentia fingitur.

Sed jam alia quoque videamus exempla, in quibus præter ordinem corporibus multa contingunt, non multiplicatâ tamen corporum in uno loco præsentia. Sic *Philippus raptus fuit ab oculis Eunuchi & translatus Azotum* Act. 8. Sic Petrus *ambulavit super aquas.* Matth. 14. v. 29. Sic Paulus *raptus fuit in tertium cœlum* 2 Corinth. 12. Neque tamen inde concludimus horum corpora multis in locis simul fuisse. Retorqueamus igitur in Autores hoc argumentum. *Ingressus est clausis januis*, ergo corpus ejus non erat multis in locis simul: vox enim *ingrediendi* motum significat è loco ad locum, qui multipræsentiæ plane contrarius est. Quomodo enim ingrediatur qui jam intus est? sunt enim contradictoria, esse alicubi & simul illuc ingredi. Vnde liquet Christi corpus antequam ad discipulos ingrederetur, una cum discipulis non fuisse.

Quod de monumenti saxo dicitur eâdem responsione refutatur. Quod de partu beatissimæ virginis nugantur à Theologia alienum est: quæ miraculum in partu illo nunquam accepit: Imo nihil in illo præter ordinem fuisse apparet è mandato legali quod huic partui injungitur. *Omne masculum adaperiens uterum, erit sanctum Domino.* Sed quod de cœlis penetratis ἀεροβατικῶς garriunt nihil prodit præter insanam cupidinem scrutandi quæ supra nos sunt. Certè cum διέρχεσθαι sit pertransire, non aliud intelligit Apostolus quam Christum cœlis superatis ad summam beatitudinem fuisse evectum. Sed transitionis illius modum penitius scrutari, temerariæ & infructuosæ curiositatis est. Sane physicum illud Theorema, Corpus à corpore non penetrari sine solutione continui, de crassa & terrena corporum inferiorum compage intelligendum est: quænam vero sit cœlorum substantia, nobis in hac caligine versantibus non liquet. Ipsa denique corporis glorificati conditio cum minimè nota sit, ex modo cœli penetrati, qui obscurus est, argumentum velle ducere quo res probetur haud minus ardua, non dubiæ stultitiæ est. Sed penetratio hæc, clamant Tui, est contra naturam corporis. Quid ita quæso? Cœli si aperiri possunt, nonne poterunt penetrari? At apertos fuisse nonnunquam Scriptura testatur. Nonne post resurrectionem, glorificata Beatorum corpora cœlum pertransitura sunt, ut æterna felicitate perfruantur? Quare cœlorum penetratio nec contra naturam, nec multipræsentiæ corporis Christi assertrix est. Sed in toto hoc negotio, Ricarde, multum & sæpe vestrorum hominum præposteram miror diligentiam, qui hoc unum satagunt, ut rerum omnium aliarum sartam tectam naturam servent, & essentiam corporis Christi demoliantur.

Nam si concedam, quod sine flagitio concedi nequit, in Christi ad discipulos ingressu, in exitu è sepulchro, in penetratione cælorum, naturam aliquam & essentiam extinctam peremptamq; fuisse, nonne satius foret eam calamitatem januæ, saxo, cœlis, quam Christi corpori incumbere? Ipsa enim illa miracula propter Christum & in illius gratiam edita fuere, cujus si naturam evertas, quis ad illum miraculorum istorum fructus redibit? Sic cum stupendo miraculo per medium profundum Israelis posteri transirent, miraculum quod in eorum gratiam edebatur, naturam & essentiam illorum non demoliebatur: sed cohibita & refrænata fuit vis aquarum ne transeuntibus noceret: quare si in illius editione miraculi, natura quæpiam extincta vel corrupta fuerit, ea calamitas non in Israelitas sed in aquarum latices incidet. Sed hîc habeo quod Missaticis tuis succènseam qui non patiuntur essentiam corporis Christi eodem loco cum panis essentia consistere, quam è januæ & saxi loco non excludunt.

cludunt. Quid natura panis commeruit ut deteriore loco sit quam januæ vel saxi essentia? En quo vos perducit somniorum licentia! Negatis enim corpus Christi capi in sacramento, & simul affirmatis illud ipsum in sacramento contineri. Qua contradictionum inconstantia nihil turpius. Sed age in illis *ingressi, egressi, penetrantis Christi* exemplis vim ipsam verborum accuratius examinemus: scitum est enim illud Platonis ὃς εἴδη τὰ ὀνόματα εἴσεται καὶ τὰ πράγματα. *Qui ingreditur*, Ricarde, *nonne motu locali in locum illum fertur in quo non erat? qui egreditur nonne ex eo quo erat contendit in illum in quo nondum est? sic puto certè naturam ipsam, si voce instrueretur, locuturam esse.* Vnde corporum duorum in uno loco præsentia vi verborum evertitur. Nec juvat illud quod adferunt punctum temporis: Nam motus localis qui his verbis significatur non absolvitur in instanti, utpote *in quo partes temporis requiruntur, ut sit motus à termino ad terminum.*

Sed redeamus à vocibus ad rem. *Corpus Christi quod januam transiisse dicitis & saxum, eo ipso quod transiit evincitur non fuisse eodem quo fores & saxum loco. Nam fores & saxum vel cessere transeunti corpori vel non cessere: qui prius fatetur multipræsentiam evertit: qui posterius affirmat insana contradictione & transiisse corpus & non transiisse dicit.* Sed tot tricas & apinas & recensitos errores accumulemus absurditatibus. *Si Christi corpus eodem cum foribus & saxo sepulchrali loco fuit, tum aliquando Christi corpus nec in cælo nec in terra dimensionibus propriis fuit circumscriptum; unde ejusdem infinitas oritur. Argumenti consequens manifesta est.* Quoties enim urgemus Christi corpus verum non esse si dimensionibus careat; respondent illud in cœlo circumscribi, quanquam in pane missali dimensionibus suis non finiatur. Quam responsionem objectione sua nunc enervarunt. Nam corpus è sepulchro egrediens non erat in cœlis nisi ad πανταχουσίαν confugiant; quam tamen ut scopulum exhorrent vel horrere videre volunt. *Certe si circumscriptũ non erat, erat infinitum. Si tum temporis infinitum, ergo & hodie. Nam semel infinitum, non desinit infinitum esse; alioquin infinitum non fuit.* Plura supersunt incommoda quibus hoc monstrum suffocetur. Sed tot aculeatarum nugarum pertæsus; id modo subjungam, propositionem hanc papisticam, *non minus esse ab uno capi plura, quam unum capi à pluribus,* cui Scripturæ testimonia superstruunt, sic exponi debere: Falsum utrumque & alterum altero non minus impium & execrandum esse. Sed aliud ex alio Scripturæ loco argumentum intorquent.

Quod aliquando divinitus factum fuit, fieri divinitus potest. Sed factum fuit aliquando ut humana Christi natura in cœlo existens simul fuerit in terra, vel in locis terræ vicinis: Ergo fieri potest divinitus ut Christi corpus existat in cœlis & præsens sit in sacrificio Missæ. Assumptionem probant ex ἐπιφανεία Christi qua illuxit Paulo. *Novissimè omnium visus est & mihi.* 1 Cor. 15. *Iesus qui apparuit tibi in via qua veniebas:* Actor. 22. *sequente nocte astans ei Dominus dixit, confide Paule,* &c. Actor. 23. Verum argumenti consequens Ricardè tam putre & imbecillum est, ut me pudeat tam ineptè disserentium. Admittamus enim Paulo Christum apparuisse in locis terræ vicinis (quod tamen falsum est) quid inde virium accedet multipræsentiæ Corporis Christi? Hoc sanè inferre possis non absurdè Christum tum temporis in terra fuisse. At connexum vestrum quis ferat? apparuit in terra, ergo adest. Nugæ. Iam illud quam intollerandum? Factum fuit semel aut bis: ergo ordinaria est & perpetua illius ratio. Ipsa Getarum & Schytarum barbaries aspernetur sic ratiocinantem.

Sed excusso antecedenti, consequens adhuc magis labefactabitur. Quos enim citant Scripturæ locos, corruperunt. Paulus inquiunt vidit & audivit Christum cum ipse Christus esset in terra aut vicinus terræ. Hæc enim po-

ſtrema verba non Pauli ſed Pontificii additamenti ſunt. è quibus nihil ſani concludas. Scriptura ſanè radios qui Paulum circumluxere è cœlis effuſſiſſe dicit. Actor. 2. *die medio*, inquit, *in via vidi cælitus lucem quæ ſplendorem ſolis ſuperabat, circumfulſiſſe me*: ἡμέρᾳ μέσῃ. & Actor. 22. *Evenit* inquit, *mihi iter facienti & appropinquanti Damaſco, circiter meridiem, ut repente è cælo circumfulſerit me lux multa*: ἐν τῇ ὁδῷ, &c. Et Actor. 9. *Quum iter faceret factum eſt ut appropinquaret Damaſco & repente circumfulſit eum lux è cælo* ἐξαίφνης περὶ αὐτὸν φῶς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Et quamvis hoc cæleſte viſum, variè pro ſua cujuſque ſententia exprimi ſoleat, ſive factum ἐν ἐκστάσει ſive ἐν ὁράματι; quamvis inquam varie ſuper ea re diſputari ſoleat, tamen qui Chriſtum cum videretur, in terra fuiſſe diceret, præter Somniculoſos in gurguſtiis Monachos inventus eſt nemo. A quo delirio miror non revocatos fuiſſe diſertis Pauli verbis qui viſum hoc appellat ὀφθέντα ὅτι τῷ ὁδῷ. Actor. 26. Sed movit belluas quod legitur *in via*, quaſi non de Paulo itinerante, ſed de Chriſto in via ſtante hæc intelligenda ſint; parique inſcitia quod de Chriſto per viſionem adſtante & Paulum conſolante legitur Actor. 23. 11. veternoſi illi & craſſi mortales corporeo modo interpretantur. Sed hæ corruptelæ tam amentes, tam inſanæ ſunt, ut eas modo nominaſſe, ſit refutaſſe.

Sed ut dixi admittamus hoc argumentum. Quid tum? Sit hoc non ἀδύνατον, Chriſti corpus ſimul eſſe in pluribus locis. Num inde ſequitur, panis ſubſtantiam in corporis Chriſti ſubſtantiam converti? Hoc enim eſt de quo nos litigamus, & cujus exitum nuſquam inveniunt, deprehenſi in abſurdis, ut mures in pice. Nam ubi cauſam quærimus cur farina mutetur in corpus Chriſti, ſtatim illius corporis dignitatem proferunt, illudque pluribus in locis ſimul eſſe aſſeverant: quaſi vero de ſolo Chriſti corpore non etiam de panis ſubſtantia in Chriſti corpus transformanda diſputetur. Dic Ricarde, unde pani illa dignitas ut in Chriſti corpus immutetur? Nec enim vobis de dignitate corporis Chriſti tantopere laborandum eſt, cujus naturam evertitis, cui tot commentorum nugacitſimis quiſquiliis illuditis; ſed de dignitate & poteſtate panis ſatagendum erit: poteſt enim panis veſter fieri Chriſti corpus verum & reale. Nam inauditum eſt ſubſtantiam unam in alteram ſubſtantiam converti quæ ſub prioris ſubſtantiæ accidentibus deliteſcat. Eſt enim hoc commentum ſomnii umbra. Sed panis veſter ut dixi, poteſt vere & realiter converti in corpus Chriſti. Quare miraculum non in ſolo Chriſti corpore, ſed in ſubſtantia panis quærendum eſt. Nam in hoc axiomate, *panis convertitur in Chriſti corpus*, ubi ſtatuitur miraculum, in pane vel in corpore? in pane potius quam in corpore nemo non dixerit. Agedum ergo repetite noviſſimum Theorema, & firmioribus vinculis connexione ligata ſic præmittite. *Quod aliquando factum fuit divinitus id fieri poteſt, factum autem aliquando divinitus, ut una ſubſtantia in alteram toto genere differentem converſa ſit, ſine nova forma aſſumptione, ſine incremento materiæ, remanentibus converſæ ſubſtantiæ nudis & ſine ſubjecto accidentibus, ſub quorum involucris altera ſubſtantia deliteſcit, ipſa ſuis veris ac propriis accidentibus exuta.* Quibus ſic præmiſſis audacter concludite. *Ergo fieri poteſt, ut panis ſubſtantia in ſubſtantiam corporis Chriſti convertatur.* Et quia exemplis ob oculos poſitis rem illuſtriorem reddere conſueviſtis, inſigni tenemur expectatione exemplorum quæ converſionem ejuſmodi nobis depingunt.

Et ſic Ricarde diram illam Europæ & Eccleſiæ Erynnim, portentoſum Transſubſtantiationis monſtrum, aliud agendo confodimus. Dum enim corporis Chriſti pluribus in locis præſentiam nego, *quod tu in cælo ſimul & in terra collocas*, paulatim ineptiarum tuarum legendo veſtigia pedem indui in cubilia illa & ſpælea monſtrorum quibus efferata eſt veſtra Eccleſia. In quibus

jugu-

jugulandis eo plus temporis impendi, quod constaret eorum internecione debellari posse.

Sed alia quoque sunt quibus hoc commentum jugulemus. Scriptura, quantum nos sentire decet & loqui, non externum & reale sacrificium, sed Spirituale postulat à Christianis. Sic enim à Paulo monemur, Epist. ad Rom. cap. 12. v. 1. *Precor igitur vos, fratres, per miserationes Dei, ut sistatu corpora vestra hostiam vivam, sanctam, acceptam Deo rationalem illum cultum vestrum.* Et ad Hebr. cap. 13. *per ipsum igitur assiduè offeramus Deo sacrificium* (50) *laudis, id est fructum labiorum celebrantium nomini ejus.*

50. R. S. pag. 61. *Sacrificium altaris peculiariter est victima laudis & actionis gratiarum ideoq; κατ' ἐξοχὴν εὐχαριστία dicitur.*

I. B. Totum ergo, quod ingenuum decet, concedis argumentum: fateris-que Missæ sacrificium εὐχαριστικὸν non ἱλαστικὸν esse: & tua ipsius responsione temetipsum opportune refellis. Nam si laudis sacrificium sit & gratiarum, idque κατ' ἐξοχὴν ut tu quidem dicis, tum idem illud expiatorium pro peccatis esse non potest. Antecedens verum est, ergo & consequens cujus vi & hoc evincitur, sacrificium Missæ non esse oblationem crucis, & proinde inutilem & rejiciendam. Connexum hypotheticum probatione non eget. Assumptionis pars prior è verbis tuis, posterior è Mosis historia firmatur, qui utriusque illius sacrificii differentiam forma ritibusque distinctam luculenter enarrat, & vim naturamque diligenter exprimit. Hoc saltem extra dubium est, oportere ut antecedat beneficium pro quo gratiæ reddendæ sunt. Cum autem id imprimis θυσιασθῆναι in sacra cœna, quod Christus nobis datus, pro nobis oblatus, peccata nostra expiaverit: necesse est ut illud beneficium pro quo grates persolvimus jam antecesserit: ac proinde in cœna Domini, quam vos inepta χαριτομυία sacrificium altaris appellatis, non peragitur oblatio pro peccatis propitiatoria.

Nec diu est Ricarde, quod ipse tu Missæ sacrificium, applicationem vocasti & commemorationem victimæ Christi: quare ex tua ipsius sententia fieri non potest ut sit ἱλαστικὸν. Sin autem, quod tui solent, tergiversando dixeris, utrumque sacrificii genus sociari posse & concurrere, illaberis in lutosissimum tuum petendi principii circulum. *Sacrificium enim quatenus eucharisticum, non reale & externum, sed spirituale est.* Cur ergo hostiam veram ut vobis placet & realem & pro peccatis oblatam, eucharisticam vocatis? Equidem ipsa vis rationis hanc è παρωνυμίᾳ lucem exprimit, ut eucharisticâ reali & externâ, sacrificium quoque eucharisticum paris & ejusdem naturæ sit. Foret enim ἀσύστατον hostiam realem & externam, at ipsum sacrificium internum & spirituale esse. Veruntamen cum res à potiori soleat sortiri nomen vosque sacrificii hostiam eucharistiam nominetis, velitisque sacrificium quatenus Eucharisticum est, spirituale esse, hoc relinquitur, si quod in cœna sit sacrificium illud spirituale, non reale, non externum esse: unde sequitur sacrificium Altaris, nec verum, nec reale, nec externum, nec propitiatorium, neque laudis sed fraudis esse, qua gratiæ divinæ obtrectator & salutis humanæ insidiator diabolus, ita mentes improvidas fascinavit, ut αἰτολατρείας & ἰδωλομανίας βδελύγμαλα non exigua pars Ecclesiæ fæteat. Quam ἐπήρχθω πλάνης eo magis admiror, quod ipsos monstri hujus Patres adversis inter se sententiis dissidere, nec in ipsius fraudis quam machinantur παυεργία consentire videam.

Nam cum Missæ sacrificium nobis exponitis, illud externum appellatis, in quo Christi corpus sub panis & vini speciebus offertur Deo. Verum ô boni! Si sacrificium illud externum est, erit & visibile. Quod enim est sine victima sacrificium? At Christi corpus, alienis speciebus & externis accidentibus involutum, in Missa non videtur, non est igitur in Missa visibile sacrificium, ergo nec externum. In externo autem & visibili sacrificio victimam invisibilem offerre, & stultitiam omnem superat & exhaurit patientiam. Sed tu quæso Ricarde, explica quid sit id quod sacrificii nomine indigetetis, cum Missam externum & verum sacrificium Christi vocatis? Num vestes phaleras & nugas rituum? vel totum denique veteratoriæ illius actionis choragium? At hæc omnia sacrificium non faciunt. Præsagio quid dicturus sis. Corpus Christi esse victimam. Sed Ricarde, Corpus Christi estne externum? consule sensus tuos rerum externarum judices, & illi pro te negabunt. Sed panis accidentia in sensus incurrunt, inquies. Bene habet, negari non potest. Ergo aut panis accidentia offertis Deo (quod valde negatis) aut offertis visibile sacrificium sine visibili victima (quod fieri non potest) aut visibile & invisibile, externum & internum de uno eodemque sacrificio prædicatis. In tanta incertitudine hoc unum certum est, ἀποθέωσιν farinæ esse ἀποθηρίωσιν populi.

Ita fideles à Petro 1. Epist. cap. 2. ad officium suum excitantur. (51) *Ipsi quoque velut vivi lapides ædificati fiatis domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias acceptas Deo per Iesum Christum.* Ea de re Paulus & gaudet & gratulatur Philippensibus cap. 4. *Expletus sum*, inquit, *acceptis ab Epaphrodito, quæ à vobis missa sunt, odorem bonæ fragrantiæ, hostiam Deo acceptam & gratam.*

51. R. S. pag. 62. *Apostolus non loquitur proprie de sacerdotio aut de hostia*, &c.

I. B. Hoc in loco vicit te veritas, & victum tendere palmas videmus. Nec enim ullam in novo fœdere nisi spirituale sacrificium Christianis injungitur: quare recte dicis Apostolum *non proprie* de victima loqui. Vnica enim propria & realis est quam Christus obtulit in cruce. Cæteræ spirituales & metaphoricæ sunt. Et quamvis in operibus sanctorum quæ similitudinis ergo sacrificia vocantur aliquid insit externum, tamen eo nomine ob exteriorem speciem non insigniuntur, sed ob internum animi affectum unde emanant, quare & spiritualia nominantur, utpote quæ à Spiritu intus agitante proficiscuntur.

Quocirca cum apertum fiat hisce Scripturæ testimoniis, non alias à pietate nostra victimas requiri, quam quæ mente & Spiritu immolantur, opus est ut in rebus divinis illam Pontificiorum maculam effugiamus, qui labefactatis Dei mandatis spretaque doctrina Apostolorum, pro spirituali corporalem incruentamque victimam, impia stultaque temeritate substituerunt, cujus apud intelligentes rerum sacrarum Iudices hanc mercedem tulerunt, ut nec *Apostolici*, neque *Catholici, sed detestandi religionis corruptores habeantur.*

Verum

Verum quod loco secundo propositum fuit à nobis, ordine pari pertractandum est. Christi scilicet unicum sacrificium solumque propitiatorium esse, & numeris omnibus absolutum & perfectum, illiusque virtute Deo pro peccatis nostris pleniſſime fuisse satisfactum; Missamque contra Pontificiam, blasphemiæ plenam & impietatis, alienam esse à Scripturis & injuriam Christo.

Quod ne temerè videatur à nobis assertum, age rem ipsam putemus. Si Missæ sacrificium propitiet Deum, & expiet peccata, tum Christi verba & Apostolorum aberrant à veritate: Quod fieri cum prorsus omnino non possit, & horribili blasphemia consequens implicetur, antecedentem & falsam & impiam esse, totumque Missæ negotium extra fines Ecclesiæ, ubi nec ejus nomen, nec facta audiamus, relegari debere, non est quod dubitemus.

Sed audiamus è cruce loquentem Christum 19 Ioh. (52) *Consummatum est*, inquit. Quæ novissima morituri verba, considerationem merentur haud perfunctoriam. Nam si consummatum perfectumque fuerit in cruce sacrificium, impietate non caret idem quotidiè repetere: quippe quod perfectum est, non potest adhuc fieri, quodque fit adhuc, perfectionem haudquaquam est consecutum. Et quis ea tandem reperietur effreni audacia, qui Christi sacrificio perfectionem denegabit?

52. R. S. pag. 63. *Christus non fuerat passus, cum hæc dixerat, itaq; omnia non fuere consummata*, &c. *Et ideo author non videtur intelligere textum.*

I. B. Nec ego passum fuisse, *sed hæc novissima morituri verba* esse dixi. In quo quid tu calumniari possis mirarer, nisi nosses petulantiam ingenii tui. Sed rem videamus. *Consummatum est* inquit Christus. *Non fuerant omnia consummata* inquit Ricardus, hoc est ex ignorantia & impudentia conflatus litterarum Embryo, qui vulgatam & familiarem in verbis enallagen non videt, qua de re jam nunc futura ut præsenti Salvator non hic tantum, sed & alibi loquitur. *Abeo & venio ad vos. Pono animam pro ovibus.* Sed te Ricarde à Scripturæ mysteriis ad Grammaticorum subsellia ablegamus; ne manibus illotis hæc sacra contamines. Sed dic tu, vel alius te peritior, cum Christus *in lanato capite*, reddebat animam Deo, eratne oblatio illius perfecta, necne? Si dubitas, blasphemiæ reus es. Si annuis; quid opus est id iterari quod perfectum est, imò quî potest? cum ipse non possit iterum pati, nec sacrificium ejus peragi nisi ab illo qui simul Sacerdos est & victima, quales sanè non sunt qui apud vos Sacerdotes audiunt.

Verum audito Christi effato, præstemus audientiam Paulo cap. 10. ad Hebr. *ubi est peccatorum remissio, non est amplius oblatio pro peccatis.* Et ad Coloss. 2. *Deleto*, inquit, *quod adversum nos erat Chirographo: quod erat nobis occulte contrarium, Christus ipse cruci affixum, è medio sustulit.* Si Christus igitur debiti nostri Chirographum

graphum affixit cruci, patrique ſuo fideiuſſor pro nobis ſatisfecit, quid opus eſt alia victima, quid ſacrificio, quo peccata noſtra procurentur aut expientur? Idem 10 Hebr. inquit, *Chriſtum unica oblatione conſummaſſe eos in perpetuum qui ſanctificantur*. Et in 5. dicit *Chriſtum conſecratum factum eſſe autorem ſalutis æternæ omnibus, qui ipſi auſcultant*. AEternæ ſalutis auſpex eſt Chriſtus, inquit, eamque communicat illis, qui ſibi dicto ſunt audientes: ſed Miſſales ſacrificuli, taliumque ineptiarum auſcultatores, non admittuntur in communionem tantæ fœlicitatis.

Et Divus Ioh. 1. Epiſt. cap. 4. *Deus* inquit, *miſit filium ſuum, ut eſſet propitiatio pro peccatis noſtris*. Chriſti meritis igitur cum expiata ſint peccata noſtra, quis erit in concilianda ſalute Miſſæ locus? Nec amantes veritatis audiſſe Petrum pænitebit; teſtatur enim Epiſt. 1. cap. 3. *Chriſtum pro peccatis ſemel paſſum, ut nos adduceret ad Deum:* Qua paſſione ſola ſi reducti ſumus ad Deum, quis furor eſt hoc Miſſæ debere velle, quod Chriſti cruciatui in ſolidum acceptum ferri æquum eſt.

Sed operæ pretium eſt animadvertere quomodo Pontificii, cum reductos in anguſtias ſeſe ſentiunt, more præſtigiatorum ſimplicium ingeniis illudant. Sed dum fucum aliis facere conantur, ipſi ſe nodis abſurditatum induunt, quos ſolvere non poſſunt. Duplex, ajunt, gradus eſt remiſſionis peccatorum. Prior à parte Dei, qui quantum in ipſo eſt, pellicit homines ad ſtatum gratiæ. Alter ab hominum, utpote qui efficaci eventu revera Deo reconcilientur, accedente ſcilicet illorum fide & pœnitentia. Prior igitur, ut ineptiunt, gradus eſt in ſacrificio Chriſti, quod omnibus ut ſignum erigitur à Deo, ad bene de ſalute ſua ſperandum: poſterior autem in ſacrificio Miſſæ, cujus efficacia, quod omnium commune eſt, proprium efficitur ſingulorum.

Sed ipſi ſuo ſe diſtinctionis acumine jugularunt. Nam cum ſecundus ille gradus in ſe nihil aliud contineat, præter applicationem ſacrificii Chriſti ad ſingulos credentes; ipſum Chriſti ſacrificium eſſe revera non poteſt. Nam ipſum ſacrificium à meritorum inde dimanantium ad alios applicatione, longe diverſum eſt: quod ipſum Tridentina Synodus non neſcivit: ait enim *Miſſæ ſacrificium inſtitutum fuiſſe, ut cruenti ſacrificii ſalutaris virtus, in remiſſione eorum quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum, applicaretur*. Cum igitur applicatio ſacrificii à ſacrificio diverſa, quam ſecundo gradu Pontificii locant, in ipſa Miſſa quemadmodum illis quidem placet, conſiſtat, apertum ingeniis voluntaria

perti-

pertinacia non occæcatis evadit, ipsum sacrificium quod in primo gradu est, in Missa, nec perfici nec celebrari. Sic itaque doctrinam, fraudibus & malis artibus ortam & alitam, dum firmare nituntur, enervarunt.

Hactenus igitur demonstrasse sufficiat, quantum illi, qui propitiationem pro peccatis extra Christi sacrificium quærunt, *ab Apostolorum doctrina veritateque religionis, insanis acti & dementia discesserunt.*

Verum quæ doctrina sequitur illam aggrediamur, Oblationem scilicet Christi necessariò mortem ejusdem includere, Pontificiorumque de Missa commentum Apostolorum placitis hic omnino contrariari. *Nam si sit in Missa realis oblatio corporis & sanguinis Iesu Christi, tum Christus in Missa* (53) *moritur.* Quæ consequentis impietas, cum horrorem incutiat audientium animis, antecedens ab eadem macula purgari non potest.

53. R. S. pag. 72. *Hæc consequentia est, ἀπὸ μειονάδων ἀναλογία.*

I. B. Igitur non ego sed Apostolus tibi videtur furere. Nec enim mea sed Apostoli consequentia est. Sic enim ille, *neque ut sæpe offerat semetipsum sicut Pontifex*, &c. *alioquin oportuisset eum sæpius passum fuisse à jacto mundi fundamento*, &c. Et vers. 27. 28. *sicut illud statutum est hominibus, ut semel moriantur, postea vero judicium. Ita & Christus semel oblatus est, ut tolleret multorum peccata: secundo absque peccato conspicietur.* Quibus verbis inter Pontificem & Christum quid sit discriminis edisserit. Ille quotannis offerebat non semetipsum sed sanguinem animalium. Hic seipsum nec debuit sæpe nec potuit offerre: *non debuit* quia semel abolevit peccata. *Non potuit* duplici de causa: prima est quod *oportuisset ipsum sæpe passum & mortuum fuisse à jacto mundi fundamento.* Secunda est lex naturæ quâ *statutum est homini semel tantum mori.* E quibus omnibus consequentiæ necessitas facile elicitur, & Missæ profligatur impietas quæ quotidianis oblationibus unicum Christi sacrificium dedecorat. Nec tegitur commenti fœditas sipario cruentæ & incruentæ oblationis. Aversatur enim hanc distinctionem Scriptura & incruentum sacrificium non novit. *Sine sanguine enim non est remissio.* Sed quia tu Ricarde insanire dicis Apostolum, ita colligentem *non potuisse sæpius offerri Christum quia semel tantum potuit mori, ἀλογίαν* tuam, impietatem, stuporem, vaecordiam non domanda rationibus, sed flagris & virgindemiis corrigenda & exscindenda relinquo.

Verum ne videamur invidia doctrinam onerare Papistarum, consequens ab ipsa Scriptura probemus. Dicit enim, & quidem clara voce, Christum sese Deo obtulisse pro nobis, quia pro nobis mortuus est.

Sic Divus Paulus ad Hebræ. cap. 9. *Christus* (54) *semel*, inquit, *oblatus est ut multorum peccata tolleret.* Et ad Ephes. cap. 5. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & victimam.* Et ad Timoth. 2. *Semetipsum dedit redemptionis pretium pro quibusvis.* Et iterum ad Hebræ. cap. 9. *Christus*, inquit, *ingressus*

est

est in sacrarium cœli, non ut sæpe offerat semetipsum, alioquin oportuisset ipsum sæpe passum fuisse à jacto mundi fundamento. Quod Apostoli testimonium considerationem meretur haud vulgarem: constabit enim attentioribus, alienum à Scripturis esse, oblationem Christi comminisci, quæ sine morte ejusdem perficiatur. Nam Christi oblatio & immolatio sui, quæ palmaria Salvatoris actio censeri debet, ejusdem necessario secum passionem adfert, quæ patientis ipsius actio, non hominum opinione modo, sed ratum scripturarum judicio perhibetur. Quocirca si Christus in Missa vera realisque offertur victima, fieri non potest quin ibidem acerba morte moriatur; Verum ille mortis imperio emancipatus mori denuo non potest. Apoc. 1. Rom. 6.

54. R. S. pag. 73. *Semel oblatus est sacrificium cruentum,* &c.

I. B. Præter solitum rectè dicis, Ricarde, quod semel oblatus sit sacrificio cruento: nec enim aliud Scriptura agnoscit. Incruentum autem quod vos fingitis sacrificium non magis Deum placat quam olim victimis suis incruentis placavit Cain. Nos cruenta Christi victima quam ipse filius Dei obtulit patri (cujus umbra fuit sanguinolenta Abelis oblatio) non minus contenti sumus quam certi Deum hanc respicere, illud aversari.

Sed ruinam quam ad elabendum aperuerunt, occludamus: ajunt, oblatione sacramentali Christum offeri in Missa. Quid hoc? Si sacramentalis est oblatio, non est reale sacrificium. Nam (55) Sacramentalis oblatio est ex illorum natura, quæ relata sunt καὶ πρὸς τὶ, referturque ad veritatem illam ut fundamentum quam repręsentat. Neque sacramentum unum esse potest, idemque cum veritate quam adumbrat, periret enim utriusque relatio, quæ sine distinctis omnino terminis esse non potest. Vnde furor illorum manifestus est, qui neque dictamini rationis, nec authoritati Scripturarum obtemperantes, effictis sua ipsorum inscitia monstris, Ecclesiam ita simul & horridam reddidere, ut nec à *Christo* nec *Apostolis*, nec *ullo veræ religionis consulto, pro partu legitimo recipi possit aut agnosci.*

55. R. S. pag. 75. *Sacramentum altaris est figura & res figurata.*

I. B. Ex animi sententia Ricarde, dicam quod sentio; Princeps es indoctorum, & ignorantium Alpha. Primum confundis prædicamenta, nec inter Relata distinguis & Substantiam. Sed Dialecticæ rudem te non uno experimento didici. Deinde nescis Conjugata Disparatæ naturæ esse nec invicem prædicari. Principium verò petis ut semper, & intacto meo argumento, omnium sæculorum & eruditorum sententiam figuram à figurato distinguentium impetis. Itaque cum homo sis sine arte, sine litteris, sine ratione, nullo acumine, nullo lepore, noli saltem istum quo tu cares in irridendis nobis consumere: & sane si me audis, ne experire quidem non decet: non datum est: non potes. Et sic Ricarde notularum tuarum, congeriem difflavi: de qua non dicam ὥσπερ ἐν ῥοιᾷ σαπρὸς ἰὸς κόκκος, tota tota inepta, insulsa, putida est.

Nunc

Nunc autem probandum occurrit, quod quarto loco positum fuit: nempe Christi sacrificium haud aliter hominibus applicari, quam *per Euangelii prædicationem, fidem in Deum, usumque sacramentorum legitimum*, minimè vero per sacrificium externum, veramque corporis piacularis immolationem, doctrinamque Pontificiorum quæ contrarium tuetur, *errore refertam esse & impietate*.

Ratio qua veritatem propugnamus, hæc est; per ea nobis applicari sacrificium Christi, quæ Christus, & à Christo docti Apostoli, nobis ad hoc operis idonea commendatione sua tradiderunt; inter quæ cum Euangelii prædicatio, sacramentorum usus, & vera fides solum annumerantur, æquum est ut illa, quæ commentis humanis simplicitati credulorum, obtruduntur, extra fines & pomœria religionis deportentur; Sed audiamus ipsum cœlestem Magistrum loquentem. Ioh. 17. 19. *Eorum causa sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Non tantum autem pro istis rogo, sed & pro iis, qui per sermonem eorum credituri sunt in me.* Hinc manifestum est, Euangelii sermone, quæque sermonem comitantur sacramentis & fide per hæc enata, Christi sacrificium hominibus applicari.

Huic etiam doctrinæ Paulus assentitur ad Rom. 6. & Colloss. 2. Verum ut dubitationem omnem è medio tollat, in 2. ad Corinth. cap. 5. *Deus*, inquit, *reconciliavit nos sibi per Iesum Christum, deditque nobis ministerium reconciliationis.* Et paulò post *posuitque in nobis sermonem illum reconciliationis: itaque nomine Christi legatione fungimur, ut velut Deo vos precante per nos oramus Christi nomine reconciliamini Deo: fecit enim ut qui non novit peccatum pro nobis peccatum esset, ut nos efficeremur justitia Dei in eo.* Quæ verba quovis auro pretiosiora jure suo postulant exactius meditamentum: Nam quia reditio nostra in gratiam cum Deo, nobis est effectus ille, quem peperit & produxit sacrificium Christi, duo colligenda sunt ex Apostoli verbis: Vnum, Pastores Ecclesiæ ministerio instructos esse, non faciendi sed applicandi sacrificii, quod semel factum nos in gratiam reduxit cum Deo: Alterum, sacrificium applicari non immolando Christum, sed hortando, docendo, monendo, denique præstandis omnibus, quæ prædicationem Euangelii concomitantur.

Inquit enim Paulus: *Dedit nobis ministerium reconciliationis, & posuit in nobis sermonem reconciliationis, oramus Christi nomine reconciliamini Deo.* Non inquit, immolamus, sacrificamusque

Christum

Christum in gratiam vestri, sed monemus, oramus, hortamur, ut per sacrificium Christi, qui semet obtulit hostiam pro nobis, reconciliamini Deo, hoc est, ut oblatum Euangelii prædicatione beneficium Dei, cum fide amplexi conservetis. Sed ad alia Pauli testimonia divertamus: Rom. 3. *Christum*, inquit, *Deus posuit propitiationem, per fidem in sanguine ipsius.* Et 3. ad Hebr. *Christi participes sumus*, inquit, *Si modo principium illud, quo sustentamur, firmum teneamus ad finem usque.* Et 10. ad Hebr. *Quum habeamus sacerdotem magnum, præfectum domui Dei, accedamus cum vero corde, & certa persuasione fidei.* Quibus omnibus hoc unum admonemur, Christi beneficia nobis applicari per fidem excitatam in animis nostris à Spiritu Sancto, per Euangelii prædicationem. Igitur haud obscurum legentibus evadet, hoc Pontificiorum dogma *Scripturis inimicum, ab Apostolicæ universalis Ecclesiæ placitis turpiter defecisse.*

Tandem ad id, Deo bene juvante, perventum est, quod ultimo in loco positum meminimus. Vnicum scilicet & solum novi fœderis sacerdotem esse Christum, omnesque Pontificiorum successaneos sacrificulos, non jussione divina, sed cõmentis humanis autoratos, ad indecens sibi munus obrepsisse; Nam si quotidie Christus ab his sacerdotulis in Missa sacrificaretur, omnino necesse foret honorem sacerdotii novi fœderis, uni solique Christo proprium non deberi. Quæ consequentia cum sceleris rea sit, antecedens ejusdem criminis insimulanda, totaque Missæ nundinatio repudianda est.

Sed audiamus quomodo divinissimus Paulus, ut spectatum decuit servum, cui Dominus curæ est, verbis ab ipsa veritate sibi suggestis, causam agat pro dignitate & sacerdotio sui Patroni. Hebr. 7. *illi quidem*, inquit, *plures facti sunt sacerdotes, quod mors prohiberet eos permanere: at iste propterea quod in æternum manet, perpetuum habet sacerdotium.* Et 5. *Christus non sibi hunc honorem tribuit, ut fieret pontifex, sed is qui dixerat ei, filius meus es tu, ego hodie genui te, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisideck.* E qua luce verborum intuenti manifestum est, singulares esse prærogativas, quibus sacerdos novi fœderis à Deo donatus est, ordinem scilicet Melchisedeck, regnum simul & sacerdotium, Dei jure jurando firmatum & stabilitum, Pontificatumque non annuum, aut temporum metis circumscriptum, at æternum, & in æternum duraturum. Quæ dignitates & privilegia, cum nulli nisi Christo propria comperiantur, etiam sacerdotium novi fœderis

deris alteri cuiquam communicari non poteſt.

Quod de ſecundario Pontifice infruniti Papiſtæ inſaniunt, ægrè refutationem meretur: Nam cum ſacerdos immortalis è contrario mortalibus opponatur, locum omnem ſecundariis Apoſtolus eripuit, ubi conſiſterent. Et cui bono tandem locus his nugis & præſtigiis pateret, cum 2. Corinth. cap. 5. *Chriſtus non ſacrificandus, ſed jam ſacrificatus eſſe dicatur:* cumque victima novi fœderis non ab humi factis ſacrificulis, ſed à ſacerdote cœlis delapſo, qui ſimul & Pontifex eſſet & hoſtia, debuerit immolari?

Porro autem huic adnexa ſacerdotio eſt ardua moles illa mediationis, quam ſubeat neceſſe eſt, quicunque ſacerdotem novi fœderis ſe profitetur. Nam tantis inter ſe vinculis hæc duo munera continentur, ut alterum ab altero ſeparari non poſſit. Quod ne videatur hominis inventum, oraculo Dei confirmetur. Ait enim diviniſſimus Paulus 1 Timoth. cap. 2. *Mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus, qui ſemetipſum dedit redemptionis pretium pro quibuſvis.* Et 5. ad Hebr. *Chriſtus excellentius miniſterium ſortitus eſt, quo præſtantioris eſt Teſtamenti mediator.* Quare cum Mediationis officium à munere ſacerdotali divelli non poſſit, æquum eſt, imo neceſſarium, illum ſolum & unicum agnoſcere ſacerdotem, qui ſolus & unus Dei & hominum conſtitutus eſt mediator.

Præterea ſi qui præter Chriſtum officii Sacerdotalis eſſent capaces, neceſſe foret illos conſtitui vel ſecundum ordinem Aaronis, vel Melchiſedechi Hebr. 7. Sed utrumvis abſurdum: abolitis quippe cum tribu Levitica cæremoniis; omnibuſque mortali ſemine cretis negata æternitate; ſingulis enim adnaſcitur vitæ principium & connaſcitur finis, quorum utrumque neſcit Sacerdos Melchiſedecianus.

Sed ipſa muneris hujus ſacerdotalis executio tam Chriſti propria eſt, ut attribui ſine impietate nequeat alteri; Nam ut Deus illum unxit in *Regem* qui conſcientiæ noſtræ tractaret habenas; in *Prophetam* qui nos edoceret ſecreta ſalutis; ſic & eundem unxit in *Sacerdotem* qui ſacrificio ſui pareret nobis vitam, paratamque precibus ſuis tueretur; Ergo ut alium moderandis animis noſtris *Regem* circumſpicere perduellionis eſt; alium diſcendis fidei elementis *Doctorem* quærere hæreticæ pravitatis: ſic alium procurandæ ſaluti *Sacerdotem* arceſſere periculoſæ impietatis eſt & aſpernantis gratiam Dei.

Quare tam portentoſæ ſententiæ autores, aut non legiſſe D. Paulum

Paulum aut neglexisse judicandi sunt, qui Hebr. 9. sacerdotale officium *abolendis peccatis* attribuit: qua in re quàm nihil possit infelix illa Missalium sacrificulorum turba quis nescit? Homuli quippe in peccatis nati, & peccatorum fœti, qui delicta delictis accedunt, & peccato peccatum nutriunt. Præclari sane Athletæ qui cum Christi vincentis Diabolum, & abolentis peccatum sacerdotio comparentur.

Iam vero quis à Deo non vocatus semet ingeret in tanti muneris honorem? Cui præter Christum habitus est hic honos sacerdotii à Patre, cui dixit *Filius meus es tu, ego hodie genui te?* solus ergo Christus vocatus à Deo & ordinatus, novi testamenti sacerdos est; cujus & præ Leviticis sacerdotibus in hoc effulget gloria, quod pro peccatis suis utpote purus & integer, non obtulerit victimam, cum veteres illi & natura & institutione peccatorum alumni, pro delictis suis preces assiduas & quotidiana sacrificia obtulerunt Deo.

Age vero, quis ex illis ementitis sacerdotibus placabit iram Dei? quis exosos conciliabit Deo? quis gratiam faciet? quis sanabit hominum offensas? In his enim cum sacerdotis officium occupetur, lubet quærere, ecquis adeo vecors, humeros suos tanto muneri, cui solus par est Christus θεάνθρωπος, audeat supponere? ubi enim in homine mero perfectum illud obsequium sine quo nulla inter Deum & homines reconciliatio? Quis ex hoc Sacerdotulorum numero satisfaciet justitiæ Dei? qui se pro nobis vadem constituet, fidemque suam interponet apud Deum? Quomodo debitis aliorum exsolvendis sufficient, qui ipsi animam debent? quis peccatorum remissionem impetrabit, quæ sine sanguine sacerdotis immaculati non acquiritur? Quæ cuncta cum vires humanas exsuperent, manet illibatum Christi sacerdotium, quem *innocentem, sanctum, peccati purum & exaltatum supra cælos*, histrionicis officii sui imitamentis ne dehonestemus.

Ille nunc in æterno Patris Palatio præsens, conditionem nostram partamque gratiam precibus tuetur: ad cujus officij sacerdotalis partem ne quidem aspirare relictum est homini. *Quis enim nostrum habitabit cum igne devoranti, quis subsistet coram ardoribus æternis?* Esa. 33. Ille sensu & commiseratione calamitatum nostrarum afficitur; ille dolori solatium & cruciatui porrigit lenimenta; quod sacerdotio non avellendum munus, ingenii mortalis capacitatem excedit.

Homines

Homines enim ut ſui, ſic aliorum involuti ſunt ignorantia: interrectus enim paries à vicini notitia vicinum excludit. Maria & montes longius diſſitos omnino dirimunt: jam alia ſub plaga qui vitam agunt à cura ſcientiaque noſtra ſubmoventur. Quare quod uni Chriſto convenire potuit munus ad hominem transferre improbiſſimæ dementiæ eſt.

Et hæc quidem aſſerendæ veritati quanquam abunde ſatisfaciant, tamen haudquaquam operâ me putavi abuſurum ſi Pontificiorum argumentis, quibus hoc monſtrum propugnant, vim omnem & nervos exſciderim.

Et prima quidem Miſſæ legitimatio petitur è vaticiniis Prophetarum quos prædixiſſe ſacrificium Miſſale gloriantur: cum interim in Scriptis Apoſtolorum, qui cuncta Prophetarum ænigmata, ſalutem fidelium, novique fœderis tempeſtatem innuentia, diſertè copioſeque enarrarunt, Miſſæ negotium non modo non explicatum ſed ne quidem nominatum videamus. unde certiſſimo colligitur Miſſam ab Apoſtolis indictam & innominatam, à Prophetis haudquaquam prædictam fuiſſe.

At Chriſtus, inquiunt, *Sacerdos eſt æternus ſecundum ordinem Melchiſedeck; ſacerdotium igitur & ſacrificium exiſtat aliquod in Eccleſia perpetuum neceſſe eſt.* Quale tandem? Miſſæ dicunt, *niſi Chriſtus enim in cœna ſub panis & vini ſpeciebus incruentum ſe ſacrificaverit, tum Sacerdotio illo Melchiſedeciano nuſquam defunctus eſt: obtulit enim Melchiſedeck & panem & vinum Deo, ſed incruenta.* O væſanum rei non ſanæ patrocinium! Concedamus enim Melchiſedecum Chriſti figuram, obtuliſſe panem & vinum Deo, (quod tamen alienum eſt ab hiſtoriæ veritate) num inde conſequitur Chriſtum ſub panis & vini ſpeciebus in cœna ſemet incruentum ſacrificaſſe pro nobis? Quis tam hebes tam fungus qui hoc affirmet? Melchiſedeck enim non ſacrificii, ſed perſonæ Chriſti figuram geſſit, Rex ſimul & Sacerdos ἀγηνεαλόγητος, æternus, Abrahamo præſtantior, & Leviticos Sacerdotes ſuperans dignitate, nec oblationum ab Apoſtolo ſed perſonarum inſtituitur comparatio.

Cum enim quotidiana Sacerdotii Aaronici oblatio in pane vinoque fuerit occupata, quomodo Chriſti Sacerdotium ex ordine Melchiſedeciano non Aaronico celebrabitur, ſi vini paniſque ſacrificium in Chriſti Sacerdotio primas obtineat? Certum eſt igitur quod Chriſti ſacrificium oblationibus Aaronicis, ordo vero & perſona Melchiſedeci munere adumbrabatur. Sed illud hi-

ſtoriæ divinæ dehoneſtamentum quis ferat? Melchiſedecum obtuliſſe Deo panem & vinum. *Melchiſedeck*, inquit Moyſes, *Rex Salem protulit panem & vinum.* Num *proferre* Latinis, vel *hothi* Hæbreis ſacrificare ſignificat? Nonne panis etiam in lingua ſancta, cujuſcunque generis & apparatus cibos & inſtructas epulas denotat? Ita ſentiunt qui maximè intelligunt. Melchiſedeck igitur ab improborum cæde redeuntem Abrahamum & ovantem cibariis adjuvit & liberali excepit commeatu. Quorſum? inquiunt Pontificii, nec enim commeatus inopia premebatur, utpote cujus exercitus hoſtium ſpoliis fuerit ſatiatus. Quaſi verò non licuerit juſtiſſimo regi ſuam ſimul & bonitatem & magnificentiam his lautiis teſtari? Sed erat, inquiunt, *Sacerdos Dei excelſi.* Quid tum? Annon licuit illi Sacerdoti eſſe, ſi nec panem nec vinum ſacrificaverit? verum ut revertentem è bello militem cibo reficere, regalis fuit munificentiæ; ſic victori benedicere & ab eo decimas accipere Sacerdotalis fuit prærogativæ.

Quamobrem aſſerta veritate hiſtoriæ, divinum authorem epiſtolæ ad Hebræos vindicemus à contumelia, qui poſt accuratiſſimam Chriſti cum Melchiſedeko comparationem, indiligentiæ non tolerabilis inſimulatur: cum enim Miſſæ ſacrificium (quod in ea comparatione primarium faciunt Papiſtæ) ne quidem cogitatione delibaverit, operam in divinis his myſteriis parum diligentem poſuiſſe videri poſſit. Non aberat Apoſtolo diligentia, ſed Hebræis judicium, inquiunt, illorum enim caligabant animi, tum res ipſa difficilis veluti tenebris obtegebatur. Verumtamen cum illa ardua explicatu myſteria ſermone poſtmodum copioſo diſertoque enarraverit Apoſtolus, quid tandem in cauſa fuit quod Miſſæ ſecretum ſibi non animadverſum Papiſtæ velut Apoſtolicæ diligentiæ cenſores, è caligine eruerint.

Equidem cum Apoſtolus exactiſſimæ diligentiæ magiſter in toto illo ſacrificiorum choragio totaque Chriſti cum Melchiſedeco comparatione, Miſſæ ſacrificium ne quidem innuerit, extremæ ſimul impietatis & dementiæ eſt è typis & umbris ab Apoſtolo non expoſitis, ſomnia quædam & commenta arceſſere quæ pro fidei articulis inſanienti populo obtrudantur. Sed quod illi in nos telum jaculantur, in ipſos retorquetur. Nam ſi Melchiſedeci, quam mentiuntur, oblatio figura fuit & umbra ſacrificii Miſſæ, actum eſt illico de Sacerdotulis Papiſtarum, ab oblatione tam ſacra penitus ſummovendis: cum enim ſolius Chriſti figuram geſſerit Melchiſedekus, ſoli quoque Chriſto peragenda erit

erit hæc & Missalis oblatio; si secundarios hic proferant suos sacerdotes oppidò sunt ridiculi.

Quis enim Melchisedeko succenturiatos ejuscemodi secundarios ausit ascribere Sacrificulos? Christus igitur qui *prævio jurejurando factus est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedeck*, id solus offerre debet quod oblatione Melchisedeciana (si qua fuit) figurabatur. Sed plura sunt quibus hæ refutantur ineptiæ. Cum enim Christus in sacrificio tectus alienorum accidentium figuris offeratur, quomodo Melchisedeciana oblatio, quæ in simplici nudaque rerum forma versabatur, cum Missæ sacrificio conveniet? Porro cum figuras omnes oblatione sui Christus aboleverit, quis tyrico Melchisedeci sacrificio supererit locus? Iam hoc commento quantam Transsubstantiationi labem dederint ipsi, quis non videt? Cum enim non spectra tantum & imagines panis & vini, sed panem & vinum oblata dicant à Melchisedeco; quid illis fiet qui transmutatam eorum substantiam in Missa somniant? Sic ipsa se falsitas jugulat. Sed implicatiores superioribus supersunt nodi. Leviticum Sacerdotium, ad Christi morientis usque consummationem vi sua pollebat & virtute; quo stante nulla nisi cæremonialia Sacrificia legitima censebantur. Ergo si Christus in cœna mortem antecedente semet immolatum obtulerit Deo, sequetur illam Christi victimam vel cæremonialem & typicam, vel illegitimam fuisse: cujus utriusque mendacii inenarrabilis est absurditas, post quam exactam & explosam, nova sese ostentat inter Agnum Paschalem & Missæ sacrificium comparatio, nec à mendaciis desertior nec incomitantior ineptiis.

Agnus, inquiunt, *Paschalis, Eucharisticæ* (quam *Missam* vocant) *figura fuit: erat autem agnus ille immolandus, Ergo in Cana se Christus sacrificavit, teste Apostolo: Pascha nostrum immolatus est Christus.* 1 Corinth. 5.

O mirabilis dialecticæ consequentiæ subtilitas! Agnus erat olim immolandus; Ergo Christus à semetipso fuit immolatus in cæna, nec non à Sacrificulis immolandus in Ecclesia. Sane talis absurditas stomachum facere posset vel plumbeo Stoico. Nihil aliud enim è præmissis concludi potest quam Christum olim quidem pro nobis immolandum, adventante plenitudine temporum in ara crucis immolatum fuisse, sicut optimus cæremoniarum legalium interpres Paulus exposuit, ideoque celebrandum ad festum, non peragendum ad Sacrificium fideles invitat, integris animis & veritate plenis exultaturos in oblata victima maximi

Salvatoris, quem ut agnus ille Paſchatos Sacramentalis, reſpiciebat, ſic in eodem exhibito jam & ſacrificato deſiit & exolevit. Et ſanè quemadmodum illo Paſchali Sacramento, efficax expiator & Salvator Chriſti ſanguis, ſed fundendus, & in ejuſdem agni comedendi cæremoniis, integritas & ſanctimonia veſcentium ſignificabatur; Sic in hodierno cænæ Sacramento Chriſtus ipſe, ſed in cruce ſemel ſacrificatus fidelibus ad ſanctitatem pœnitentia properantibus, non ore corporis ſed animi, manducandus proponitur.

At in refellenda conſequentia forte nimii ſumus, intactis adhuc Antecedentis erroribus, quos mutuis ſibi nexubus implicatos, ut angues venenatos diſſecabimus. *Paſchalis Agnus*, inquiunt, *Miſſa figura fuit*: nihil minus. At Chriſti typum fuiſſe cujus effuſo ſanguine ſervamur ab exitio, conſentientibus Scripturæ teſtimoniis, dubium non eſt. In Chriſto namque præceptum Moyſis ne *frangatur os agni*; Exod. 12. adimpletum docet D. Iohannes 19. *Et Chriſtum Paſcha noſtrum ſacrificatum fuiſſe* teſtatur Paulus 1 Cor. 5. Nec enim veteris Teſtamenti Sacramentis, Sacramenta noſtra, ſed Chriſtus ipſe, quem & vetera ſimul & nova reſpiciunt, figurabantur. *Hic Agnus*, addunt, *ſacrificandus & offerendus*. nihil mendacius: mactari quidem paſſim jubetur, ſacrificari verò nuſquam. *At vocatur*, inquiunt, *Corban*. Quid tum? quævis enim oblationes, dona quævis & munera, durante lege, tali vocabulo honeſtabantur. Levit. cap. 1. v. 3. 30. 14. &c. Imo vox Zevach (cujus in ſacrificiis quaſi peculiaris uſus eſt) devotis animorum officiis, quæ figurate ſacrificia vocantur interdum attribuitur, ut Pſal. 50 & 51. unde perperam à vocis ὁμωνυμίᾳ colligitur, agnum Paſchalem, ſacrificandum fuiſſe, quoniam in egeſtate & penuria vocum, *oblationis vel Sacrificii* vocabulo induitur. Sanè cum de ſacrificiis ſive per umbram ſive revera peccatum expiantibus anqueritur, non ex deſultorio vocis uſu, ſed ſtabili Sacrificiorum ipſorum inſtitutione diſputandum eſt.

Hinc aſſerimus Agnum Paſchalem inter ſacrificia quæ peccatorum expiationem adumbrabant, non adnumerandum eſſe: Nec enim à ſolis Sacerdotibus, nec ad aram mactatus offerebatur Deo, nec quicquam eorum fiebat, quæ ſtatis in Sacrificiis *à legitimo Sacerdote oblatis* Deus obſervanda præceperat. Qua in re ſi quis diutius ambigit conſulat Moyſen, qui Pharaoni Sacrificium Hebræis inter Aegypti limites indulgenti, remiſit contumelioſum beneficium; Nec enim fas eſſe Dei populo Sacrificium offerre in

Ægypto

Ægypto: cum in illa tamen Agni Paschalis solennia Deo jubente celebraverit. Vnde manifestum est quantum à Sacrificii natura distet Agni Paschalis cæremonia: è qua quot argumenta commento Missæ stabiliendo petunt, totidem causæ suæ vulnera infligunt. Cum enim Agnus hic, quem sacrificatum fuisse contendunt, figura Christi fuerit qui Sacrificii sui figuras omnes abolevit, omnino sequitur Christum haud amplius esse sacrificandum: quo commentitium Missæ sacrificium vanescit.

Iam immanis illa disparitas inter Agnum, è quo nihil asservandum erat, & farinam Missæ religiosè servatam in pyxide, satis arguit hoc fictum sacrificium, nec agni figura nec Scripturarum authoritate niti. Si pro more suo reclamitent Christum etiam hodiè sacrificandum esse & offerendum, ut veritate sui sacrificii figuram exprimat agni sacrificati, laqueis induuntur illico blasphemiæ & impietatis; quasi sua morte Christus & pretioso sanguine legales typos & umbras cæremoniales nondum abrogaverit. Imo Salvatoris ipsius de solemnibus agni differentis evertitur oratio, *cum non amplius ex eo se comesturum* diceret, *donec completum fuerit in regno Dei.* Quibus ille verbis cum umbratilem hanc figuram morte sua prædixerit implendam, næ Christi mortem illi negant & elevant qui sacrificium novum implendæ figuræ comminiscuntur. Et hoc quidem beneficio suos beare cultores Missa solet, ut abjectiorem iis ingeneret opinionem de morte Salvatoris. Sic post detortas in fraudem Melchisedeci & Paschalis agni figuras, verba Prophetarum iisdem mendacii venenis corruperunt: ac Esaiæ quidem de beato Christianæ Ecclesiæ statu vaticinantis oracula, primo vindicemus.

Vos autem Sacerdotes Dei vocabimini, inquit cap. 61. *assumam ex iis in Sacerdotes & Levitas* cap. 66. *adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ. Holocausta eorum & victimæ placebunt mihi super altari meo.* cap. 56. Quid hinc colligitur? Christum in cæna sacrificasse semet ipsum & obtulisse Deo sacrificium propitiatorium pro vivis & mortuis: Imo quam maximè dicunt Papistæ; nec enim altare sine Sacerdotibus, nec sacrificium sine victima quæ est ipse Iesus in cæna sacrificatus, & in Ecclesia quotidiè, sicut ipse voluit, sacrificandus. O perspicaces sensuum propheticorum interpretes! Quasi Petrus Apostolus hanc Sacerdotalem dignitatem non omnibus promiscuè piis attribuisset cum inquit *vos genus estis electum, regale Sacerdotium*, & Esaias ipse cap. 66. cæteros, hujus Sacerdotii exortes ut pere-

grinos & alienos à fœdere rejeciſſet; nec enim ideo Leyitas cæteroſque ritus Iudaicos nominat, quod in Eccleſia Chriſtiana Leviticum Sacerdotium (hoc enim Apoſtolus mutatum fuiſſe docet Hebræ. 7.) vel ſacrificium ſuperfuturum putet, ſed ut propoſita legalium cæremoniarum imagine, cultum in Eccleſia ſpiritualem adumbraret.

Sic divus Paulus Sacerdos novi fœderis, quas imperio Chriſti gentes adjecerat, *ſacrificabat* Deo. Sic Eſaias cap. 9. in mediis Ægypti penetralibus erigendum altare prænunciat, in quo non Taurorum victimæ, ſed hominum corda, Chriſtianæ ſubacta religioni, ſacrificarentur Deo. Sic D. Iohannes in Apocal. 8.6.14. ſub velo ceremoniarum & inſtrumentorum Templi, cultum Chriſtianæ religionis quæ in Spiritu verſatur & veritate deſcripſit. Sic illa verba quæ toties in Eccleſia reſonant Papiſtarum Pſal. 51. *Tunc acceptabis Sacrificium juſtitiæ, oblationes & holocauſta, cum imponent ſuper altare tuum vitulos*; non de ſacrificiis manu factis ſed mente peragendis intelligenda fatebuntur, niſi vitulorum nomine ſacrificulos ſuos Popas illos ventres & opimos boves Baſanos, ad altaria mugientes, traduci malint. Cum religionis igitur futuræ ſtatus metaphorica quadam vocum legalium καλαχρήσει adumbretur; quænam impudentia eſt vocibus illis in argumentum cauſę tam infamis abuti?

Sed quod è vaticinio Danielis non intellecto proferunt homines ſtupidiſſimi caſtigationem meretur non perfunctoriam. *A tempore*, inquit Propheta, *quo juge tolletur ſacrificium, & abominabilis erigetur deſolatio, dies mille ducenti & nonaginta* 12. Quid hoc juge ſacrificium? Miſſa dicunt: vaticinatus enim Propheta de ſæculi noviſſimi impietate, cum feſtinante in finem mundo, & debacchante jam Antichriſto, ad omnia ſcelera furor erumpet, jugis illius & perpetui Miſſæ Sacrificii ablationem ut malorum omnium extremum prænunciat. Quod ſacrificium eo juge vocat & perpetuum, quia ſemel à Chriſto inſtitutum continua ſæculorum ſucceſſione, ſimplici nec unquam variata miniſterii ratione continuatur, cum reliqua Chriſtianorum ſacrificia, quæ ſpiritu peraguntur, multiplici ſint & infinita pene varietate.

Hoc illis per tenebras euntibus commentum placet. At nobis in clariorem illius oraculi lucem enitendum eſt, cum enim univerſa Danielis prophetia in morte Chriſti & Templi demolitione terminetur, inſanum eſt de mundi periodo, vel Antichriſti immanitate quicquam hic comminiſci. Imo Romanum imperium Monar-

Monarchiis à Daniele prædictis inſerere, otioſum delirium eſt. Quicquid enim vel Romam vel Antichriſtum, totum denique militantis Eccleſiæ ſtatum poſt ſubvectum in cœlos Chriſtum ſpectat, in Apocalypſi revelatur; ſed iis qui ſobriè ſapiunt. Danielis autem oracula in Hebræorum promulgata ſolatium, nec extra hunc populum nec ultra Chriſtum egrediuntur. Preſſis enim ſervitute Babylonica, cum omnis revicturæ libertatis ſpes intercidiſſe videretur, ſuum quidem Iudæis rediturum imperium, ſed aſſiduis hoſtium cladibus & calamitatibus bellicis fatigandum, Daniel prænunciat, ut tædio terrenæ dominationis tot incommodis agitatæ, regnum cœlorum mente ſuſpicerent. Statim enim poſtquam defloruiſſet Babylonica potentia, & Cyri moderatione leges & religio reſtitutæ forent Iudæis, ſequentium Perſarum dominatio vertit in ſuperbiam, quâ ſæviente Dei Populus infanda patiebatur: neque Perſis Imperio dejectis pacatiori ſub Græcis Republica fuit uſus.

Gravis enim Alexander in Iudæorum leges; in religionem iniquus: quo propere ſublato, cum imperium in Lagidas ad Auſtrum, & Seleucidas ad Septentriones, Græcos tamen utroſque divideretur, omnes bellorum procellæ in Iudæam, quæ media utrunque imperium interiacet, incubuerunt: tunc vaſtata Barbarorum incurſionibus regio, & prædantium pedibus conculcata fuit: ſed furores omnium & immanitatem unus vicit Antiochus Epimanes, homo ſtolidus & furioſus, è privato & obſide malis artibus ad regnum evectus: qui non ſatiatus neque bonis, neque ſanguine miſerorum, religionem Gentis feſtinavit exſcindere, ſublatiſque ſacrificiis, omnique cultu (Tamid) quem ſibi quotidianum Deus conſtituerat, imaginum & Idolorum ſuperſtitionibus impiis ſacratiſſimum illud Templum inceſtavit. Quæ cuncta cum & figuris & apertis alloquiis Daniel didiciſſet, attonitus acerbitate tot malorum, Angelum interpretem interrogat, quamdiu furor ille in æde Dei profananda graſſaretur; reſponſum tulit triennium integrum cum ſemeſtri: Quo curriculo temporis expleto Templum expiandum, redituram populo reſpirationem è malis, nec multo poſt in expeditione Parthica periturum morbo vindice Antiochum accepit: Hinc ait beatos illos qui dies mille trecentos triginta quinque expleturi ſint, intra quos infandum illud caput orco dimitteretur; nec minora cæteris, qui ſæviente crudelitate Antiochi, ferro, flamma, feris conſumerentur, ſolatia porrigit. Illis quippe ærumnoſo vitæ cruciatu defunctis poſt glorio-

ſam reſurrectionem, æternæ vitæ & gloriæ coronam repoſitam docet à Chriſto Michaele Principe Populi ſui & patrono.

Quo divino ſolatio cum fidelium animos contra furorem & rabiem Antiochi muniviſſet, oraculi finem imponit Daniel, utpote qui Chriſti mortem, & ſurrecturum è morte cœleſte regnum quadringentis nonaginta, poſt Babylonicam ſervitutem, annis, exactiſſimè prædocuiſſet, quibus ſicut ante dictum eſt tota Danielis Prophetia terminatur. Sufficit igitur ad confutationem delirii Miſſalis, oraculi ſenſum & veritatem perquiſiviſſe, ut ineptias ſua ruentes debilitate robuſtioribus argumentis proſternamus, non eſt operæ pretium: Hoc unum ipſis è ſententia ſua perpendendum committo incommodum. Si triennio & ſemeſtri ante mundi periodum interimendus eſt Antichriſtus, & ſubſecutura mortuorum reſurrectio (quemadmodum è Daniele colligunt Papiſtæ) tum dies & hora noviſſimi Iudicii præſciri poterit à quibuſdam ſub occaſum univerſi victuris, quod diſtrictiſſimè Salvator ipſe jam olim negavit.

At hujus me nugamenti dudum pertædet, niſi quod unam adhuc Malachiæ ſententiam ab illorum inquinamentis purgandam putem. *In omni loco*, inquit Deus apud Prophetam cap. 1. verſ. 11. *offertur nomini meo oblatio munda*. Hæc eſt illa Miſſæ, dicunt, oblatio, qua Chriſti corpus & ſanguis puriſſimè ſacrificatur: Hic enim ſacrificium externum non Spirituale, nec Leviticum tamen, ſed novum & alias non uſitatum prædicitur. Verum cum eadem vocum fallacia fucum faciant incautis quâ ſuperiores Eſaiæ locos incruſtarunt, non eſt quod magnopere de refutandis his quiſquiliis laboremus.

Propheta certe de regno cœlorum & vocandis ad beatitudinem æternæ vitæ Gentibus vaticinatus, quem cultum regi ſuo Meſſiæ ſpiritualem exhibituræ ſint, ſub imaginibus & umbris legalium ceremoniarum deſcripſit, eo quidem magis & diligentius quod Sacerdotum & Levitarum, imo populi univerſi in victimarum vitioſarum oblatione avaritiam, in negligendis ſacrificiis improbitatem, in detrectando labore miniſterii ignaviam increpari & caſtigari acerbius Deus iratus juſſerat.

Iudæos igitur ſuperbos & peculiaribus Amoris divini privilegiis inflatos veluti retundens, numen ſuum brevi colendum in Gentibus, & in omni loco ſacrificandas ſibi victimas prænunciat, omneſque populos ab ortu ad occaſum in honorem & cultum Dei verſos, oblationibus *mundis* decoraturos nomen Dei. *Oblationes*

tiones autem tempore novi fœderis à Gentibus præſtandæ quales ſint Apoſtoli docent, ſpirituales ſcilicet & integritate mentis celebrandæ. Nec enim hic novum Sacrificium Iudæis inuſitatum prænunciatur in Gentibus offerendum: ſed ſpiritualem Dei cultum (qui ſemper in Iſraele viguit) emanaturum in Gentes Malachias vaticinatur. Nec *mundas oblationes* Gentium ſpiritualibus Iſraelis ſacrificiis, ſed Leviticis ceremoniis opponit, quæ cum anguſtis Paleſtinæ regionibus includerentur, multum ab illo cultu differebant qui totum terrarum orbem laude & gloria divini nominis impleret. Quem cultum celebrandi Salvatoris, ſicuti Sacrificii nomine Prophetæ adumbrant, ſic eundem nomine eodem alluſione efficaciſſimâ Apoſtoli exponunt. Ergo cum fidem & obſervantiam Gentium *oblationum* voce Propheta figuraverit, divus Paulus ipſam Gentium converſionem, cui præcipuam ille dederat operam ſacrificii nomine indigetavit. Rom. 15. Nec eſt quod de gradu nos dejiciat illa tumultuantium Papiſtarum objectio: Cultum fidelium ſpiritualem, errorum peccatorumque ſordibus inquinatum, non poſſe vocari *mundum*. Quanquam enim naturæ noſtræ pravitas aſſidua malorum & impietatum ſcaturigine ebulliat, attamen *Hoſtiæ* fidelium quæ ſuâ ipſarum infirmitate diſplicent, *acceptæ ſunt Deo per Ieſum Chriſtum*, qui ſordes omnes & immunditias ſuo ſanguine perpurgavit.

Sed in re minimè dubia verbis abuti non neceſſariis jejunæ ambitionis eſt. Ipſi ſecum Papiſtæ reputent quantis ſententiam ſuam abſurditatibus induerint dum è metaphorica Prophetarum ſententia ſacrificium realę fabricarunt. Nam ſi propterea quod Malachias in Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatu *Mincham & incenſum* nominat, *oblatio* realis & ipſius Chriſti ſacrificium peragi debeat, quid Zacharia fiet cap. 14. qui in pari vaticinio fideles aſcenſuros Hieroſolymam, celebraturos Feſtum Tabernaculorum, ſacrificaturos, cocturoſque carnes in lębetibus prædixit? Cætera quid enumerem, quæ ſenſu proprio intellecta mirabilem rerum faciem in Eccleſiam introducant?

Sed ad *oblationem redeo*, cui conjuncta vox *incenſi* cum ſpirituale ſemper ſacrificium denoter, quis color erit illorum audaciæ qui vocem *oblationis* ad ſacrificium verum externumque detorquent? Sic enim Apocalypſi *phialas aureas plenas ſuffituum* legimus, *quæ ſunt preces ſanctorum*. Sic ſuper *altari aureo quod eſt ante thronum aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum*. Malachias igitur cum incenſi nomine preces ſignificet Eccleſiæ,

Library of the

ION THEOLOGICAL SEMINARY

quæ Spiritu funduntur & veritate, nihil aliud *oblationis* vocabulo quam ſacrificia laudis & gratiarum actionis intellexit. Verum ſi vinci dedignata pertinacia nomine *Minchæ* ſeu *oblationis Miſſæ* ſacrificium intelligi prætendat, magno ſanè in diſcrimine verſantur illius ludicri crepundia.

Cum enim *Mincha* ſit oblatio rerum inanimatarum ut è Levitici legibus apertum eſt, neceſſario ſequitur in *Miſſa* non Chriſti corpus, ut Papiſtæ volunt, ſed farinaceam tantum hoſtiolam ſacrificari. Qua conſequentia commentis illorum nulla pernicioſior eſt. Sed refutandis argumentis quæ veteri è Teſtamento extorquent, hic finis eſto.

Supereſt ea profligemus quæ pari impudentia è novi fœderis tabulis extuderunt. Ac primum illa quæ per ſummam contumeliam è Chriſti verbis cænam celebrantis in ſenſum degenerem corrupta ſunt. *Hoc facite*, inquit Chriſtus *in mei commemorationem*. Quid hoc ad Miſſæ ſacrificium? Imo quam maximè: *facite* enim (inquiunt) eſt ſacrificare. Quaſi vero vel apud Hebræos, Græcos, Latinoſve vox illa abſolutè poſita ſacrificium ſignificet; ac non tum demum ea ſignificatione inſtruatur, cum eam vel res ſubjecta poſtulet, vel ſermo inſtitutus. At in hujus hiſtoria cœnæ quænam eſt vel actio ſacrificii vel ſermo? Defigamus ergo mentem in ipſa verba, *hoc facite*. Sanè dicunt ineptuli particula τοῦτο vocem reſpicit antecedentem corpus nempe & calicem, ut ſenſus ſit, *facite*, hoc eſt ſacrificate *corpus* & *calicem*.

Quid ſi vobis ô nugandi artifices, & particulæ, veſtræ geramus morem. Quid inde? nec enim ideo probaveritis in prima cæna nobis exemplari, celebratam fuiſſe ſacrificii actionem. Cum interim Paulo conſtet interprete relativum τοῦτο non ad vocem ſed actionem præcedentem referri, genuinus ut emergat inde ſenſus, id quod prima cæna, me præeunte *factum eſt*, id vos impoſterum edocti *facite*. Cum Chriſtus igitur in prima cænâ nec corpus, nec ſanguinem ſuum obtulerit Deo patri quam ἀναπολογήτου παραπρεσβείας rei ſunt, qui cænam in ſacrificium pro ſua libidine convertunt? At hic videte ingenium meretricis. Quæ Chriſtum feciſſe quæ mandaſſe conſtat, ut in annuntianda morte gratum & memorem animum, in communione cænæ *ſpeciem utramque*, ea vel incuria negligit vel contemptu: At quæ nec feciſſe, nec mandaſſe Dominum accepimus, pro iis tanquam pro ſumma rerum, ferro, flammaque depugnat.

Nolo hic exclamationibus Tragicis invidiam facere ſacrilegæ auda-

audaciæ, quæ ultimam Domini voluntatem & Testamentum rescindit, insulsam potius argumentandi facultatem, qua principium petunt cordatis ridendam propinemus. Dum enim sacrificium in Cœna factum & faciendum urgent, argumenti vim è verbis *hoc facite* depromunt: deinceps autem ut evincant sacrificandi præceptum verbis illis contineri sacrificasse Christum in cœna mira frontis duritia contendunt: Quod ut nobis incompertum & nusquam proditum cum negamus ad *faciendi* vocem ut auxiliarem confugiunt, efformantes enunciatum cujus hæc vis est: *Christus sacrificavit, quia sacrificavit.* Sic non disputantium rationibus sed febricitantium insomniis theologiæ illuditur.

Sed quod è Christi verbis evincere nequeunt, exemplo fidelium qui Missæ sacrificium (ut ipsis placet) viventibus adhuc Apostolis celebrarunt asserere satagunt. cui portento substruunt Euangelistæ testimonium Actor. 5. qui λειτουργούντων ministrantium Domino fidelium meminit. At quam procul à Missæ sacrificio ministerium illud abfuerit, quis adeo barbarus est qui ignoret? Cum enim apud Græcos λειτουργεῖν idem significet quod apud Latinos *fungi munere publico* vox illa nisi ex rei subjectæ natura in qua munus occupatur, explicari non potest.

Itaque cum de publicis Ecclesiæ doctoribus ibi sermonem habeat divus Lucas, necesse est illorum λειτουργίαν in publico concionandi docendique ministerio fuisse versatam: Sin autem & sacrificii metaphoram admittamus, in ambitum hujus vocis, nec causæ nostræ veritati derogabitur, nec quicquam accedet mendacio Papistarum. Eadem enim similitudinis ratio præcones illos Euangelii sacrificantes facit, quæ D. Paulum Christi λειτουργὸν apud Gentes & ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον reddit. Quod sacrificii genus, immane quantum à Missali victima dissidet.

Sed hoc dejecti munimento divi Pauli ostentant effatum qui Heb. 13. Christianorum *Altare* prædicat, *de quo non habent edendi potestatem qui serviunt tabernaculo.* Quibus è præmissis concludunt subtiliter: ergo sacrificium illâ quoque tempestate à fidelibus fuisse factitatum. Quasi Paulus aram ibi materiatam & visibilem, ac non Christum potius Arâ veteri cunctisque ceremoniis adumbratum exprimeret, cum Iudæos ritibus externis immortuos à Christi meritis & bonitate secludit: quod salutiferum Altare cum in cœlo sibi visum affirmet divus Iohannes Apoc. 6. 8. 9, 11. 14. num lapideam illic aræ congeriem, & non Christum ipsum cogitabimus? Ergo facessere jussis absurdissimis figmentis,

in

in *Altari* noſtro Chriſto Ieſu, & per eum, preces offeramus & grates & *ſacrificium laudis*, id eſt, *fructum labiorum confitentium nomini ejus.*

Ita tandem confutandis deliriis ad ultimum Papiſtarum nugamentum pervenimus, quod è Pauli verbis 1 Corin. 10. effinxerunt. *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & menſæ Dæmoniorum.*

Quis ſanus hîc Miſſam ſomniet? At hi quidlibet è quovis docti exculpere, per menſam intelligunt Altare, quod ſicut Ethnicis primo ſacrificantibus, deinde victimas comedentibus (ut fingunt) inſerviit, ſic & Apoſtolorum & noſtris temporibus immolando primum corpori Salvatoris, inde comeſturis diſtribuendo ſervire debuit & debet. Cui monſtro priuſquam Spiritum elidimus, animadverſione dignum eſt quomodo poſt irritos temeratæ Scripturæ conatus è Dæmoniorum ſacrificiis ſubſidium petierint ſacerrimæ Miſſæ, non minori impietate quam apud Poëtam illa furiis agitata, quæ vociferatur:

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo.

Sed Paulinæ ſententiæ ſenſum indagemus. Fervebat inter Corinthios anceps quæſtio, Num Chriſtiano fas eſſet intereſſe conviviis in quibus Idolothyta apponebantur; erat enim publici moris è cæſis ad Altaria victimis partes aliquas non aſpernendas menſis imponere quæ vicinorum amicorumque corona cingebantur; ſicut hoſpitalis ille apud Virgilium Evander Æneam hoſpitem, poſt peracta Herculi ἀλεξικάκῳ ſacra, menſis perpetuis & inſtructiſſimis excepit. Fallunt igitur impoſtores Tridentini, qui per menſam altare jubent intelligi, cum non in altaribus ſed menſis diſcumbentes victimis veſcerentur.

Hanc quæſtionem divus Paulus expedit, Idolum & Idolothytum nihil eſſe, propterea à Chriſtiano majoribus jam incrementis ad robur evecto ſine labe conſcientiæ, non emi tantum ſed & edi poſſe mactatas Idolo carnes, ſi nec infirmo ſcandalum, nec detrimentum imbecillis inde ſuboriatur. Quâ libertate tamen ne quis vel in ſuam vel aliorum fraudem abuteretur, addit, licitam quidem eſſe ejuſcemodi ſocietatem, ſed minimè decoram, quia fideles è carnibus illis comedentes, ipſius Altaris hoc eſt ſacrificii in Ara facti participes redduntur. Poſſet enim Chriſtianus conviva, qui carne Dæmoniis immolata veſcitur, ipſius ſacrificii quo Dæmoniorum ira vel propitiatur, vel exambitur amicitia, cultor & venerator judicari. Quæ macula Chriſtum profitenti, &

in

in mensa Domini sanctissimæ victimæ ad crucis aram mactatæ participi, indecora simul & effugienda est. Et hæc est aperta, simplex & genuina Paulinæ collationis inter utramque mensam sententia. In qua ne scrupulus ullus posteris relinqueretur, nec ulla porrigeretur occasio submutandi mensas in Altaria, subjunxit ipse: *Non potestis poculum Domini bibere & poculum Dæmoniorum.* Nunquam enim ne fando auditum est in Altaribus suis Ethnicos bibisse, sed peractis demum sacrificiis, è positis in mensa vinis invitasse se largius.

Sed ipsi se Papistæ nobis tacentibus dudum refellerunt. Cum enim illa Corinthiorum mensa (quam in Altare deformant Pontificii) non solis tantum Presbyteris sed universæ multitudini insterneretur, sequitur antiquissimis illis & tenacibus veritatis temporibus, Cœnam Domini promiscuè ab omnibus *sub utraque specie* celebratam, *Aramque* solis hodie Presbyteris tantoque tumultu tantaque contentione assertam, cunctis fidelibus apertam & accessam fuisse. Sed otio legentium & patientia jamdudum abutor, nisi quod doctrinæ veritatem sicut authoritate divina comprobaveram: sic mendacii impudentiam omni Scripturæ perperam distortæ prætextu nudatam exigere decrevissem.

Hactenus igitur, ut ab initio propositum erat, doctrinæ veritatem authoritate divinâ comprobavimus, & Pseudo-catholicorum dogma de sacrificio Christi incruento, plenum impietatis, inimicum religioni, Scripturis adversum ostendimus; ordo rei postulat ut alia non minora flagitia vocemus ad partes.

Nam Papistæ, non contenti dignitatem omnem & virtutem sacrificio Christi abstulisse, ut præter hoc aliquid auderent dignum æterno carcere, Cænæ Sacramentum, epulum illud spirituale, in crudum & immane convivium immutarunt, ubi crudeles, & ceptis immanibus efferi convivæ, præsens & appositum Salvatoris sui corpus, acie dentium commolitum, manducent, ut olim in domo sua sanie dapibusque cruentis immanis Cyclops.

——— *Atro cum membra fluentia tabo*
Manderet, & tepidi tremerent sub dentibus artus.

Neque gradum hîc fixit impietas, sed addidit, deventumque est ad extremum malorum Idololatriam. Panis enim, in quem admiranda transubstantiatione Christi corpus immigrasse delirant, imbecillis & inconsultis animis, Dei vice proponitur adorandus. Cui monstro priusquam arctatum Scripturæ nodo Spiritum eli-

damus,

damus, haud abs re fuerit Orthodoxa prius explicata ſententia, ſic denique falſitatis aggredi redargutionem.

Confitemur igitur; Panem & Vinum Euchariſtiæ, quibus ore veſcimur, eſſentia ſua propriaque conſervata ſubſtantia, ſigna ſigillaque fieri corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti, quibus, quanquam cœlo contineatur, animæ noſtræ, vi virtuteque ſpiritus ſancti, ſalutari pabulo ad beatitudinem æternam enutriuntur. Nec hoc tantum; ſed eundem illum panem, idemque vinum, ſigilla fieri ſanctiſſimæ illius communionis quæ cum myſtico Ieſu Chriſti corpore, hoc eſt Eccleſiâ, nobis intercedit.

Sed Apoſtatæ Pontificii, non diſſimulanter, ut pudere videantur *infamiæ ſuæ*, ſed alta claraque voce, Cornua quæ vincatque Tubas, ingemiſcentibus ad flagitium bonis, proclamant: *ſubſtantiam Panis & Vini, ſimulac infrunitus aliquis ſacerdotulus illa Chriſti verba demurmuravit, Hoc eſt corpus meum, illico, & ſuſurri unius momento, converti tranſubſtantiarique in veram ſolidamque corporis & ſanguinis Chriſti ſubſtantiam, remanentibus tantum nudis accidentibus Panis & Vini; totumque Chriſti corpus, ſub illa ſpecie panis, & qualibet illius parte contineri, & à piis impiiſque juxta manducari.*

Hæc mens eſt Pontificiorum, hæc ſententia, quæ non ſolum malè ſana, ſed ita væcors & inepta eſt, ut ipſa ſe corrumpat & deſtruat. Vltro fatentur enim Cænam Domini ſacramentum eſſe, quod ita natura comparatum eſt, ut è ſigno conſiſtat & re ſignata. Nam *Sacramentum* ut à Conſultiſſimis Theologiæ Profeſſoribus definitur, *eſt ſacrum & externum ſignum, quo benevolentiæ ſuæ promiſſa, conſcientiis noſtris Dominus obſignat, ad fulciendam fidei noſtræ imbecillitatem, & quo noſtram in Deum pietatem, viciſſim teſtatam facimus.* Sic enim Geneſ. 17. 11. Sacramentum definitur ſignumque vocatur; cui à ſignificando nomen inditum eſſe, eo quod ſignificet aliquid, haud ulli dubium eſt: Hæc enim natura ſigni eſt, ut præter ſpeciem ſenſibus ingeſtam, aliquid aliud etiam cogitationi mentique ſubjiciat.

Cùm igitur ita ſe res habeat, ubi quæſo ſacramentum erit in Miſſâ, quæ realem corporis Chriſti commenta præſentiam, ſignum ipſum cum re ſignata, præpoſtera mixtione, confudit, ipſamque à ſacramento naturam ſuſtulit? Itaque ſi ſacram Cænam ſacramentum eſſe non negant, omnino fieri nequit ut in illa panis & vinum in reale verumque Chriſti corpus immutentur; non magis ſane quàm in verum & genuinum Chriſti ſanguinem

aqua

aqua Baptiſmi convertitur, quæ non eſt, ut ipſis commentum placet, ipſa peccatorum ablutio, ſed ſymbolum & pignus earum rerum quæ nobis in Baptiſmi ſolennibus obſignantur. Aquam autem in ſanguinem verti cum nec innuat Scriptura, nec ipſi dicant, quæ neceſſitas in hanc amentiam Pſeudo-romanos adigit, ut Panem in Chriſti corpus Tranſubſtantiari clamitent.

Cùm enim in utroque ſacramento de peccatorum agatur remiſſione, de ſalute & vitâ æternâ, de conjunctione quæ cum Chriſto nobis intercedit, & cum utrumque tam arctâ inter ſe ſimilitudine, congruentiâque copuletur, cur de ſimilibus ſimile, & de rebus tantâ identitate devinctis, idem non prædicatur? Num majus eſt igitur & ſtupendioris miraculi, cibo cœleſti nutriri in vitam æternam, quam vivifico illo latice in vitam æternam regenerari? Non equidem. Nec minus hoc Nicodemo novum abſurdumque. Ioh. 3. quam illud Capernaitis durum & intellectu difficile videbatur. Ioh. 6.

Sed nihil, inquiunt, in Baptiſmo tale legitur, quale in Cæna, *Hoc eſt corpus meum:* Nuſquam enim Chriſtus Aquam eſſe ſanguinem ſuum aſſeruit. Verùm ô boni! licet eadem ſententia verbis iiſdem diſertè non exprimatur, illa tamen quæ de Baptiſmo dicuntur, æquipollent iſti formulæ verborum, quibus Euchariſtia conſtituta eſt: ſic enim Paulus ad Gal. 3. verſ. 27. *Qui in Chriſto baptizantur, Chriſtum induunt*, & alibi, *In Chriſtum inſeruntur.* Porro, quænam alia verborum mens eſt? *Aſperſio ſanguinis Ieſu Chriſti.* Petr. 1. verſ. 2. *Lavacrum Regenerationis?* Tit. 3. verſ. 5. *Baptizari in remiſſionem peccatorum.* Actorum 2. veiſ. 28. & quæ ſunt ejus generis plura. Quis enim tam ſtolidè væcors eſt qui neſciat, non aquæ ſubſtantiam, ſed Chriſti ſanguinem Lavacrum eſſe regenerationis? itemque non aquarum aſpergine, ſed Chriſti ſanguine comparari nobis peccatorum remiſſionem? Nam peccatorum remiſſionem cùm à Dei voluntate illa dependeat, eamque divina clementia gratuitò cui viſum eſt, indulgeat, aquæ tribuere furor eſſet & inſania, præſertim cùm hæc remiſſio nobis ut donum divinæ liberalitatis imputetur; Aquæ verò ſubſtantia, mixtum ſcilicet & corporale Elementum, corporibus noſtris extrinſecus affundatur.

Sed Apoſtolus Rom. 6. verſ. 3. cùm aſſerit, *Eos qui baptizantur, in mortem Chriſti baptizari*, Nonne Chriſti ſanguinem intelligit? Ita res eſt. Cùm igitur vocis ipſius efficacia, rerumque circumſtantiæ ſanguinem includant, res eôdem redit, ac ſi diſertè vox

eadem

eadem expressa inculcaretur. Cæterùm si ob formulæ hujus virtutem *Hoc est corpus meum* (quâ nomen rei signatæ signo commodatur) usque adeò Cæna Domini Baptismum excellat & supergrediatur, ut illi concedatur transsubstantiatio, negetur huic; consequens est veteris testamenti sacramentis Baptismum & dignitate & excellentiâ inferiorem esse: Tales enim loquendi formulæ passim in veteris testamenti sacramentis usurpantur. *Hoc est transitus sive Pascha*, cum de agninâ victimâ sermo est: *Hoc est fœdus meum* cùm de circumcisione spiritus loquitur: Igitur si vi & efficaciâ hujus formulæ antiquatis illis sacramentis Transsubstantiatio accesserit, in eandem reprehensionem Pseudo-catholici incurrent quâ nos objurgant qui veterum sacramentorum dignitatem cum novi fœderis sacramentis exæquavimus. Sed hoc obiter attigisse satis est.

Alia restant quæ diligentioris meditamenti merentur impendium. Cùm enim sacramentum sit visibile signum invisibilis gratiæ, sicut ipsi non negant, posito concessoque panem in corpus Christi remanentibus solùm accidentibus converti, perit illico definitio sacramenti, tolliturque Analogia & similitudo quæ nos à visibili ad invisibile manuducit: Hæc enim est natura sacramentorum ut inter signum & rem signatam sua constet analogia, quâ sublatâ sacramentum ipsum tolli destruique necesse est. *Si Sacramenta* (inquit Augustinus Epistolâ 23. quæ vulgo nota est) *quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent.* Cæterum hujus Analogia sacramenti est in eâ facultate quam panis obtinet ad nutrimentum corporis humani, ut inde doceamur Animos nostros divino quodam pabulo corporis & sanguinis Iesu Christi nutriri in vitam æternam, sicuti mortale corpus vini panisque alimonia in hac vitâ pascitur & sustentatur. Sublatâ autem panis substantiâ, ubinam alendi nutriendique facultas supererit? Nec enim aut rotunditas aut albedo, aut reliqua Accidentium turba quicquam conferunt ad alimentum.

Nam quod respondent Quantitatem supplere materiam Panis, ita futile est & absurdum ut refutatione non egeat. Novimus enim corpora nostra non Accidentium inaniis, sed ipsis substantiis pasci.

Sed & alia superest jugulanda absurditas. Cùm enim Panis ille sacramenti, signum induat cœlestis illius & mystici corporis, sive sacratissimæ illius communionis, quâ omnia Ecclesiæ membra sub

ſub Chriſto capite ſocietate arctiſſima devinciuntur, quemadmodum è multorum granorum congerie, panis unus miſtione non diſſociabili conficitur: illico ſublatâ panis ſubſtantiâ tota ſimul unionis hujus interit analogia, tolliturque funditùs ſacramentum: Cùm tamen expreſſiſſimis verbis Paulus aſſeveret. 2 Cor. 10. *Quemadmodum unus Panis, unum Corpus, multi ſumus; Nam omnes unum panem participamus.*

Sed ne ſilentio cauſam deſerant, reſpondent Pontificii: Panem fuiſſe priuſquam Tranſubſtantiatione inverteretur, ac propterea ſuam tunc eidem anologiam conſtitiſſe; nunc autem ab accidentibus panem qui fuerit referri & aſſimulari. Sane operæ pretium eſt animadvertere amentium hominum deliria qui neglecto Scripturarum genuino ſenſu, dum errores ſuos ſtabilire ſatagunt, cerebri commentis & ſomniis indulgent; Non enim Scripturæ tantum contradicunt, ſed cum recta ratione bellum gerunt.

Scriptura enim panem & vinum vocare non deſinit cùm jam conſecrata ſunt: Ratio autem accidens ullum nulli ſubjecto innixum nunquam admiſit. Quod autem ab accidentibus panem qui fuit, referri dicunt & repræſentari, miraculum omnium abſurditatum egreſſum eſt. Quomodo enim Panis accidentia eſſe poſſunt, ſi panis ipſe non amplius eſt? At fuit, inquiunt; Nullius igitur jam rei ſunt accidentia, ac proinde ne Accidentia quidem: Nullum enim eſt accidens niſi rei alicujus; Accidentia quippe non ſimpliciter entia, ſed ratione ſubjecti ſui à philoſophis cenſentur. Itaque accidens aliquod dicere nullius rei quæ actu ſit, delirantis eſt & febriculoſi.

Sed & aliud ex inſulſiſſima reſponſione ſequitur abſurdum: ſcilicet aut Panem fuiſſe ſacramentum ante tranſubſtantiationem, (quâ confeſſione Tranſubſtantiatio jugulatur) aut id quod eſſe deſiit, eſſe ſacramentum. Quod effatum inextricabili abſurditate plenum eſt: Nam id quod non eſt ſimpliciter, quomodo ſacramenti vicem geret, aut appellationem ſortietur? Immergant igitur ſeſe in caliginem fraudulentiſſimarum cavillationum, totâque ſophiſmatum nocte veritatem premant, fingant, refingant, nugentur, mentiantur, nunquam tamen Scripturæ jubar, aut rationis lucem quamvis imbecillam, nebulis ſuis oppriment.

Verùm haud abs re fuerit capitalem horum hominum objectionem, in qua multum fiduciæ repoſuerunt, diluere: Hâc enim quaſi machinâ ſacramenti naturam & ſcripturarum authoritatem labefactare conati ſunt, dum omnem à Chriſti verbis in inſtitu-

tione cænæ tropum exterminant. Ajunt enim Christum imminente discessu suo, simpliciter & apertè, & quasi levato omni velo discipulis suis locutum esse, *Hoc est Corpus meum* quod fractum vobis porrigo; non autem *Hoc significat corpus meum*: Voluisse enim veracem Magistrum apertissimis vocibus, nec ulla modificatione detortis, mirabilis illius secreti naturam discipulis suis explicatam pandere; proinde nullo schemate voces induendas, sed nudo sensu prout ad litteram sonant intelligendas esse; nostramque relligionem dum tropum advocat, inani opinione inter æstum mille dubitationum fluctuare, procul à fundamento Scripturarum, solidâque rupe cœlestis veritatis.

Cui calumniantium objectioni ut ordine respondeamus, in ipso exordio profitemur nos illa sacrosancta Christi verba, quâ par est veneratione & reverentiâ amplecti, nec sensui nec veritati illorum quicquam derogare. *Credimus enim in sanctâ Domini Cœna, Christum incomparabili suâ bonitate nobis semetipsum, hoc est corpus & sanguinem suum efficaciâ sancti spiritus, & fidei veritate recipiendum digerendumque, meritis suis omnibus admistis donare & tradere.* Nec ideo tamen stolidæ crassæque Pontificiorum sententiæ accedimus, qui sub Panis accidentibus, ut vocant, verum & essentiale Christi corpus existere comminiscuntur.

Omnis igitur cardo quæstionis in modo cum receptionis tum exhibitionis vertitur. *Illi, pro more suo & ingenio pingui, Christi corpus essentiale & realiter in terra præsens sub accidentibus farinæ delitescens, exhiberi nobis & ore corporis manducari contendunt.*

Nos autem à spiritu sancto moniti tam fæculentam doctrinam spernere, *verum Christi & essentiale corpus in cœlos sub vectum, & ibidem in omnigenæ possessione gloriæ collocatum, à nobis in hoc inferiore terræ domicilio degentibus verissimè exhiberi, & fide per efficaciam spiritus sancti in cordibus nostris vigentem recipi, seriò affirmamus*; Quandoquidem ea vis est Spiritus sancti, tamque efficax fidei natura, ut nullis locorum intervallis, nulla spatiorum intercapedine à salutari illa fruitione possimus secludi.

E quibus ita positis, agedùm lucem quæstioni nostræ fæneremur; *num Christi scilicet jam jam prodendi verba significatione propriâ quod illis, an modificatâ quod nobis placet, accipienda sint.* Metonymiam igitur & facilem, & perspicuam, & ab usu Scripturæ non alienam Christi verbis inesse ritè statuimus: non ita tamen ut verbis ipsis seorsim positis & per se consideratis, tropum ullum admisceri velimus: absit hoc nugamentum: Nam Panis est verus

Panis,

Panis, & Corpus etiam Corpus verum: sed conjunctim & ordine quodam relationis inter se connexis, quo modo prædicatum attribui suo subjecto solet. Nam verum Christi corpus de pane prædicari, nec sanguis de vino, nisi modificata significatione non potest. Realem igitur præsentiam dum è verbis Institutionis Pontificii stabiliunt, næ miserè falluntur. Nec enim ulla est hujus consequentiæ necessitas; Christum quia verax est & docere cupidus, omni tropo relicto solâ vocum simplicitate usum esse, religionemque nostram quæ tropum asserit, inter opiniones hominum & commenta numerandam esse. Quis enim tam futilis argumenti fallaciam non videt? Christus veritatis author & præses in ipso procinctu, cum clarissima perspicuitate doctrinam suam in animos discipulorum dimanare voluit, ita locutus est; *Hoc est Corpus meum:* ergo verba magistri simpliciter & prout litteræ sonant accipienda sunt, nec tropis indulgendum est unde perspicuitati docentis obscuritas obducatur. Quis inquam tralatitiam illam, quam scholæ vocant, *fallaciam non causæ* non irridet? Nec enim qui tropo vel schemate locutionem suam exornat, ambiguè semper & obscurè loquitur.

Fatemur hoc egisse Christum ut supremo illo alloquio à discipulis suis præclarè intelligeretur; sed propterea fateri non adigimur, illum tropis tanquam obscuritatem inducentibus, abstinentem, verba sua simpliciter & prout ad litteram sonabant accipi voluisse. Sunt enim tropicæ figuratæque locutiones non paucæ, quæ claritate non adæquant modo simplices enuntiationes sed exsuperant: mitto quod in tropicis energia quædam significationis acrior, & exprimendi plerunque emphasis efficacior inest. Tropis enim nulla cum perspicuitate contrarietas; sed ardentiori nonnunquam luce perfundunt illam & irradiant.

Sic quimore vulgato loquuntur, & inscientes orationi schemata intexunt, nulla tamen ambiguitate audientium auribus illudunt. Vnde liquet haudquaquam tropi vitium esse quod obscuritate laboret oratio. Christus autem in docendo cum nulla re frequentius utatur, non indelectatus fuisse videri potest troporum elegantiâ, nec ab illâ tamen timuisse orationi suæ obscuritatem. Sic enim ait Ioh. 10. 11. *Ego sum Pastor bonus*, quæ verba citius influunt, & majori perspicuitate in animos auditorum, quam si simpliciter, sed languidius dixisset, *Ego sum similis Pastori.* Sic inquit Ioh. 10. 9. *Ego sum ostium*, & 14. 6. *Ego sum via.* & Luc. 8. 11. *Semen est verbum: Ager est mundus: Semen sunt filii Regni: Zizania*

sunt filii illius mali. & Iohan. 15. *Ego sum vitis vera; vos palmites.* Luc. 23. *In manus tuas commendo spiritum meum.* Hujusmodi vero Tropis & schematibus cum tota Scriptura, cœlestisque magistri redundet oratio, non est quod ambiguitatis insimulata, tam superciliosè illa relegemus.

Si dissentientium inde doctorum tumultus ali dixeris: bene est, habent homines quod intemperiei suæ & morum vitio, non tropórum imputent. Sic assertâ schematum luce, majore tandem fiduciâ, id quod res est agedum statuamus. *In sacramentis scilicet nunquam nisi sacramentaliter, hoc est, figuratè Scripturam loqui, Christumque cænæ sacramentum perspicuè, dilucidèque instituere satagentem, oratione uti nec potuisse, nec voluisse nisi figuratâ: Ac proinde fidem nostram non opinione, non commento, sed verbo Dei quamvis figurato, claro tamen & perspicuo subnixam esse.*

Sed huic assertioni nostræ ne nocitura adhæreat obscuritas, quantum fieri potest perspicuitati litabimus. Aio igitur Christum si cænam instituens apertè fuerit & perspicuè locutus omninò figuratè locutum fuisse. Tropum enim intelligimus non falsum aliquid aut commentitium, sed loquendi genus & elegantius & efficacius quo res & facilius & evidentius explicatur. Nam si figuratam locutionem ab his Christi verbis removerimus, eaque, prout litteræ sonant, crassius intelligi voluerimus, illico tantâ caligine obscuritatis obruemus sermonem Christi, ut nec difficilior nec absurdior possit excogitari: cujus rei testes idoneos habeo Capernaitas, qui Ioh. 6. *Durum hunc sermonem & quem nemo possit audire,* aspernabantur: Nec illos modò, sed ipsos quoque Pseudo-Romanos, qui perspicuis hisce, & ut ipsi volunt, simplicibus verbis explicandis, adeò sese torquent, ut ad miraculum & omnipotentiam Dei, quæ facili nodo nimia est, refugere cogantur. Perspicuitas igitur in Christi verbis nulla est, nisi figurata eadem esse concedamus.

Quod ipsum adversarii nostri non nesciunt, cùm in hisce verbis, *Hic est sanguis meus*, ab obscuritate & difficultate purgandis, voce calicis rem in calice contentam significari lubentissimè fatentur. Quam locutionem figuratam esse ne infimi subsellii tyrunculi dubitaverint. Cæterùm si Christus aperte locutus est, quomodo locutum esse nemo bonus negaverit; tum certo certius est, illum de transubstantiatione non fuisse locutum: utpote quæ res tam inexplicabilibus obscuritatibus involuta est, ut illis ipsis nondum innotuerit, qui somniis suis & cōmentis eam progenuerunt.

Verùm

Verùm si Christi verba facilia censeri debent, & nullis intricata molestiis; tum sane, modo sacramentali quo nomen rei significatæ signo tribuitur, & explicari & intelligi debere non est quod amplius dubitemus. Hoc enim loquendi genus, & facilitate suâ & pervulgato sacramentorum usu in omnium animos citissimè menteſque illabitur. Sin autem in cænæ sacramento, sacrantisque Christi verbis aliquid insit inusitatum, & (ut illi volunt) ab usu solenni alienum, sane procul aberit à tali oratione quam requirunt, perspicuitas: Nam quod ab usu discedit, obscurius perhibetur. At quod aiunt salvatorem nostrum apertè locutum esse imminente jam discessu, sane suo se gladio jugulant. Si discessit enim, abiturientis illa verba Transubstantiationi quadrare non poterunt, utpote, quæ Christum non discessisse, sed sub panis accidentibus velut poëtica nube tectum delituisse fingit.

Restat ut fidei nostræ rupem, ab assilientium calumniarum aspergine purgemus. Aiunt enim fidem nostram fluxam opinionem esse, quæ non expresso Dei verbo, sed inani commento innititur: nec enim scriptum esse, *hoc significat corpus meum*, sed *hoc est corpus meum*. Quasi nesciat hoc Planorum genus, gemino sensu verba expressa vocari: uno cùm verba formâ suâ exprimantur, quæ scolastici verba formata vocant: altero cùm verba sensum manifestum inferunt, & neutiquam implicatum. Priori quidem sensu non expresè dicitur, *hoc significat corpus meum*, sed posteriore dici manifestum est, quandoquidem illa verba *hoc est corpus meum*, non alium audienti sensum ingerunt, quàm sacramentali pane *corpus significari*. Sic enim in sacris usus obtinuit, ut rei signatæ nomen signo commodetur.

Nec enim quia figurata sunt verba, proinde expressa esse desinunt: omnium enim exemplorum quæ supra attulimus, verba figurata sunt, & ideo tamen nihilominus expressa. Sed ne ratione magis quàm authoritate divina monstrum hoc oppugnasse videamur, agedum effata Scripturæ ponderemus. Act. 3. 21. Petrus in concione Iudæorum ait: *oportere cœlum continere Iesum Christum, usque ad tempora restitutionis omnium, de quibus locutus est Deus*: hoc est ad finem usque mundi. Et Hebr. 10. Paulus ait, *Christus unâ pro peccatis oblatâ victimâ, in perpetuum sedet ad dexteram Dei, usque dum inimici ejus fiant scabellum pedum suorum*: hoc est, ad finem usque sæculi. Et idem ad Col. 3. *Si resurrexistis*, inquit, *cum Christo, superna quærite, ubi Christus est ad dextram Dei sedens*. Christus, ait oraculum veritatis, in cœlum subvectus est,

ibique ſedet ad dexteram Dei, manſurus in æterno illo domicilio, donec res humanæ, jam ad exitum ſuum properantes, finem ſuum ſint habituræ.

Procul igitur abſit ab animis noſtris hic furor, hæc inſania, ut Chriſtum carne veſtitum, in his terræ ſordibus denuo quæramus. At Papa jubet, Quid ille nobis imperet, qui Deo jubenti non obtemperat? Verum ipſe cœleſtis legiſlator, quaſi jam tum cum in terris eſſet malas artes Pontificum prævidiſſet, edicto ſuos admonuit, ne credulitati ninium indulgerent: *Si dixerint vobis*, inquit, *Ecce in deſerto eſt, ne egredimini: Ecce in conclavibus, ne credite.* Matth. 24. 26. Iubet igitur ne fidem præſtigiatoribus illis habeamus, qui dicunt, Ecce Chriſtus in pane, in calice, in Altari, ſed ſibimet ipſi, qui dixit, in cœlo ſe remanſurum, donec ad orbis univerſi judicium revertatur.

Verùm illa Chriſti verba, quæ pro ſe facere Papiſtæ clamant, *Hoc eſt corpus meum*, diligentius introſpiciamus. Extra controverſiam eſt in ſermone de ſacramentis, nomen proprium rei ſignificatæ, ſæpius ad ipſum ſignum & è contra traduci. Quod genus locutionis non uſu modò quotidiano hominum politiorum, verùm authoritate quoque divini ſermonis comprobatum eſt. Sed quia vi pronominis *Hoc*, Tropum omnem ab hiſce verbis excludi dicunt Pontificii, operæ pretium erit illius quoque naturam examinaſſe, cauſamque indagari illius Antipathiæ, quæ Tropum inter & *Hoc* pronomen, ab inepturientibus inducta eſt. Didicimus enim in ſcholis Grammaticorum pronomen *Hoc*, è demonſtrativis eſſe, nec alia vi pollere quam qua cognata valent, & ejuſdem naturæ pronomina, *tu, ipſe, ille*: Quæ cùm Tropum admittant, quare pronomen, *Hoc*, vel incapax Tropi, vel aſpernans habeatur? ſed in aliis Tropum inſeri, Chriſti ſermo locuples eſt teſtis. *Ego ſum Vitis*, inquit, *Ego ſum oſtium*. Quid in verbis de Calice, nonne Tropus eſt, *Hic Calix?* Quid in illa cœleſti oratione, & egreſſa capacitatem humanam de templi demolitione, cum inquit: *Deſtruite templum hoc*, nonne Tropum ineſſe fatebimur? Tropi capax igitur & aſſuetum eſt pronomen *Hoc*. Nunc ad verbum *eſt*, in quo Tranſubſtantiationis omne fulcimentum præſtruxere, progrediamur.

At per Deum immortalem quid in hac vocula tantum continetur, ut male-feriatos invitare potuerit ad illa inſaniæ commenta, quæ nec audiri ſine luctu, nec ſine ſcelere narrari poſſunt? Nam quis à literis ingenio tam alieno eſt, vel adeo linguarum imperitus,

tus, qui nesciat, in Hebræa, Græca, cæterisque non pari dignitate, verbum *est*, notare sæpe *significat*, idque tam pluraliter quam singulariter. Ita Gen. 41. *Septem vaccæ sunt septem anni.* Apoc. 1. 20. *Septem Stellæ sunt septem Angeli Ecclesiarum.* Quid in sacramentis veteris Testamenti, nonne Paschalis agnus illo nomine donatus est, quod rei significatæ proprium erat? vocatur enim Transitus, quia Transitum significabat. Et 2 Samuel. cap. 6. Arca fœderis, quæ signi vice fuit & pignoris de præsentia Dei, Deus appellatur. Sic Apostolus inquit, 1 Corinth. 10. 4. *Petra fuit Christus.*

Verùm quod idem eodem loco scriptum reliquit, egregiè commentum illud de reali præsentia convellit: Ait enim, *Patres nostros eundem edisse cibum spiritualem, eundemque spiritualem bibisse potum.* Pabulum itaque quo vescimur in cæna sancta, cùm spirituale sit, ubi reperient Pontificii, quod adferant in excusationem sui, cùm neglecto mysterio spirituali corpus humanum hospitibus apponunt? præsertim cùm ab ipso Salvatore nostro præmoniti sint. Ioh. 6. vers. 3. *Spiritum esse qui vivificat, carnem nihil proficere:* ait enim, *verba mea Spiritus sunt & vita*, hoc est intelligenda modo spirituali, non illo crasso & fæculento, & contagione corporis corrupto, qui sicut olim pondere suo Capernaitarum mentes degravabat in terram, ita tempestate nostra Papistarum animos ad res cœlestes erigi non permittit.

Multa præter hæc quæ commemoravimus, è sacris litteris testimonia depromi possent quibus erroneum corporalis præsentiæ figmentum confodiatur: Sed ne prolixitate nimiâ fastidium adferamus lectori, paucula tantum delibabimus.

Inprimis autem Christum ipsum, Luc. 24. vers. 39. loquentem audiamus, *Contrectate me*, inquit, *& videte, Quia spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere.* Quod effatum Christi realem omnem præsentiam ab Eucharistiâ secludit. Nam si veritas carnis Christi sensuum testimonio comprobatur, omnino sequitur in Eucharistia non esse Christi carnem, quia neque tangitur illic neque videtur; nisi forte Christi corpus ita tenue fingant & subtile, ut sensuum omnium indicia, suâ subtilitate frustretur & eludat: quod ab humano corpore, quali se Christus induit, quàm sit alienum, supervacuum est hîc referre. Nec adversarii negant, dum affirmativè colligimus, *hoc* palpatur & videtur, ergo corpus est, optima ratione consequens fundatum esse: Nam fieri nulla ratione potest, ut res incorporalis in sensum corporalem, visum

quippe tactumve incurrat: Et hæc est illa consequentia, quam cœlestis ipse Magister struit.

Verùm negativè si colligas, inquiunt, non statim sua consequenti constabit ratio: nec enim eam salvator docuit: *Hoc* non palpatur, non videtur, ergo non est corpus. Quicquid id est postea dispiciemus. Interea si promiscuè fatemur Christi Corpus esse quia videbatur & palpabatur, argumentum inde nobis invicti roboris suppeditabitur, in Eucharistiâ scilicet vere panem & vinum esse, quia non visu modo & tactu, sed olfactu gustuque deprehenduntur. Et quemadmodum Christus ait, *Spiritus non habet ossa & carnem sicut me videtis habere*, sic & nos jure quam optimo dicemus, Christi Corpus non habet similitudinem & proprietates panis & vini, quales in hoc sacramento, oculis nostris & reliquis sensibus usurpamus. Argumentum igitur à sensibus affirmativè ductum, si revera valeat, ut valere non negant, sequitur in Eucharistiâ verum panem verumque vinum esse, quia veritas eorum testimonio sensuum probatur.

Sed & negativè colligi posse, quod illi negant, nunc probandum est exemplo familiari. Vbi materia est & forma, omnesque partes veri hominis, illic est verus homo: quod ipsum adversarii non inficiantur: igitur & negativè rectè concluditur, ubi nec materia, nec forma, nec partes, illic nec homo. Contrariorum enim, ut Dialectici docent, contraria sunt consequentia. Ad eandem hanc formam in sacris ritè concludimus: Verus Christus natus erat ex Maria virgine, passus, sepultus, sedens ad dextram Dei: sed Christus ille quem in Eucharistiâ fingunt, neque natus, neque passus, neque mortuus est, neque sedet ad dextram Dei, verus ergo Christus non est, nec adorandus.

Sed ad aliud effatum Christi properemus. Ioh. 14. 16. 28. *Proficiscor*, inquit, *ad patrem & relinquo mundum*: &, *relinquo mundum & proficiscor ad Patrem*. Quod enunciatum ne quam inferat labem male materiato Eucharistiæ figmento, respondent Pontificii, Christum ex mundo commigrasse, & mortalium visu, quoad *conversationem humanam*, sed tamen invisibili quadam ratione in mundo versari. Quę verborum præstigiæ cùm nihil nisi fumum obtendunt ingeniis, non est quod operosius refutentur. Christus enim si corpus suum invisibile societati nostræ insinuaret, non humano sed spirituali corpore indueretur, quod ante paulò suo ipsius ore negatum audivimus.

Deinde *mundum*, inquit, *relinquo*. At quomodo mundum ille relin-

relinquit, qui corpus quidem ex oculis hominum ſubducit, ſed in mundo tamen millenis in locis quanquam inviſibilis præſto eſt? Cæterum abſentiam ſuam adventu Paracleti ſeſe compenſaturum promittit. Ioh. 14. 16. Paracletus autem cum inviſibilis auxilietur noſtræ neceſſitati, ſequitur Chriſtum qui ſui vice nobis inviſibilem ſpiritum ſubſtituit, viſibile corpus ſuum è mundo ſuſtuliſſe, nec amplius humani corporis effigie à nobis in terra quærendum eſſe.

Porrò Salvator noſter Matth. 15. 27. *Omne quod in os ingreditur*, inquit, *in ventrem cedit, & per ſeceſſum ejicitur*. At Chriſti corpus quod in Euchariſtiâ comeditur, nec in ventrem cedit, nec ejicitur, ſed ſolus qui deglutitur panis, Chriſti corpus igitur ore non comeditur, ut Pontificiis delirium placet. Sed quod Marc. 7. v. 28, 29. legitur, haud perfunctoriè conſiderandum eſt: dicitur enim, *Quicquid extrinſecus ingreditur in hominem non polluere hominem*, & ratio ſequitur, *quia non in cor, ſed in ventrem ingreditur*. Vnde manifeſtum eſt, Chriſti corpus etiamſi ore manducaretur, in cor tamen ingredi non poſſe; ac proinde ex orali corporis manducatione nihil ad animæ noſtræ alimentum, quæ ſpirituali gratiâ paſcitur, accedere.

Quemadmodum enim cibus in os ingeſtus animum nullis pollutionibus inquinat, ſic neque ſanctitatem illius puritatemve ab eodem vel inchoari, vel perfici certiſſimum eſt. Obganniunt Pontificii, Chriſtum de cibo loqui qui corporeo nutrimento eſt deſtinatus; Chriſti verò Corpus animæ pabulum eſſe, illique ſuſtentandæ proponi. Verùm ejuſcemodi ſubterfugiis eludi veritas non patitur. Chriſtus enim generatim non hoc aut illo, ſed omni de cibo locutus eſt, qui ori ingeritur; neque refert in quem uſum finemve comedatur. Illa namque quæ tuendæ ſanitati non alendo corpori ſumuntur, quia tamen in os ingeſta ſunt, demerguntur in ventrem, & exitum ſibi per infera moliuntur. Quocirca non tantùm de corporeo nutrimento, ſed omni re in ſtomachum delapsâ, verba Salvatoris accipienda ſunt.

Veruntamen quanquam ad Euchariſtiam hoc fine Chriſtiani non accedant, ut alimento corpora nutriant reficiantve, tamen extra dubium eſt, illo ſacramentali pane corpora nutriri; periret enim aliàs analogia & conformitas quæ ſacramentum inter & rem ſacramentalem protinus intercedit. Sicut enim ſacramento corpus, ita re ſacramentali paſcitur animus. Nec enim cuiquam dubium eſt, vino paneque conſecratis ſi qui ſe largius invitent ali

corpora, vitamque produci posse; quod fieri non omnino posset, si nutriendi facultas omnis è Sacramento subduceretur. Sed in hâc jugulandâ insaniâ fortè nimii sumus. Marc. 16. 19. Actor. 1. disertissimis verbis Christus in cœlos ascendisse, & ibidem ad sæculorum consummationem permansurus esse perhibetur: quæ Scripturæ testimonia cùm de præsentia corporali necessariò intelligenda sint, abunde constat haudquaquàm alibi quàm in cœlis Christum quærendum esse, nec sine impietate & nefandâ in articulos fidei injuriâ, invisibilem corporis Christi in terris præsentiam à corruptoribus illis introduci.

Multa restant, sed è multis unum instar omnium est. *Pauperes*, inquit Salvator, Mat. 26. 11. *semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis*. Quid ad expungendum corporalis præsentiæ commentum dici potest illustrius? sed illi rem omnium clarissimam tenebricosæ distinctionis atramento obscurant. Ajunt enim Christum visibilem præsentiam mundo subtraxisse, nec jam amplius opus esse ut sibi laboribus fatigatum corpus unguento refocilletur; sed invisibilem interim sacris interesse. Quod nugamentum cum absurditate suâ prudentibus stomachum faciat, nolo refutatione longiori geminare fastidium Lectoris.

Sed antequam è Scripturarum adytis excedimus, audiamus aurea Christi verba, quæ, *postquam bibisset*, mox moriturus elocutus est, *se nolle amplius bibere è fructu vitis*. Vinum, fructum vitis appellat, non suum sanguinem. Paulus etiam 1 Cor. 10. consecratum precibus panem, haudquaquam mutato nomine, panem vocat. Ait enim, *Quotiescunque panem hunc ederitis:* quòd si commutatus in humanum corpus ille panis fuisset, vero rei nomini non pepercisset.

Hactenus igitur depromptis è divino armamentario telis, horrendum & informe monstrum confecimus, quanquam humana quoque ratione, nisi vires à pertinacia sumeret, angi strangularique potuisset. Nam si Christi corpus, quod ab æterno decreto frangi non potuit, in panem, qui à Christo fractus & frustatim divisus est, transubstantietur, quomodo cœlesti decreto constantiæ suæ rigor integer permanebit? sed instituti memores, fastidio legentium consulemus, relictis in impietatis suæ luto Pontificiis, qui dum sanctum cænæ sacramentum, per nefarium scelus in aucupium turpissimi quæstus convertunt, *Catholici* & *Apostolici* nominis lachrymabilem jacturam fecerunt.

Explosо igitur toto Missæ Choragio, doctrinas aliquot, illius umbras

umbras æde Dei exigamus, utpote reluctantes divinæ voluntati, & aperta rebellione desiscentes à Scripturis. Missæ sacrificium ut ante cognovimus, à Pontificiis propitiatorium pro vivis & mortuis perhibetur. Ex hac labe derivata clades est, & terris incubuit illa pestilens cohors febrilium doctrinarum; de peccato veniali; de remissione peccati pœna non condonata, de satisfactionibus humanis cùm in hac vita per operum merita, tum in futura per ignis purgatorii cruciatus. Quæ cuncta cùm doctrinam labefactent de plena Christi satisfactione, necessarium est veritatem Apostolici dogmatis, contra Pseudo-catholicorum errores, in debitam sibi dignitatem vindicare.

Confitemur igitur Iesum Christum unicam esse solamque peccatorum nostrorum purgationem, illumque plenariè pro debitis nostris Deo satisfeciſſe. Quam de fonte veritatis haustam doctrinam, operæ precium est videre, quibus inquinamentis corrupere.

Fatentur ergo culpam peccatorum, & additam peccatis comitem pœnam æternam, pœnitentibus equidem propter Christi meritum condonari; attamen remissa culpa nihilominus supplicia quædam remanere pœnitentibus ipsis, vel in hac vita suo ipsorum ære, vel in altera diris flammarum tormentis luenda. Quod malè materiatum purgatorii ædificium, duplici tibicine duarum distinctionum fulcivere. Prior est illa pervulgata distinctio, venialis, mortalisque peccati; quasi peccatum ullum esset ita tenue, quod mortem non mereatur. Secunda, non degener ab ineptia prioris, remissionem in duas partes dispescit, culpæ scilicet & pœnæ, sic ut culpâ remissâ condonatâque pœna tamen exsolvenda maneat temporalis.

Verùm confessioni nostræ præsidium è Scripturis arcessamus, & erroneam Papistarum doctrinam, quæ pœnas à nobismet ipsis vel hîc, vel alibi luendas, cum Christi satisfactione, tanquam inefficace conjungit, ab Ecclesiæ Apostolicæ limine procul arceamus.

Sic igitur Scriptura sonat. 1 Ioh. cap. 4. *Deus misit filium suum, ut esset propitiatio pro peccatis nostris.* Et 1 Timoth. 2. *Vnus Deus, unus Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui semetipsum dedit redemptionis pretium pro nobis.* Christus igitur cùm semetipsum dederit pretium, quis adeo furori indulgebit, ut solutionem humanam à Deo flagitari putet? Et ad Hebr. 1. *Purgatione factâ per semetipsum, sedet ad dexteram Majestatis Dei.* Quid igitur ab ipso Salvatore purgati, purgamentum quærimus aliunde? Nec silèri debet quod ad Colos. 2. scriptum est: *condonasse nobis Christum*

ſtum omnia delicta, deleto quod adverſus nos erat chirographo. Condonatis igitur delictis, & rupto chirographo non eſt quod amplius de ſolutione præſtanda nos ſollicitos habeamus.

Sed ad convellenda purgatorii pedamenta progrediamur, & coitione prima, veniale peccatum explodamus, quod & Scripturæ contrarium, neque rationi conſentaneum eſt; Chriſtus enim cùm de peccatis loquitur. Matth. 11. Vnum ipſe mortale pronunciat, & nullis victimis expiandum, quod 1 Ioh. 5. *peccatum ad mortem & irremiſſibile* vocatur. Omnia vero reliqua condonari pœnitentibus aſſerit, non quaſi mortis ſupplicium non mereantur, at beneficio ſuo quas commeruimus pœnas, in gloriam divinæ clementiæ nobis remitti. Chriſtus igitur, ad quem judicium hoc propriè ſpectat, unum mortale, ſpemque veniæ tranſgreſſum, eſſe peccatum judicat: reliqua quidem iiſdem eſſe ſuppliciis obnoxia, ſed non citra ſpem veniæ; ſed odioſus hic divinæ legis interceſſor Papa, multa ſancit peccata mortalia, venialia multa; cui multitudini quomodo conveniet cum unitate?

Verùm audiamus alios ex eodem ſubſellio judices. Apoſtolus Ioh. 1. Epiſt. cap. 1. *Sanguis*, inquit, *Chriſti nos ab omni ſalvat peccato*, modò peccatum excipe contra Spiritum ſanctum. Si Chriſti ſanguine purgamur ab omni peccato, tum nullum non mortale cenſendum eſt: venialibus enim ſupervacaneus eſt pretioſus Chriſti ſanguis. Divus autem Paulus omne peccatum ita clara voce morte condemnat, ut obſcurum ea de re judicium nemini eſſe poſſit. Ait enim ad Gal. 3. *Quiſquis tranſgreditur legem, eſt exſecrabilis Deo.* Et ante Paulum in Deuter. 27. lata fuit eadem ſententia. *Execrabilis eſt quicunque non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis.* Et 1. Ioh. 3. *Quiſquis committit peccatum, legem tranſgreditur*, inquit Apoſtolus, & quis eſt ille qui non in dies peccat? *Et qui peccat in uno capite legis*, inquit Iacobus cap. 3. *peccat in omnibus*, & quis eſt dum in hoc terreno domicilio moratur, qui peccatum exuit? Nec Ezechielem audiſſe pigeat: *anima quæ peccaverit, morietur.*

Porro, quod ipſa ratio dictet animadvertamus. Hominum peccata contra legem veniunt æternam, & æternum Deum, mortis igitur æternæ commerentur ſupplicium. Quocirca Pontificii, qui ſibi delictorum ſuorum veniam faciunt, peccataque pœnis æternis ſubducunt, non Dei modo judicio, ſed dictamini rationis adverſari reluctarique putandi ſunt. Nec juvat eos diſtinctio quam è cap. 1. Epiſt. Iacobi petunt, ubi dicit. *Cupiditas poſtquam concepit,*

cepit, parit peccatum; peccatum vero peractum gignit mortem. Perperam enim inde concludunt, aliquod esse peccatum quod mortem non gignit.

Consequens enim hoc & erroribus & fallaciis scatet, quarum prima est à dicto secundum quid ad dictum simpliciter; Iacobus enim non de quovis peccato loquitur, sed actuali tantum: Altera consequentis. Non enim sequitur, si peccatum jam peractum mortem promeretur, idcirco peccatum intus conceptum, & cogitatione tantum informatum, mortis supplicio non teneri.

Nam si recte ex hoc Iacobi loco concluderetur, immanis absurditatum cumulus omnem religionem obrueret, ipsam scilicet concupiscentiam & peccandi voluptatem cui soluto fræno tam libenter homines indulgent, è peccatorum albo numeroque tolli. Quod falsum est ipsis Pontificiis assentientibus. Itaque male ex hoc loco argumentantur. *Concupiscentia non est peccatum, quia demum parit peccatum: aut si peccatum est, non est mortale, quia demum peractum gignit mortem.* Nihil enim aliud hujus argumenti vi convincitur quam gignens non esse genitum; hoc est, id quod gignit peccatum, non esse ipsum peccatum genitum.

Concupiscentia sane concipit & gignit cujusvis generis peccata, interna & penitus inhærentia, & externa quæ in actus erumpunt. Quare non ritè dicitur quod concupiscentia sit ipsum illud peccatum quod ipsa gignit, sed male negatur & improbè, quod ipsa quæ quodvis gignit peccatum, peccatrix non sit, imo peccatum. Apostolus enim illam indigitat non peccatum modo sed peccatum peccans, ut parentem & nutricem omnium peccatorum quæ ab ea propullulant & nutriuntur.

Quocirca sicuti non sequitur, qui gignit hominem non est homo; sed rectè contra, quia naturæ lex est ut simili prole gignens geminetur, omnemque genitum participat naturam sui gignentis: sic & hoc non procedit. Concupiscentia gignit peccatum: ergo non est ipsa peccatum. Sed probè contra. Concupiscentia gignit peccatum, ergo ipsa peccatum est.

Ratio enim præter insitam oppugnandæ veritatis cupidinem quæ Pontificios in hujus sententiæ errorem impulit ex eo est, quod concupiscentiam putant creatam quandam facultatem esse quæ Adamo etiam integro & nondum lapso adfuerit, quæ nobis post resurrectionem integritati primævæ restitutis adfutura sit. Quod delirium ineptæ cogitationis, plurimis argumentis explodituꝛ. Nullum erat enim in primativa natura vestigium mali.

Gen.

Gen. 1. vers. 30. At concupiscentia ut malum damnatur lege Dei Exod. 20. v. 17. Rom. 7. v. 7. Imo eradicanda penitus ut Deo serviamus Rom. 6. v. 12. 13. 19. Radix est & fomes omnium peccatorum, fons unde cætera ebulliunt. Matth. 15. vers. 19. Iac. 1. v. 13. 14. 15. Cujus hæc una vis in nobis, ut hominem interiorem debilitet, fiatque admodum peccans & peccati desiderio nos à Deo separet & sejungat Rom. 7. v. 5. Iacob. 1. v. 14. 15. Cum ea Spiritus sanctus & lex mentis nostræ quam Deus tulit, bellum assiduum & ἀσπονδον gerit Rom. 7. v. 23. cap. 8. v. 7. Galat. 5. 17. Quare concupiscentiam creatæ facultatis nomine venditare, conditori & restitutori Deo contumeliosum, Scripturis adversum, omnique veritati inimicum est.

Est autem Concupiscentia de qua Iacobus hìc loquitur, nihil aliud quam malitia illa & pravitas quæ in locum & vicem deleti boni originalis accessit, cujus veneno tota natura sic infecta & imbuta fuit, ut ab omni bono aversa in quodvis malum exultante cupidine feratur. Hæc à D. Paulo ad Rom. 7. v. 5. *Cupiditas* vocatur vel *concupiscentia*, non quasi materia tantum sit sive subjectum, sed ipsum esse & ipsa forma peccati originalis: quæ non inferiores tantum animæ facultates & vires corrupit, ut sensitivos & animales appetitus qui ad objectam boni falsi speciem excusso rationis imperio ferociunt; Sed ipsam quoque animi principem, vim & Dominam, quæ mens vocatur, eodem sidere afflavit, adeo ut cogitationes & voluntates nostræ injusta secum volvant & velint impia. Totum denique quod in penitissimis mentis recessibus & arcanis, divinæ legi reluctatur, concupiscentiæ voce ab Apostolo indigitatur.

Longe igitur alia mens est & sententia Iacobi, nimirum, illos impie facere, qui suorum peccatorum culpam à se rejiciunt in Deum, quandoquidem Concupiscentiam fomitem & radicem omnium malorum impressam nobis & ingenitam circumferamus, quæ nisi fræno rectæ rationis compescitur, eò tandem insolentiarum prorumpit, ut æternæ mortis suppliciis mactetur.

Sed altera jam revocanda est ad censuram insana distinctio, de remissione culpæ, non pœnæ, quæ dictis adeo manifestis à Scriptura protelatur, ut mirum sit adeo væcordes reperiri, quibus audacia super est, & temeritas ad obloquendam. Dicit enim Spiritus Sanctus Psalm. 32. *beatos quibus non imputantur peccata*. Et ad Rom. 8. *Nullam esse condemnationem iis, qui sunt in Christo Iesu, & nullam adversus electos supereſſe accusationem*. Igitur accusatione

sublata

ſublata & condemnatione remota, neque pœna, neque ſupplicium, niſi per ſummam injuriam manere poteſt abſolutos. Injuriæ vero Deum inſimulare, juſtitiæ fontem, quis audebit?

Sic enim Deus ipſe apud Eſaiam cap. 4. 3. profatur. *Iniquitatum tuarum non recordabor amplius.* Et cap. 44. *Delevi tanquam nebulam peccata tua:* quibus cœleſtis oraculi verbis, quid aliud intelligi debet, quàm peractâ remiſſione peccatorum, nos pœnarum cruciatu exolutos eſſe? Nam illius peccati quod non eſt, ſupplicium tamen imaginari furor eſt & in Deum contumelia: Scimus enim injuſtitiæ nullum genus eſſe capitalius, quàm debiti ſemel remiſſi, poſtea flagitare ſolutionem; peccatum vero cùm ſit è genere debitorum, ſanè qui pro illo ſemel remiſſo pœnas nihilominus & ſupplicium exigit, injuſtitiæ purgari non poteſt. Quæ labes à juſto veraciqué Deo quantum abſit, quis adeo vœcors eſt qui ignoret?

Cæterum quid ipſa ratio dictitet audiamus: pœnam ſcilicet, niſi ratione culpæ nunquam eſſe juſtam, culpam igitur ſi tollas, pœnam ſimul auferri neceſſe eſt. Deus igitur ſi pœnam expetit, culpam non remiſit, aut ſi remiſit, pœnas amplius utpote ſummè juſtus, ab abſolutis non exigit: Culpa enim & pœna cùm ſint è relatorum natura, quæ mutua neceſſitudine vel ſtant vel cadunt, alia ſine alia, nec conſiſtere nec intelligi poteſt. Quapropter cùm peccata noſtra merito ſatisfactionis ſuæ Chriſtus deleverit; etiam invitis fatendum eſt, ſupplicia quæ peccatis debebantur, ab eodem remiſſa fuiſſe & in æternum deleta.

Sed hoc inſanum dogma laqueos ipſum ſibi nexuit inextricabilium abſurditatum. Nam ſi veniale peccatum, quod leviore temporalique pœna luitur, ut illis quidem placet, etiam cùm remiſſum & condonatum eſt, authores tamen ſuos ad perferendos ſupplicii cruciatus obligat, quæ differentia, quodve diſcrimen erit inter remiſſum peccatum, & non remiſſum? peccatum enim, obnoxio pœnis adhuc peccatore, neque remiſſum dici poteſt, nec cogitari.

Nec cauſam inde meliorem faciunt, quod fidelium aliquot exempla recitant, in quos peccatis jam olim ſibi remiſſis, pœnæ tamen illæque graves expetebant. Nihil enim inde roboris accedit ipſorum ſententiæ. Nam ſupplicia & pœnæ ultrices peccati in ſolos impios detonant: ſtipendium enim peccati mors eſt. At calamitates & mala quæ in bonos cadunt, vel paternæ caſtigationis indicia ſunt, vel fidelium robur & conſtantiam probant. Hujus enim

enim vitæ mala quanquam peccati pœnæ ſint, & improborum contumaciam ulciſcantur, inde tamen haudquaquam ſequitur, eadem in fidelibus, quorum peccata Chriſto condonata ſunt, ſupplíciorum obtinere naturam. Solent enim à divinâ bonitate fidelibus immitti, non tanquam ultores quia peccarunt, ſed monitores ne in poſterum peccent: Nam ſi rerum ſuarum animus oblitus torpeat, hoc quaſi ſtimulo, cura & diligentia rerum cœleſtiũ excitatur. Si libidine voluptatũ ineſcatus terræ nimis obediat, hoc velut unco injecto ad generoſiores amores ſurſum erigitur.

Verùm relictis hiſce nugamentis, tempus eſt humanas citare ſatisfactiones ad tribunal veritatis, & indagari quo jure quave injuria venerunt in poſſeſſionem Chriſti, qui ſolus & unus pro peccatis noſtris patri ſuo plenè ſatisfecit. Qua de re ſi teſtibus ſacris tabulis experimur, haud dubium eſt, quin cauſa cadant Pontificii. Principem igitur in dicenda ſententia Salvatorem ipſum, peracto jam ſacrificio, auſcultemus. *Conſummatum eſt*, inquit: Quid conſummatum eſt? Nonne redemptio generis humani? nemo negat. Satisfactionum igitur quis uſus humanarum, ubi redemptio ſuis à Chriſto numeris abſoluta eſt? Et hæc animam agentis Chriſti verba, ſuo quoque teſtimonio Paulus approbat. Hebr. 10. *Vnicâ oblatione conſummavit eos in perpetuum qui ſalvantur.* Et 1 Cor. 1. *Chriſtum vocat noſtram redemptionem*, & alibi, *pretium redemptionis.* Quæ verba, Papiſtarum intemperiem ſanare poterant, niſi penitus in viſcera ſuperbiæ peſtis deſcendiſſet.

Sed quæ contra regerant, attendite. Chriſtum quidem ſatisfacere ſolum, ſed ita tamen ut adhuc quotidiè ſatisfaciat in pœnitentibus & per ipſos. Quid hoc monſtri eſt? Adeone frontem deperiſſe de rebus! ut, cum Scriptura Chriſtum per ſemetipſum ſatisfeciſſe dicat, in tanta luce mortales reperiantur, quos affirmare non pudet, in pœnitentibus, & per illos, Chriſtum ſatisfacere? ſemel, inquit ſacra pagina, ſatisfecit Deus. Immò ſemper & continuè ſatisfacit, ajunt Papiſtæ. Quem ad finem ſe jactabit hic furor, & majeſtatem contemnet Scripturarum? quæ Chriſtum patiendo moriendoque ſatisfeciſſe pro nobis, omnibus ferè paginis inculcant.

Et per Deum immortalem, nonne vox ipſa ſatisfactionis apertum reddit, remiſſa peccata, condonataſque pœnas eſſe, ſimulac pro peccatis aliunde ſatisfactum eſt? Chriſtus igitur cum ſatisfecerit, illâque ſatisfactione peccatorum pœnarumque remiſſionem nobis impetraverit, ubi locus erit humanæ

humanæ satisfactioni, cùm neque debitum ullum reliquum sit quod expungat, neque pœna quam avertat?

Sed revertamur ad oraculum Scripturæ; Divus Paulus 3. ad Titum, ait: *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum Dei misericordiam salvos fieri.* Quocirca si gratuita Dei misericordia peccata nostra debitæque peccatis pœnæ Christi meritis condonantur, alienum est à pietate, merita humana in societatem intrudere divinæ satisfactionis, haud sine mediocri contumelia Salvatoris. Et Ephes. 2. *Gratia estis salvati per fidem, idque non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus ne quis glorietur.* Si non è nobis, si Dei dono profluxit in nos salvatio, quid humanæ satisfactionis munimentis insistimus? Et Eph. 1. *In Christo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, ex divite ipsius gratia.* Cùm igitur è divite Dei gratia, per Christi merita, redemptio, peccatorumque remissio, in egenos omnium mortales dimanavit; furor est ab hominum collapsa facultate solutionem flagitare; quam è copiis suis jampridem præstitit homo Deus.

Prodeat nunc in medium ignis ille fatuus, quem Purgatorium vocant, quo corporeæ pestes, ut illis placet, & inolitæ penitus animis concretæque labes, ubi vita miseros reliquit, exuruntur. Atque hic est ignis ille, quem à Monachis Culinariis accensum, tot impendiis & nutrimentis Pontifices aluerunt, cujus incendium nec viribus hominum, nec totis infusis fluminibus, sed una sanguinis Christi gutta restinguitur. *Sanguis enim Iesu Christi purgat conscientiam,* ait ille maximi Magistri magnus discipulus, Hebr. 9. *& purgat nos ab omni peccato,* dicit ille dilectus Deo Iohannes, 1 Epist. 1. *Christus se tradidit,* ait, *pro Ecclesia, ut eam sanctificet, purgans eam lavacro aquæ per verbum, ut sisteret eam sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam.* Quocirca cum pollutis animis, sub Christi sanguine scelus infestum eluitur, igne non opus est quo purgemur.

Porro cùm egressos è vita statim excipiat æternitas, nec igne, qui tempore; nec cruciatu, qui metis annorum circumscribitur, animæ possunt exagitari: statim enim à morte jus suum tempori abrogatur, & in ejus vicem succedit æternitas. Vnde Paulus ad Corinth. 2. cap. 4. *Quæ cernuntur,* inquit, *temporaria, quæ non cernuntur, æterna sunt.* Et Petrus cap. 5. *Nos vocavit ad æternam gloriam, postquam paulisper hîc afflicti fuerimus.* Imò Scriptura passim, rectè viam instituentibus, aditum velocem in cœlos, non interjecta cruciatuum morâ, nec intercedentibus quidē purgamen-

tis, ostendit. Ita in Apoc. 14. *Beati*, prædicantur, *qui in Domino moriuntur, qui requiescunt à laboribus suis.* Ita Luc. 23. Christus ipse latroni resipiscenti promittit: *Hodiè mecum eris in Paradiso.* Et Paulus 2. ad Corinth. hoc solatio fideles demulcet: *Scimus*, inquit, *si terrestris hujus domus nostræ tabernaculum dissolutum fuerit, nos ædificium ex Deo habituros, domicilium æternum in cœlis.* Post mortem, inquit, ubi corporis vinculis animus elapsus erit, non iterum carcere claudetur, ubi pœnis & suppliciis exerceatur, sed recta commigrabit in cœlos, ubi gaudiis in æternum & beatitudine perfruatur.

Porro quis ignorat in hoc mundo locum, & in hac vita tempus ad pœnitentiam mortalibus indultum esse, relictaque semel tellure, vitaque amissa, nec pœnitentiæ locum, nec veniæ superesse? Sic enim Apostolus 6. Galat. *Quicquid seminaverit homo, hoc & metet: nam qui seminaverit carni suæ, ex carne metet interitum; qui vero seminat spiritui, ex spiritu metet vitam æternam: porro ne benefacientes segnescamus, dum tempus habemus, simus benefici erga omnes.* & 2. ad Cor. 5. *omnes nos comparere oportet coram tribunali Christi, ut unusquisque reportet, quæ in corpore fecerit vel bonum vel malum:* & ad Hebr. 2. *hodie audiamus vocem ejus.* Nam neglecta vitæ præsentis occasione surdum precibus & implacabilem lachrymis Iudicem offendimus.

Et hæc quidem explodendo fabulæ tam anilis commento sufficerent, verum quia totius Histrioniæ Papisticæ apparatus calet his ignibus, haud absurdum fuerit illis extinguendis operæ pluseulum impendere. Ex hac enim fornacula *satisfactiones & merita, Missæ pro defunctis, Anniversariæ inferiæ, vigiliæ, supererogationes, memoriæ, fraternitates, Animarum balnea, peregrinationes, aqua lustralis, suffragia, dedicationes cæmiteriorum*, & similia curmeni mulgarum aucupia, veluti fumus & fuligo religionem denigrarunt. In qua rerum ineptissimarum confutatione non tam cum argumentis ratiocinantium, quam cum avaritia greges deglubentium colluctandum est. Ipsi namque superstitionis Papisticæ principes, Petrus à Soto & Roffensis Episcopus è Scripturæ testimoniis purgatorium probari negant. Nec ullum *Perionius in Topicis theologicis* huic nugamento colorem præterquam è libris Macchabæorum inveniri fatetur; At malesuada fames auri quæ fuerit in sacris Sacerdotum pectoribus ad sceleratam flagitii defensionem confugit, & detortam in sensus iniquos Scripturam pro re falsissima falsum dicere testimonium cogit.

Quod

Quod enim nefas non audeat avaritia prædonum, dum tantum ſibi de faucibus eripi bolum pertimeſcunt? Sed ad ipſa quæ corruperunt Scripturæ loca veniamus. *Tu in ſanguine Teſtamenti tui* (inquit Zacharias) *eduxeris vinctos de lacu in quo non erat aqua* cap. 9. Hic locus inquiunt Papiſtæ eſt ignitus ille purgatorii torrens qui volvit flammarum vortices. O dementia & tribus Antichyris inſanabilis furor! Quis ſanus hic carcerem ſomniet in quo peccatorum pœnæ temporales poſt mortem ab iis exiguntur qui viventes eas non luerunt? Cum totus Prophetæ ſermo de Babylonica captivitate & dura Iudæorum ſervitute inſtituatur, qui ſub barbaro crudeliſſimæ Gentis Imperio, procul ab aris & Templo Dei, procul à Patria calamitatibus obruti & orbati ſolatiis veluti ſiticuloſa in ſolitudine fatiſcebant.

E qua ſervitute tam intolerabili cum Deus illos ob Chriſti meritum liberaverit, admoneri debebant ejuſdem Salvatoris ſui ſanguine, ſe mortis & peccati vinculis exſolutos è graviſſima tandem ſervitute reſtituendos in libertatem filiorum Dei. Quæ Zachariæ ſententia non modo Purgatorii fabulam, ſed & antiquum illud inane Limbi (quem & hinc fabricantur) diſſolvit.

Sed male multato Zacharia, non leviorem Malachiæ fecerunt injuriam, dum illum Purgatorio ſuffragantem fingunt. *Ecce venturus eſt*, inquit Propheta, *& quis ſuſtinebit diem adventus ejus? nam ipſe quaſi ignis conflatoris & ut ſmegma fullonum eſt; ut ſedet conflans & purgans argentum, ita purgabit filios Levi defæcans eos velut aurum & argentum, ut ſint Iehovæ qui offerant munus juſtè.* Hic eſt ille purgatorius ignis, inquiunt, qui ſordes exurit in mortuis reliquas. Sed non animadvertunt hi nugarum artifices, quod hæc Malachiæ purgatio culpam detergeat, quam in Purgatorium ſuum non admittunt: Nec obſervant purgandi partes adſcribi Chriſto qui ſuo ſanguine peccatorum maculas eluit, & animarum noſtrarum immunditiem igne S. Spiritus abſumit.

Neque cogitant ad hunc finem purgari mentes, ut ſuâ Iehovæ munera & ſacrificia, preces & gratiæ legitimè ritèque ſicut à juſtis decet, offerantur. At in illo Purgatorii barathro num oblationibus inter tormenta vacant animæ? num Miſſæ ſacrificio indulgent? num ad nos inde commeant ut ſacerdotio perfungantur? Quod ut affirmare, ni fallor, ſubverentur, ſic & Malachiam de ſuis ignibus non loqui neceſſe eſt fateantur.

Sed à Scripturis parum adjuti Macchabæorum hiſtoriam veluti clypeum obtendunt: in illa nempe diſertè legitur, Iudam

Macchabæorum *confectas è capitatione drachmas bis mille argenti misisse Hierosolymam ut offereretur Sacrificium pro peccato, laudatum ob eximii facti præstantiam, quod sancta & pia cogitatione de resurrectione cogitaret.* cap. 12. vers. 43. 44. lib. 2. Cujus argumenti non solum magna futilitas sed & insignis impudentia est. Quid enim inverecundius quam dogma Theologiæ controversum stabilire testimonio, non humanæ tantum, sed dubiæ veritatis? Historia namque Macchabæorum nec à Spiritu Sancto dictata, nec à Prophetis conscripta, nec Idiomate consignata Hæbreo, nec Iudæorum Ecclesiæ tradita commissave fuit: quam in Ecclesia Christianâ D. Cyprianus *legi non prohibet*, sed *exutam authoritate firmandæ fidei*, quam D. Hieronymus à Scripturis secluſam Canonicis & segregatam testatur: quam D. Augustinus tum demum recipi debere fatetur *si sobriè legatur*, utpote quæ multa contineat rectæ religionis periculosa: qualis est illa Raziæ sibi mortem inferentis ambitiosa laudatio: Cum è Scriptura constet injussu Imperatoris nostri cœlestis è statione discedere scelus esse & detestabile flagitium.

Hanc idem Augustinus testem religionis datam à Christo negat. Hanc Gregorius Magnus Episcopus Romanus sexcentis post Christum annis, inter Canonicos non receptam, utilem tamen Ecclesiæ prædicat ob excellentium credo Martyrum invictam in tolerandis acerbissimis cruciatibus constantiam, ad quam magnis fidelium animos exemplis firmari Ecclesiæ intererat. Hæc utilitas historiæ facile persuasit ut ad errores & mendacii nævos viri prudentes conniverent, dum Antiochum Epiphanem exanimatum Babylone præ tristitia lib. 1. cap. 6. v. 8. frustulatim concisum in fano Nannææ *lib. 2. cap. 1. v. 16.* pediculoso putrescentium intestinorum effluvio mortuum in montanis *lib. 2. cap. 9.* (quasi tergemina morte mortalis unus periisset) accipiunt: dum Iudam occisum legunt, anno centesimo quinquagesimo secundo Seleucedarum *lib. 1. cap. 9.* quem *lib. 2. cap. 10.* sex & triginta post mortem annis Aristobulo literas scribentem offendunt. Dum Lisiam ab Eupatore rebus præfectum accipiunt *lib. 2. cap. 10.* qui dudum ante *lib. 1. cap. 6.* versatus in imperio, regnum simul & nomen Eupatori dedit. Dum purgatum à Iuda templum ante mortem Antiochi *lib. 1. cap. 4. vers. 36.* sed *lib. 2. cap. 10.* non purgatum nisi sublato è vivis Antiocho vident.

Quæ Sphalmata ne quis obrepsisse dormitanti indignetur, ipse suas in abbrevianda Iasonis Cyrænei voluminosa historia molestias

ſtias & labores humanæ ſuccubuiſſe infirmitati non diffitetur. Quod quantum abſit à Sancti Spiritus ſcriptores ſacros agitantis efficacia quis ignorat? Quanquam enim ſcriptoribus rerum geſtarum multi perferendi labores, multa perquiſitionibus cura & induſtria collocanda ſit, ingenium tamen infirmum natura, Spiritu divino affla tum tanta virtute exurgit, ut ſuperatis omnibus moleſtiis de nulla laborum difficultate conqueratur.

Cujus exſortem Spiritus Authorem hunc fuiſſe quis ambigat, cum tenuitati ſuæ hiſtoriæ veniam à lectoribus petit? quos non operis excellentia & bonitate, ſed propenſa voluntatis inclinatione ſtudet demereri: diverſa ſane à S. Spiritus ratione, qui neſcius errorum & imbecillitatis, nec facilitatem Lectorum nec indulgentiam ambit.

Sane D. Paulus (ne tanto exemplo ſuum tueantur Hiſtoricum Papiſtæ) cum ſemet ἰδιώτῃ λόγῳ fatetur, nec culpæ veniam petit nec errores deprecatur, ſed tumentes eloquentiæ gloria Pſeudo-Apoſtolos retundit, qui διδάκτοις ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, divinæ ſecretorum cœleſtium ſapientiæ præferebant. Igitur orationem ſuam, quanquam nec indecoram nec indignam dictante Spiritu, ſi cum affectata illorum & picta comparetur facundia, rudem videri poſſe & impolitam, utpote quæ magis efficacia rerum quam verborum lenocinio permovere debeat animos ad fruitionem gloriæ cœleſtis.

Sed elevata Scriptoris, à quo humani nihil alienum fuit, authoritate, ſententiam ipſam verborum quæ in purgatorii ſubſidium arceſſunt, examinemus. Iudam ſcilicet pecuniam non mediocrem miſiſſe Hieroſolymam ad inſtaurandum ſacrificium pro peccatis. Quid hinc accedit Purgatorio? ſane credibile eſt Iudam de populi peccatis ſolicitum, iræ divinæ quæ in ſimile Achani flagitium olim tam furenter exarſerat metuentem, hoc quaſi placamine toti conſuluiſſe Eccleſiæ, quæ Deum quoque votis & precibus fatigabat μὴ ἀλλὰ τὸ γεγονὸς τελείως ἐξαλφθῆναι.

Sin autem Iudæ factum Hiſtoricus aliorſum trahit, erroris humani eſt: ſi facta Sacrilegiis expiandis ſacra, procurandis cæſorum in acie peccatis attribuit, ſuæ exiſtimationis & religionis periculo ſapit. Iudas ſane ſi pietatis, ſi religionis, uti prædicat Hiſtoricus, obſervantiſſimus fuit, expiandis defunctorum peccatis ſacrificia non inſtituit, utpote quorum in lege Moyſis quam ſibi tuendam obſervandamque noverat, nec præceptum extat nec exemplum.

Sed preces, inquiunt Papistæ, pro mortuis effudit. Esto. Quot capita tot sententiæ. Putaverit historicus ille preces pro mortuis & pie simul & utiliter haberi. Quid hic ad nos? quid ad purgatorii denique stabilimentum facit? Absurdum enim argumentandi genus est, *precati sunt pro defunctis*; ergo defuncti purgatoriis ignibus excruciabantur. Equidem illæ supplicantium preces præsentem pœnam non deprecabuntur sed votis & suspiriis ad novissimum extendebantur judicii diem, ne peccatis scilicet in vita peractis ad supplicium æternum miseri condemnarentur: sicut Onesiphoro Paulus *in illo die Dei misericordiam precatur*. 2 Tim. 1.18. mihi sane, quoties hunc locum cogitatione repeto, non stabiliri Papistarum sententia sed everti visa fuit. Huic enim exemplo cum sanctis purgatorii legibus magna lis est. Cum enim milites Achanis æmuli se sacrilegio, peccato mortali, polluissent, quomodo in purgatorium peccati mortalis incapax descenderent? dicent fortasse culpam pœnitentia fuisse deletam; at quomodo probant? Sed esto. Cur temporalibus igitur post mortem pœnis exagitantur, qui mortem ab hostibus illatam in facinoris supplicium luerunt. Quotquot enim peccata, si Pontificiis credimus, temporalibus in vita pœnis à Deo castigata sunt, ea flammis his ultricibus post mortem non exuruntur: nec enim Dei justitia patitur ut singulare peccatum geminis suppliciis puniatur.

Hæc Papistarum est sententia. Milites autem ob sacrilegium morte punitos fuisse extra omnem dubitationis aleam collocat historicus: unde nobis etiam dubium non est Purgatorii pœnam mortuis esse supervacuam, qui vivi supplicium luerant.

Sed purgatis è veteri fœdere nugarum inquinamentis, superest ut novi Testamenti tabulas aspergine contumeliarum liberemus. *Dictum est antiquis*, inquit Christus Matth. 5. *non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis quod omnis qui irascitur fratri suo temere, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit Concilio; Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Hic triumphum canunt Papistæ; nec enim jam de Purgatorio diutius ambigi posse; cum manifestum sit & primum & secundum peccati gradum, non infernali tormento sed purgatorio cruciatu puniri. Sed me vel contumaciæ tædet illorum, vel miseret ignorantiæ. Hæc enim Christi sententia nec quæstionem attingit, nec ullam habet cum purgatorii natura affinitatem. Imo cum Papistarum sententia non inimicitias sed bellum gerit; Agitur enim de culpa in judiciis damnata, quam in purgatorium ingredi

gredi strictissime negant: nihil enim in purgatorio, sicut ipsis placet, nisi supplicium exercetur & pœna. At in judiciis & Synedriis de quibus Christus loquitur, neque pœna neque supplicium, sed sententia tantum in sontes perfertur.

Iam verò Purgatorii sedes una numero sed vasta capacitate cunctas recipit (ut fingunt) infœlices animas, at Iudiciorum fora & Tribunalia complura numero & sedibus discreta sunt. Sicut enim diversus est à gehenna Synedrii locus, sic alia est Iudicii curia à Synedrii consessu. Vnde patet institutum de judiciis sermonem ad purgatorii carcerem non pertinere. Nec infami causæ prodest altera falsitas cum purgatorii nomine non latam in Iudicio sententiam sed exequendæ sententiæ destinatumque supplicio locum intelligi contendunt. Nihil enim Iudicii vocibus & Synedrii præter actus Iudicantium & de criminibus cognoscentium indicatur. Quare nisi Synedrion & Golgotha locum unum eundemque fuisse probaverint, vel Christi testimonio purgatorium tueri vel in eo supplicium fingere desinant.

Sed hujus absurditatem argumenti sententia Christi rectè intellecta clarius arguet; Pharisæorum enim personatam pietatem Salvator increpans, qui non in animi conceptu sed corporis actu peccata collocabant, cædem non modo perpetrari docet cum in jugulum ensis demergitur, sed cum odium, invidiam, contumeliam, in hominem quemcunque, affinitate tanta nobis & proximitate conjunctum, exserimus. Nec illum modò violatæ legis reum esse qui in medio foro hominem occiderit, sed qui vel cogitationes suas invidia vel linguam armaverit maledictis, Imo cum ad accuratam divini judicii regulam examinantur delicta, ne minimis quidem esse veniæ locum, multaque vel excusata hominibus, vel non animadversa pro divino tribunali non levioribus sententiis premi, quam atrocia illa & manifesta flagitia quæ pro more gentis in summo foro judicantur. Hic verborum sensus, hæc Christi mens est, qui cum ad varias diversorum Iudiciorum formas & gradus alluserit, impium est omissa complexi totius & enunciati sententia, è vocum singularium καταχρήσει venenum exsugere religionis.

Nec movet nos illa Papistarum obmurmuratio, quod de futuro tantum sæculo Christi verba intelligenda sint, quia loquitur de foro conscientiæ. Quasi Deus in hac quoque vita judicium non exerceat, & pectora malorum non excruciet domesticus & intestinus Carnifex.

——Prima est hæc ultio, quod se
Iudice, nemo nocens absolvitur.——

Nec majoris illud est momenti nec dignum minori risu quod garriunt, Dei judicia post hanc vitam variis exercenda locis, quia varios hic Iudiciorum humanorum & gradus commemorat & sedes. Quasi judiciis humanis quæ separatis in locis habentur, variæ non præsideant personæ, cum in foro conscientiæ solus & unicus Iudex de criminibus cognoscat.

Sed aliò convolantes sequamur. *Esto amicus adversario tuo* (inquit Christus eodem capite) *cito dum es in via, ne quando te tradat Adversarius judici, judex ministro, & in custodiâ conjiciaris. Amen dico tibi, non exibis illinc donec reddideris ultimum quadrantem.* Hæc est illa *custodia* dicunt quam purgatorium appellamus. Bona verba. Næ illi qui Christi mentem capiunt, aliter sentiunt.

Monet Salvator ut dissutam lite vel controversia gratiam statim resarciamus, ne exulceretur in animis nostris odium; nihil enim principi & patri nostro Deo gratius esse quam fraternam charitatem quæ si læsa fuerit à quoquam, illi diligenter enitendum esse ut huic vulneri pœnitentiâ medeatur. Quia vero naturæ indomitæ ea contumacia est, ut à renovanda cum illis gratia refugiat quos injuria provocavit, humani incommodi documento monemur, quam exosa sit patri nostro cœlesti, tam superba pertinacia; sæpius enim extremis illum inopiæ & servitutis affligi incommodis, qui pactiones honestas & amicam respuit transactionem.

Hæc aperta Christi mens & simplex sententia est; quam Papisticis allegoriarum involucris vestitam absurditates innumeræ circumsident. Nam si nomine *Adversarii* (quod volunt) Diabolus intelligatur, erit in gratiam nobis cum illo redeundum, quocum sine missione pugnare à Deo jussi sumus. At in voce *Iudicis* Allegoriam quis ferat? Hâc enim si vocetur Deus, omnis in præceps ruit religio; sequitur enim non esse pro debitis satisfaciendum Deo: quandoquidem Actori, non Iudici reus satisfaciat. Imo si pro suis satisfacere peccatis teneantur homines *ad ultimum quadrantem*, Christus pro iis non satisfecit. Ad quam non modo sententiam sed cogitationem pius animus perhorrescit. Quomodo tandem carcere liberabuntur qui solvendo non sunt? Nihil enim nobis reliquum est quo tantum exsolvamus æris alieni. Nec absurdis Allegoria tantum onerat eorum sententiam; sed evertit. Nam si carcer hic purgatorium denotet, è quo nisi peracta

in

in ſolidum ſatisfactione nemo liberatur, ſequitur ipſum *purgatorium* pro peccatis non eſſe *ſatisfactorium*; Nullus enim eo ſatisfacit quod ſqualorem carceris & incommoda patitur: ſed exſolvendo quod debitum eſt liberatur à nexu. Sic ipſi quod ſtruxerant, diruunt.

Verum ex aliis Chriſti verbis Matth. cap. 12. quid moliantur, animadvertamus. *Quiſquis fuerit locutus*, inquit Salvator, *adverſus Spiritum Sanctum non remittetur ei, neque in hoc ſæculo neque in futuro*. Hinc mira ſubtilitate peccati cujuſdam in futuro ſæculo remiſſionem, & ſubinde purgatorios poſt mortem ignes excogitarunt. Sed perſpecto phraſeos Hebraeæ uſu & efficacia vaneſcet hoc commentum. Nihil enim ea denotatur præterquam temporis infinitatem, qua durabit eorum ſupplicium, qui ſcientes volentes obſtinata malitia peccant in Spiritum ſanctum.

Nec enim in hac nec poſt hanc vitam (id eſt nunquam) ſperanda illius peccati remiſſio: Quem loquendi modum vulgatiore formula D. Marcus elucidavit, inquiens, *non habet remiſſionem in æternum, ſed tenetur æterno judicio* cap. 3. Quæ locutio familiarior auribus noſtris cum præſtigias ignis inimici detegat, tumultuari Bellarminus incipit & Marco quippe breviori per Matthæum pluribus verbis uſum, explicationem ſimul & lucem conciliandam eſſe clamitat: Nec ferendum ut Marcus abreviator Matthæi ſententiam enucleatiorem, pro ſuo arbitrio exponat. Quaſi D. Paulus prolixiorem phraſin Davidis *ſedendi ad dextram Dei* Pſal. 110. breviori voce *regnandi* non tantum interpretetur ſed etiam illuſtret.

Sed in ejuſcemodi tricis ingenium exercere moroſæ ignorantiæ eſt. Nobis hoc conſtare debet ejuſdem Spiritus efficacia mentes ſingulorum impulſas fuiſſe ad tradenda poſteris Euangelii monumenta; quæ non ab uno ſed pluribus conſignata ſunt, ut alterum alterius luce & claritate perfunderetur. Miſſis ergo nugamentis hoc agamus. Quid huic ſententiæ cum Purgatorio? Loquitur enim Chriſtus de graviſſimi peccati culpa, cum ad ignes illos expiatorios pœnæ tantum eæque temporales pertineant. Cæterum inſigniter falſum eſt, peccatorum aliquorum culpam in hac vita non remiſſam, remitti in futura, cum ipſa veritas Ioh. 3. teſtetur in hac vita vel remitti peccatum, vel ad æternum exitium occalleſcere. *Qui credit in filium habet vitam, qui non credit vitam non videbit*. Nihil igitur ad purgatorii fabulam facit hæc oratio. Sed demus in futuro ſæculo remitti peccatum, num con-

firmatius inde purgatorium erit ? haudquaquam.

Cum enim remissa peccata pœnis vacua sint, sequitur animas non puniri in purgatorio, totamque Romani Ditis aulam quam suppliciis ingemere fingit & personare pœnis, larvam esse & terriculamentum puerorum.

Nec dissimulandus est hic error quod sæculum futurum non de die novissimo sed medii temporis inter illum & mortem intercapedine intelligant; cum Luc. 20. status ille æternitatis qui rerum abolitionem excipiet hoc vocabulo denotetur. Quod in Dialecticæ leges à purgatorii Patronis peccatum est, facile condonarem, nisi sæculi interesset vindicare rectam disserendi rationem. Ex particulari namque negata universalem inferunt affirmatam, pudendo vel errore vel flagitio. Si peccatum in Spiritum Sanctum, nec in hac, nec futura vita remittitur, tum peccatorum omnium pœnæ temporales in hac vitâ non persolutæ, persolventur à fidelibus in futura.

Quid dici vel excogitari potuit rationi repugnantius ? Quænam hujus connexi veritas ? si peccatum illud in Spiritum Sanctum non remittitur in futuro sæculo; ergo reliqua peccata fidelium hic non remissa, remittentur ibidem. Patet enim latius τὸ ἐξάρχης quam τὸ μιλαλαμβανόμενον. Quam autem hoc fatuum est in argumento à subcontrariis petito non servare leges subcontrariorum, è quibus emanare debuit vis omnis subsecuturæ conclusionis ? Sit enim hoc axioma particulare negatum: *Quoddam peccatum neque nunc nec olim remittitur.* Cui contrarium cum esse debuerit affirmatum, *Quoddam peccatum & nunc & olim remittitur*, absurdissimi mortales loco duplicis affirmationis quæ geminæ opponatur negationi, substituunt unam, *Quoddam peccatum non remittitur nunc & remittetur olim*; Magno sane Dialecticæ opprobrio, sed quod in Theologiam majori dedecore redundet.

Si quærant in quem finem illa sit futura post mortem peccatorum remissio, si jam nunc remissa sint, in promptu responsio est, remissionem fide delibatam à viventibus, in magno illo & novissimo terræ judicio Dei voce sententiaque manifestandam esse, ut jam totus homo perfruatur illa beatitudine qua corporis elapsa vinculis anima jamdudum fuerat gavisa.

Sed tempus monet ut reliqua, si quæ supersunt hujus ignis fomenta, tollamus. Et sane submINistratum sibi à Paulo fomitem 1 Cor. 3. gloriantur. *Si quis superædificet*, inquit, *super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœna, stipulam,*

Cujusque

Cujusque opus manifestum fiet, dies enim declarabit: nam per ignem revelabitur, & cujusque opus quale sit, ignis probabit, &c. ipse vero servabitur, ita tamen ut per ignem. Ergo purgatorius est ignis, inquiunt, quo purgandi post mortem & salvandi sumus. O pertinax ineptiendi libido! Quid D. Paulo miratori cultorique sanguinis Christi cum hoc fatuorum igne? Nullas ille flammas purgatrices, nullos tenebrosi carceris auxiliares cruciatus meminit; sed de doctrina pastorum & disciplina loquitur quæ consentanea Scripturis instar auri fornacibus excocti, verbi diem & lucem, & Spiritus probantis ignem feret & efficaciam: dissentanea vero stipularum & fœni more nec lucem patietur aut jubar, & igneo S. Spiritus examine abolebitur.

Nec enim insolitum est Scriptoribus Sacris *lucem veritatis quæ manifesta facit omnia* Eph. 5. 13. *per diem* exponere. Sic ad Romanos, cap. 13. v. 12. ἡ ἡμέρα lucem doctrinæ gratiæque tempus significat: *nox processit, appropinquavit dies; quæ lux & dies* veritatis idem quod ignis in Scriptura valet. Est enim *ignis* imago quædam verbi divini sanctique Spiritus, qui vim & virtutem insitam verbi promovet character. Sic enim Ierem. 5. 14. & cap. 23. 29. & Lucæ 12. 19. doctrina salutis igni comparatur. *Ignem veni missurus in terram*, inquit Salvator, qui falsitatem & errores depascitur, veritatem excoquit & defœcatam reddit.

Quod igneum Spiritus examen, quæ *lux* & Euangelii *dies*, cum uniuscujusque conatus & labores in hac vita probent, explodenda est voluntaria Papistarum inscitia qui diros ignes & flammarum post mortem cruciatus ex hac Pauli sententia accendunt.

Hoc *igne verbi*, in beatissimi sæculi nostri *luce* malæ Purgatorii materiæ sic deflagrarunt, ut Architectos non inveniat nisi qui pudorem decoxerint & sanitatem conscientiæ. Sed hæc premere diutius fine tædio non possum; verum cum utilitate compensetur fastidium, vindicemus sententiam Pauli: qui cum totum opus *igne* probari dicat & præcipue vitium operis & culpam, quid erit hic purgatorio negotii cujus à limite culpam arcent? Allegoriarum deinde series nonne satis arguit ignem purgatorii materiatum non intelligi?

Sed hic mirari succurrit ingenium præposteræ pertinaciæ, quæ Christi verba simplicia in allegoriam, metaphoras autem Pauli in verba simplicia convertere nititur; quo laboris & mendacii pretio? ut emungant populum argento, semetipsos defraudent gaza veritatis. Ignis hic, inquit Paulus, *manifestum reddit opus*. At Papistarum

piſtarum illa utopia in terræ centrum deprimitur caliginoſum & damnatum tenebris locum. Paulus inquit, *igne cuncta probari.* Sed Papiſtæ nec aurum, nec argentum ignibus ſuis ſed paleas tantum & ſtipulas probari volunt, hoc eſt levia quædam, & ut ipſi balbutiunt, venialia peccata: Paulus *exuri materiam operis aſſerit.* At Pontificii non materiam ſed operum molitores & architectos in flammas conjiciunt. Vnde manifeſtum eſt, ignem Apoſtoli à Papiſtarum camino longè diverſum eſſe.

Quod è Pauli verbis cap. 2. ad Philip. argumentum petitur imbecillum eſt. *Si in nomine Ieſu*, inquiunt, *omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum*, ſequitur apud inferos eſſe pias aliquot & Deo devotas animas quæ purgatorii flammis emundantur, utpote cum Dæmones & Spiritus perduelles non venerentur nomen Ieſu, ſed ad illud cohorreſcant. Quaſi Paulus hîc de cultu & veneratione voluntariis vel ſpontaneo obſequio, & non de ſummo illo ἀνυπευθύνῳ imperio loqueretur, quod in omnes cœli terræque creaturas Chriſtus accepit, quem *pater conſtituit hæredem omnium.* Hebræ. 1. *cui poteſtas omnis in cœlo terraque data eſt.* Matth. 28. Cum igitur neque loquendi modum neque phraſeos efficaciam intelligant, in petitione principii velut in molis Aſini, laborem deſudant inanem & in ſe rediturum. Negamus enim purgatorium uſquam eſſe. Sed eſto, ſit hæc genuflectio pars obſequii cultuſque voluntarii. Quid inde commodi purgatorio accedit? Sane cum obſequium & cultus in eo verſentur ut honorem gloriamque Chriſto deferamus, ſi qui ſunt qui purgatorii pœnis & doloribus ſatisfactionem pro peccatis moliuntur, næ illi Chriſto genua non flectunt, ſed majeſtatem Salvatoris gloriamque meritorum arrogantiſſima ſuperbia dedecorant & lædunt.

Nec Petri verbis Actor. 2. 24. fœlicius ipſis procedit commentum. *Ieſum*, inquit Apoſtolus, Deus ſuſcitavit λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου. Quam vocem mortis in *infernum* mutant, eamque eandem in Purgatorium vertunt. Qua authoritate? mortis inquiunt dolores & cruciatus omnes in cruce pertulerat, exhauſeratque; neceſſum igitur ut hi dolores quos hîc ſolutos accepimus de Purgatorii doloribus intelligantur. Probe. Quaſi Chriſtus reſurgendo mortem ipſam triumphatam non ſubegerit, vincula ruperit & ferratos fregerit poſtes duræ illius neceſſitatis? Sed recipiamus *inferni* vocem: nihil accedet incommodi ſententiæ noſtræ; Scripturis enim uſitatum eſt, ea voce mortem notare & ſepulchrum,

pulchrum, cujus rei tam pervulgata ſcientia eſt ut putidum foret id confirmare quod à nemine negatur.

Illorum autem ſententiæ tanta abſurditas eſt, ut ſine pudore nec legi poſſit nec audiri. Chriſti namque dolores quos virtute ſuâ ſuperavit ſi purgatorii fuerint cruciatus, ut illis placet, quærendum reſtat, utrum eos ſuo vel aliorum nomine pertulerit: ſi ſuo reſponderint, impietatis & blaſphemiæ crimine tenentur; ſin aliorum, qualis erit in ſubjuncta Petri ratione convenientia? Quia *impoßibile erat ipſum ab ea detineri.* Nec vident avaritia cæcati mortales, omnem purgatorii ſui ſpem funditus periiſſe, ſi vox *inferni* Purgatorium hoc loco ſignificet: Chriſtus enim non ſolviſſe purgatorii doloribus animas, ſed ipſos ſuſtuliſſe purgatorii dolores dicitur, unde ſequitur ſublatis doloribus ipſum tolli purgatorium, quod ſine cruciatu & ſuppliciis conſiſtere negant Papiſtæ. His enim veluti terrorum machinis, & divitum arcas expugnant, & pauperum expilant crumenas.

Hactenus igitur illa religionis carcinomata quæ Miſſa peperit, enſe verbi Dei reſecuimus: ordo poſtulat, ut ad alia progrediamur, quæ neque leviorem injuriam Chriſto, neque minorem Scripturis intulerunt contumeliam. Ac intrantibus in ipſo limine, multis ſtipata deliriis, infert ſeſe ſanctorum Angelorumque invocatio, & latria Idolorum, quæ vetante Deo, & reclamante Scriptura, ſedem ſibi fixit in æde Dei. Nam ſi Patriarcharum, Prophetarum, omniumque illorum, qui fide ſpectati & ſanctitate, ſub utroque fœdere nobis in exemplum vixêre, vota preceſque conſideremus, haud ullas divis, at omnes Deo ſacratas dicataſque reperiemus.

Si mandata Chriſti vel Apoſtolorum, de ratione precum inſtituendarum animo repetimus, haud dubiè conſtabit, ad unicum Deum, per Chriſti merita, nos contendere juſſos eſſe, vetito interdictoque Sanctorum Angelorumque cultu. Coloſſ. 2. ſic enim Pſal. 50. Deus ipſe jubet edicto: *Invoca me in die tribulationis, & eruam te & honoraficabis me:* ſic Soph. 3. *Invocent omnes nomen Domini & ſerviant ei.* Et huic omnes mandato paruêre, qui ſuis obtemperare Deum precibus deſiderarunt.

Verùm ne quis ſimulatâ divinæ majeſtatis reverentiâ mortales, ut tantis honoribus indignos, ab illius congreſſu arceret, utpote quæ ſine parariis & interpretibus Sanctis ab infimorum ordinum petitionibus adiri non debeat; ipſe Chriſtus ut occurreret huic doloſæ machinationi, verbis illis quæ timido fiduciam & alacri-

alacritatem dubiis adferant, omnes promiscuè ad se vocat & invitat. 11. Mat. *Venite ad me omnes qui fatigati estis & onerati, & ego faciam vt requiescatis:* & 14. *Quicquid petieritis in meo nomine, hoc faciam. Ego sum via, veritas & vita, nemo venit ad patrem si non per me:* Non per divos & divas, ait, sed per me. Sic in precibus idem discipulos instituit: *comprecamini,* inquit, *Pater noster:* Non tu Dive, Divaque cui pietas nostra cordi est. Ergo Paulus 8. ad Romanos, *Spiritum Sanctum* affirmat *in nobis inenarrabili gemitu vocare Abba pater.* Per Christum igitur aditus piorum precibus aperitur ad Patrem, *Christum enim in cœlis habemus advocatum,* inquit sanctus Ioh. 1. Epist. cap. 2. non beatam Virginem, non Sanctos; nec habuimus modo, sed habemus.

Sed occurrunt Pontificij Christum mediatoris officio functum, liberando redimendoque genus humanum, intercedendi precandique curam & munus, divorum pietati demandasse. Quasi commenti tam insani ludibrium à *Paulo* non exigeretur, qui 1 Tim. 2. 5. & cap. 8. ad Rom. *Christum esse* dicit, *qui mortuus est, imò verò etiam qui excitatus est: qui etiam est ad dextram Dei, qui etiam postulat & intercedit pro nobis.* Christus igitur, in cœlo nobis advocatus, & causam pro nobis agit, apud patrem. Quapropter Invocatio Sanctorum cum neque rebellionis in Deum, neque contumeliarum in Christum, nec injuriarum in Scripturas purgari possit, Apostolici dogmatis existimatione dejecta, finibus Ecclesiæ exterminanda est. Nam cùm Ecclesia, cui precum instituendarum jus attribuunt Pontificij, Christo nupta, mariti sui mandatis obsecundare debeat, aliorum præposteræ jussiones, & à Christi mandatis alienæ, respuendæ sunt.

Sed priusquam ad alia ferrum convertimus, operæ pretium erit acie rationis etiam hujus mali fibras exscindere; Deus enim, cum peculiari prærogativa cordium humanorum cognitionem uni sibi vindicaverit, impietatis & blasphemiæ se reum facit, quicunq; Sanctos in partem admittit eorum, quæ Deo sacra dicataq; sunt.

Hanc autem Deo sepositam esse, dubitare non potest qui verba Prophetæ, 1 Regum 8. vel fando audivit: Ait enim, *Tu ô Deus nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Et Ier. 17. *Pravum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscit illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Pontificij verò tantam animorum nostrorum notitiam Divis suis attribuunt, ut eos etiam precibus obtundant. Neque finis hic est absurditatum. Absurdum est

enim

enim illum precibus invocare, in quem non credis; ergo vel fræna laxent impietati, credantque in Divos quos comprecantur, vel redeant ad sanitatem & preces avertant à Divis in quos credere videri nolunt.

Porro, quicunque venit aliis advocatus, causam illorum habeat perspectam imprimis opus est, quibus operam suam est navaturus, & vota petitionesque clientum offerat tanquam suas, personam que suam pro clientum personis usurpet. Sancti vero, mortali vita defuncti, depositæ cogitatione nostri, in curas hujus sæculi non eunt. Hic enim Isaias 63.16. *Abraham nescit nos, nec Israel nos cognoscit.* Et Iob.1.14. Dicitur apertè, *patrē mortuum nescire conditionem liberorum suorum, num in dignitate sint constituti necne.* Verum 9 Eccles. *Planius affirmatur, quod mortui nihil norunt amplius, amor & odium eorum perierunt, nec partem habent in hoc sæculo, in opere quod sub sole geritur.*

Sic Iosiæ Regum optimo Deus ipse 2.Reg.cap.22. v.20. *faciam,* inquit, *ut sepulchris inferare tuorum, ne oculi tui videant malum quod in hæc loca decrevi.* Si sanctus igitur & evectus in cælestem gloriam Rex Iosias calamitatum gravissimarum quæ totam præmebant rempublicam nescius & ignarus fuerit, quomodo defunctis singulorum hominum ærumnæ, miseriæ necessitates innotescent? Sic inquit Elias Elizæo 2.Reg.cap.2.v.9. *Pete quod faciam tibi priusquam à te fuero sublatus.* Quid enim? Si necessitatum Elizæi conscius foret in Cælis Elias, quid opus foret omnibus hic auxiliis in terra defungi? Nonne licuisset Elizæo precibus Eliam fatigare post subvectionem in cælis? Sed nihil horum. *Antequam tollor,* inquit, despice qua tibi in re possim vel usui esse vel solatio. Postmodum enim hoc mutuæ charitatis inter nos exolescet commercium. Quam insanum igitur Papistarum commentum, qui jactant visione beata condecoratas animas, dum Dei faciem intuentur, omnia sibi in orbe terræ negotia tanquam in speculo intueri.

Et quamvis hæc ipsa luce clariora sint ultro tamen cæcutiunt pseudo-Catholici Divorumque suorum veneratione Dei cultum propellunt: quod facinus impium ne videantur gratis committere, rationes commenti sunt quibus hoc ludibrium probent. Invocatio sanctorum inquiunt, in scriptura nusquam prohibetur; ergo legitima, licita, adeoque necessaria est. Sed proh insanam argumentandi licentiam! D. Paulus in sua ad Galatas Epistola, diris illos devovendos judicat, qui Euangelium aliud à promulgato

gato vulgare sustinuerint: cum autem Angelorum Sanctorumq; cultus in Euangelio nostro ne quidem nominetur, evidentissimè sub ἐθελοθρησκίας invisum Deo crimen, pœnamque cadat. Isa. 29. v.13. Matth.15.v.9. Coloss. 2. v.20.

Sed omisso tam illiberali argumento, percunctari lubet quid ad illud Dei mandatum respondeant quo cultum omnem, venerationem & gloriam (cujus non infima pars est invocatio Psal. 50. v.15. Ier.29.12.13. Ioel.2.23.) sibi tribui & ab illius societate creaturas excludi jubet. Matth.4.v.10. Isa.42.v.8. & cap.48.v.11. Deut.6.13.14.& cap.10.v.20. Huic enim Cornelio vitio vertitur quod eximium hunc honorem habuerit Petro; Iohanni quod Angelo.

Nec absurdum est quærere qualem in divis illis invocatis reponant fiduciam, quantamq; in ipsos fidem defigant: cum enim invocato competat hoc privilegium ut simul in eum credatur Rom. 10. v. 15. Alterutrum affirmare invocatoribus necesse est, vel in Divos se credere (quod impiũ est Ier.17.v.5.) vel Divorum cultum illicitum esse. Sed enim vero cum sine fide nemo possit placere Deo, diserteque postulet Iacobus Apostolus, *ut oremus in fide*, quia *hæsitans non audiatur à Domino*, cumque fides è Dei verbo nata, eodem veluti tibicine fulciatur Rom.10. Indubiæ veritatis est, invocationem Dei quæ sola verbo Divino nititur esse legitimam & licitam piis, reliquas autem cerebris humanis enatas, ut illicitas, nefarias, & impias è cætu fidelium ejiciendas esse.

Iam vero quærentibus cui bono sanctorum invocatio, cum invocantibus Dominum parata sit salutatio, finis bonorum, quam stultè respondent etiam illi qui in schola sapientissimi audiunt? Christum severiorem rigidioremque esse, quam ut à quovis adeatur, ac proinde leniores aliquos, sanctorũ è numero mitioresque advocatos quæri qui precibus miserorum clementius annuant. Stultitiamne appellem hoc commentum an rabiem impietatis? Nos sanè non auribus tantum, sed & animis obturatis hæc monstra prætervecti, *adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ut consequamur misericordiam & gratiam inveniamus ad auxilium opportunum*. Heb. 4. Clamat enim ipse Christus, *venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis*. Matth.11. *Et, eum qui venerit ad me non ejiciam foras*. Ioh.6. Et quænam obsecro hic vel umbra vel similitudo veritatis est, Christum qui sanguine suo nos redemit sanctis, qui nihil operæ nobis redimendis impenderunt, severiores esse? Sed objiciunt mandari & imponi nobis ut mutua alij alior um commo-

commoda precibus promoveamus dum in hac vita peregrinamur, cur igitur & sanctis in cælo quiescentibus non incumbat cura juvandi illos qui periculis adhuc & difficultatibus jactantur? Sed facilis est responsio, viventibus nobis hoc disertè mandari, sanctis autem vita defunctis idem imperari nusquam legitur. Sed si demus illos in cælis pro nobis precari, numquid inde sequitur & illos à nobis invocandos esse? Qua vi consequentiæ? Et nos sane cum aliorum necessitates precibus nostris Deo commendatas volumus, non id agimus ut nosmet ipsos mediatores & arbitros ingeramus quales in Canone Missæ sancti perhibentur, *quorum precibus & meritis* Deus annuat, sed in eodem cum fratribus nostris gradu collocati ut unius ejusdemque corporis membra Deum unum in quo tota spes, & à quo tota vis auxilij, Christi salvatoris innixi meritis oramus; conscij quippe nec fratrum merita nobis neque nostra fratribus, sed Christi preces & merita promiscue nobis omnibus prodesse.

At locum è Ieremia jactant quo sententiam suam tuentur. Cap. 15. v. 1. *Si starent Moses & Samuel, coram me, non est anima mea ad populum istum.* At ea tempestate, inquiunt, qua Deus hæc minatur jam è vivis excesserant Moses & Samuel: Vnde manifestũ est licuisse mortuis vivorum commoda precibus juvare. Sed hi Sophistæ Theologi non vident se fallaciam usurpare *à dicto secundum quid ad dictum simpliciter.* Regula enim rationis est, conditionale, nihil probare, nisi posita conditione; Iam vero verba ipsa loquuntur, non stetisse Mosen & Samuelem coram Deo pro populo deprecantes. Sane in hoc oraculo prosopopeia Deus utitur qua proclamat sibi destinatum esse sine ulla spe veniæ populum rebellem in ultimas miserias conjicere; nec ullis se vel optimorum & innocentissimorum hominum deprecationibus à sententia perdendæ gentis dimoveri posse: Non si Moses inquit & Samuel resurgant & suppliciis orent, non exorabunt tamen: cum ante sæpius ab irato Domino veniam delinquentibus impetraverant.

Sed huic illustrando loco adest alter Ezechielis Cap. 14. v. 16. *si fuerint*, inquit, *tres viri illi in medio ejus Noe, Daniel, Iob, ipsi in justitia sua liberabunt animas suas, sed terra vastabitur.* Non enim hic vivi distinguũtur à mortuis, Iob enim & Noe obdormiverunt, superstite tum temporis Daniele: Sed hæc Prophetæ mens est. Si viri illi justissimi resurgerent, & unà cum Daniele precibus & suppliciis pro salute populi apud Deum contenderent, hand aliud

reportaturos illos quam suam cujusque incolumitatem, sed populo qui cladi & ruinæ jam à Deo destinatus erat nihil profuturos.

Cæterum hic ipse Ieremiæ locus quo triumphant, causæ ipsorum incommodus est: Suppeditat enim nobis argumentum, *Si Moses & Samuel vita functi non orabant pro populo summa necessitate laboranti, sequitur mortuos non orare pro vivis.* Quis enim credat alicui sanctorum superesse curam viventium, si Moses amantissimus populi, cujus salutem sua pernicie redimere unus optabat, eam tam necessario tempore deposuerat. Sed respondeant tandem negligentissimi homines qua fronte defendant hanc sententiam cum ipsi eandam alia absurditate jugularunt. Ajunt enim patres ante peractam in cruce passionem Christi, mortem debellatam, & triumphatum infernum, in limbo coercitos, ad visionem Dei admissos non fuisse. O stuporem incredibilem! Potuerintne apud Deum aliorum saluti consulere, qui ipsi præsentia Dei & visionis beatificæ honore secluduntur? Sed victis non insulto.

Supereſt examinandus in Gen. 48. non difficilis locus. *Invocetur*, inquit Iacob, *super eos nomen meum, nomina quoque Abraham & Isaac.* Quo nihil aliud intelligi voluit Iacob, usitato Scripturæ loquendi modo, quam se nepotes suos ex Ioseph natos adoptare in filios ut sint & dicantur filii Iacob, non aliter ac si ex ipso geniti fuissent, nequis vel è matre Ægyptia, vel è patre Ægyptiorum alumno, degeneris aliquid illis accessisse sanguinis crederet. Sed occurrunt Pontificii, non hic agi de adoptione civili sed de cœlesti benedictione. Sane cum omnis felicitas posterorum Israelis in divini fœderis hæreditate consisteret, Iacobus in ipsa adoptione civili, fœderis ipsius successionem ad posteros transmittebat: cum enim à Iacobo essent adoptati, unà transiisse censendi sunt in illius familiam qui Iacobum ad spem & fruitionem æternæ gloriæ arrogaverat.

Sic Scripturæ præsidio dejecti, rationis se munimento tutos putant, ajunt enim interesse modestiæ & humilitatis nostræ ne statim in Dei conspectum oraturi prorumpamus, sed ut inferiores quosdam dignitatis proceres primò adeuntes, vota nostra & preces illis commendemus, ut eorum gratia conciliemur Deo. Et hunc quoque morem in aulis obtinere; ubi non statim à supplicibus ad Regẽ introrumpitur, sed Magnatum manu & voce preces & desideria civium principi porriguntur. Cui cavillationi respondeo. Humilitatem quidem & animi demissi obsequium omnibus

necessa-

neceſſarium eſſe qui Deum oraturi accedunt; faſtum vero, ſuperbiam, & elatum ſupercilium arceri limine cœleſtis Aulæ. Sed non inde ſequitur Sanctorum opera nobis utendum eſſe ad parandum & velut emercandum aditum. Deus enim conſtituit nobis ſui fœderis arbitrum Chriſtum Ieſum quo mediante tutus pateret ad gratiæ Tribunal ſupplicantibus acceſſus: hujus gratia & dignitate nos quanquam indigni, recipimur tamen, audimur, juvamur.

Nec eſt quod nos indignitas terreat, ſi modo nos indignos non ſimulatè profiteamur. Sicut enim ægrotus non ideo Medici fugit conſpectum, quia morbis ipſe & quidem fœdiſſimis ſcateat: ſic neque nobis timenda Dei facies quia fœda nos peccati lues depaſcitur, ſed ideo alacrius ad animarum noſtrarum Medicum Chriſtum Ieſum confugiendum eſt, qui languores ſanat, ulceribus medetur, & mentis ſcabitudinem omnem delet, præcipue vocatis. Vocat enim miſericors Medicus. *Venite ad me omnes* Matth. 11. verſ. 28. *Qui valent non opus habent Medico* Matth. 9. v. 12. Hæc eſt enim vera & non perſonata humilitas ingenuè fateri indignitatem noſtram tantam eſſe, ut nullis hominum dignitate & meritis, ſed ſolius Chriſti cuncta promerentis bonitate tegi poſſit.

At qui meritorum humanorum involucris amicti ad gratiam & miſericordiam Dei adrepunt, non Chriſtiani humilitate ad ſalutem, ſed Phariſæi ſuperbia ad ruinam properant. Ad aulæ regiæ ſimilitudinem non jam reſpondeo, quod impar & iniqua ſit divinarum humanarumque rerum comparatio, nec aliter accedendum eſſe in cœli palatium, nec aliter invocandum Dei auxilium quam quo modo nobis ipſe cœli Dominus legem tulit: hoc tamen dicam, in ipſis principum Aulis ſi Rex edixerit ne per alium quam hunc illumve ſibi fidum dilectumque Magnatem adeatur, omnes aliorum alios aditus rimantium conatus & labores vanos irritos & illegitimos eſſe. Quare cum Magnus ille Rex æternitatis & gloriæ, Chriſtum Ieſum conſtituerit Mediatorem unum & ſolum fœderis arbitrum, inſanæ impietatis eſt alios nobis patronos circumſpicere, quorum ope & gratia accedamus in conſpectum clementiſſimi Regis.

Infinitum foret omnia proferre quibus invocatio ſanctorum exſibilatur. Ergo memores inſtituti, litemus brevitati, relictoque Diaboli nefario commento latriam ſimul & douliam, quas ſibi ſoli ſuæque gloriæ Deus aſſeruit Matth. 4. eidem lubentibus animis & devoto pectore præſtemus, calcemuſque viam illam quam magni illi viri Patriarchæ, Prophetæ & Apoſtoli inſtiterunt, quæ,

per Christum ambagibus omissis, rectâ ducit ad Deum; quæ vestigia si persequamur, dextro sydere viam affectabimus in cœlos, dum falsi præstigiis Pontificii & fallentes, inter abrupta confragosaque, deviis erroribus fatigati per ærumnas & incommoda fatiscunt.

Sed tempus est Imaginum adorationem, freti divinæ jussionis authoritate, exigamus. Deus enim, ut animos hominum pronos in superstitionem, ab impietate tam execrabili deterreret, ipse tonitrui voce cavet edicto: *Ne quis sculptile sibi faciat, neque similitudinem eorum quæ supra sunt in cœlis, nec eorum quæ sunt in terris infra, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra, ne quis adoret ea, neque colat.* Et Moyses ille fidelis œconomus in domo Dei, seriò populum monet, Deut. 4. ut ab illa contagione sibi caveant: *Custodite igitur sollicitè,* inquit, *animas vestras, (non vidistis aliquam similitudinem in die quo locutus est vobis Dominus in Horeb, de medio ignis) ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem.* Et Deut. 12. *Dissipate aras eorum, & confringite statuas, lucos igne comburite, & Idola comminuite, disperdite nomen illarum de locis illis. Non facies ita Domino Deo tuo.* Et ibidem vers. 11. *Cave ne requiras cæremonias earum, dicens, sicut coluerunt gentes deos suos, ita & ego colam: Non facies similiter Domino Deo tuo.* Nec Apostoli minore diligentia populares Christianæ religionis admonuêre. *Filioli,* dicit Iohannes 1 Epist. cap. 5. *Cavete vobis ab Idolis. Ne estote Idolatræ,* clamat ad Corinth. pius ille zelota Paulus, 1 Epist. cap. 10. *Sicut quidam eorum. Dilecti mei fugite ab Idolis.* Quæ monita, quanquam præcipites ad Idololatriam animos sufflaminare potuissent, nisi voluntariis studiis & conatu Pontificii suam in se perniciem irritarent.

Imo nè lege, quâ cultus Idolorum vetatur, animi vellerentur, eam è decalogo sacrilega temeritate dispunxere, consarcinatoque centone detritissimæ distinctionis, flagitia sua tegere conati sunt. Ajunt enim Ethnicarum Imaginum adorationem lege divina prohiberi, Christianarum vero minimè, sed ipsa se produnt vitia studio latendi. Deus enim non modo vetuit Iovem & Mercurium, factasve in formam illorum statuas, honore divino coli, sed populum suum ab Ethnici cultus imitatione deterruit, imaginemque sibi vel statuam poni vetat, cum ait: *Non facies similiter Deo tuo:* Licuisset idem deprehensis in scelere Iudæis ad sui discriminis excusationem attulisse, non Ethnicas à sese statuas, sed Iudaicas coli. Verùm alia mens legislatoris, alia quoque mandati sententia

tentia fuerat. Non inquit Apollinem aut Mercurium coli veto, sed mihi statuam poni nolo, fictamque in mei similitudinem imagunculam detestor, cultum meum ab inquinamentis illis intactũ volo, gentium odi profanos ritus, & à meis sacris arceo.

Moyses etiam cùm rerum memoriam in Horebo monte gestarum, in concione populi renovaret, illic quippe nullam oculis imaginem apparuisse, ne phænomenis ullis ad fabricam statuarum abuterentur, haudquaquam de Diis gentium egisse, verum hoc inculcasse populo putandus est. Ideo Deum ab oculis omnium ibi rerum divinarum imagines removisse, ne qua daretur inclinantibus ad superstitionem occasio, quâ vel ad fabricam, vel ad cultum imaginum invitarentur.

Nec ideo Deo purgati sunt, quod dicunt se non adorare statuas & imagines tanquam Deum. Idem quoque prætextum impietati suæ Pagani sumpserant; sed inclinare se statuis edicto Dei vetitum est, nam cultus & inclinatio cùm paris ejusdemque naturæ sint, à Deo pariter prohibentur. Qua de re dubitare nequeunt, qui Deum *Eliæ* loquentem in historia Regum 1. Chron. 19. audiverunt. Illic enim cum veræ fidei doctrinæque mancipes describere vellet, eos hoc elogio insignivit, *Quod genu non flexerint coram Baal.* Et cui bono tandem imaginum cultus? Vt harum, ajunt, adminiculo sublevemur ad Deum. Sed quid cœlestis ad hæc Magister? *Veri*, dicit, *adoratores adorabunt Patrem spiritu ac veritate.* Non statuarum igitur & Imaginum pompa, quam domo sua Deus ejecit, sed animi simplicitate & puritate cordis, quod ædis divinæ solum relictum est ornamentum. Recisis itaque Pseudo-Catholicorum exitiabilibus doctrinis, quæ regium Christi officium Primatu Papæ, Sacerdotale sacrificio Missæ, natisque mille nis è Missâ diris, non obscurarunt modo, sed aboleverunt; consequens est ut illa quoque dogmata amputemus, quæ propheticum Salvatoris officium tam ignominiosè violarunt. Nam quid est si non hæc contumelia est, Christum Iesum datum nobis à Deo Prophetam, Pontificem nostræ professionis, in administranda domo suâ, familiaque erudienda Moyse fideliorem, insimulare indiligentiæ, quasi non omnia quæ sunt ex usu nostro ad salutem consequendam in sacris litteris suppeditasset? Ita fit ab importunissimis Aristarchis; qui Scripturam imperfectionis damnare veriti non sunt, cum tamen plurimis in locis cum veteri tum novo fœdere Scripturarum sufficientissima perfectio & ἀυτοπεχία indubitatis testimoniis confirmetur, in quibus ordi-

nem ducit illa divi Iohannis cap. 20. v. ultimo, testificatio. *Hæc scripta sunt ut credatis Iesum esse Christum filium Dei, & credentes vitam habeatis per nomen ejus.* unde manifestum est, in scripturis omnia reperiri, quæ ad promovendam salutem necessaria sunt; tum enim plena perfectaque fides vitæque æternæ conciliatrix è Scripturis ingeneretur, perfectissimæ quoque scripturæ & quibus nihil omnino desit, judicandæ sunt. Nec quenquam movere debet illa Pontificiorum responsio: Divum Iohannem scilicet hoc in loco de miraculis à Christo factis sermonem instituere, quorum insolita virtute & efficacia vel invitis persuaderi posset Christum esse Messiam. Quamvis enim ante de miraculis locutum Euangelistam non inficiemur, attamen ea quæ subjungit, ad doctrinam magis quam miracula, pertinere certissimum est: Miraculorum quippe ἐνεργείᾳ non propriè fides ingeneratur, sed genita fulcitur & sustentatur; præbentque scripturis miracula auxiliares operas doctrinamque faciunt robustiorem: Hic autem cum totius Euangelij finis indicetur qui in concilianda nobis per fidem æternitate versatur, omnino de scripturis non de Miraculis hoc Iohannis pronuntiatum accipiendum est, cui sententiæ nostræ sanissimi quoque Pontificiorum Commentatores astipulantur.

Sed mussantes audio non hanc divi Iohannis esse mentem, quasi solæ scripturæ sufficiant ad salutem, sed eas ad hoc tantum, sicut & alia multa, institutas esse, ut credamus, vivamusque. Verum in pudendo versantur errore dum scripturam inter media numerant adipiscendæ salutis, cum non aliud à Deo præter illam medium nobis datum est: Hoc enim medio & quidem solo perfecta fides producitur, unde consequens est & integrum & perfectum & numeris omnibus absolutum, id esse medium quo salvifica fides ingeneratur. Sed hujus argumenti robur si Syllogisticarum legum non pænitet, arctiori vinculo stringamus.

Quodcunque ad salutem necessarium est, in eo vertitur, ut Iesum esse Christum Dei filium credamus.

Sed quodcunque ad faciendam hanc fidem necessarium est, in Scripturis continetur.

Ergo iisdem Scripturis comprehenditur quodcunque ad Salutem necessarium est.

Qua neque major neque plenior perfectio cogitari potest. Sed nondum obmutuit illa pertinax controvertendi libido.

Ajunt enim Iohannem hoc in loco de rebus à se scriptis traditisque solum loqui, quæ si sufficere ad salutem & vitam videantur,

tur, ſupervacua & inutilis erit aliarum Scripturarum coacervatio. Sed hujus delirii vanitas haud magno ſanè conatu diſſlanda eſt. Quid enim? Si ſcripta divi Iohannis ad fidem ſalutemque ſufficiunt, nonne tota Scripturarum compages & Canon integer, abundantius id uberiuſque præſtabunt? Sed enimvero ſi ſaniorem huic loco interpretationem adhibuerimus, haud occultum erit, non de ſuo tantum libro, ſed omnibus ante ſcriptis divum Iohannem locutum eſſe: viderat enim aliorum ante ſe ſcripta, noviſſimuſque Euangeliſtarum ad cœleſtes has curas accinctus fuit; & quanquam ſubſecutis tempeſtatibus aliis, alii libri ſuperadditi ſint, haudquaquam tamen inde ſequitur, omnia ad Salutem neceſſaria non fuiſſe, tum cum ille ſcriberet perſcripta, quanquam inquiat, *Hæc ſcripta ſunt ut credatis Ieſum eſſe Chriſtum filium Dei.*

Hoc effatum enim non eo ſenſu intelligendum eſt quaſi ſine Scripturarum acceſſione quas Iohanni debet Eccleſia, nec via pateret nec aditus ad ſalutem aut vitam. Durante enim veteri fœdere, & ſalutis erat & vitæ fruitio, lectoribuſque veteris Teſtamenti patebat ad fidem & in cœlum introitus.

Sed adventante plenitudine temporum, expeditiori via, certioribuſq; ſemitis, & majore compendio commeari cœptum eſt in regnum cœlorum. Scripta Iohannis igitur ex Hypotheſi neceſſaria, ſicut & reliqua novi fœderis inſtrumenta, perhibemus: quia Deo viſum fuit hac tempeſtate clariorem exerere gentibus lucem, & apertioribus teſtimoniis peractam nobilitate redemptionem.

Sed quod in actis Apoſtol. cap. 1. v. 1. proditum eſt, agedum expendamus. *Primum quidem librum, ô Theophile, confeci de omnibus quæ cepit Ieſus & facere & docere*, inquit Lucas.

At quodcunque noſtra intereſt de Chriſto cognoſcere, dictis factiſque Meſſiæ continetur, quæ cum accuratè ſingula perſcripta ſint, dubium non eſt perfectas eſſe Scripturas & ad ſcientiam Chriſtiano neceſſariam ſufficientes. Sed Euangelii ſui initio dicit idem divus Lucas, *viſum eſt mihi omnia alte repetita penitus conſecuto ordine, de iis ad te ſcribere, præſtantiſſime Theophile, ut agnoſcas earum rerum quas auditione accepiſti, certam ſcientiam vel exploratam veritatem.*

Quanquam enim Theophilus Chriſtiana diſciplina imbutus, magnos in hac doctrina feciſſet progreſſus, attamen hoc ſibi Lucas negotii datum credidit, ut & ad ipſum & alios ea perſcriberet

quæ traditione aliorum & auditione acceperant. Cur autem ſcribendi viſa fuerit neceſſitas ipſe ſubjungit; *ut illarum ſcilicet rerum exploratam certamque veritatem agnoſceret*, quæ ſine Scripturarum ope nec certa dilucidave ſcientia poterant hauriri. Quocirca ſi Theophilus & eruditus antea & inſtitutus in Sacris, Scripturarum indiguit, ut earum auxilio ad certam ſcientiam perveniret, haud ultra dubitandum eſt quin omnia ſint accuratè perſcripta quæ vivâ voce primùm docuerunt Apoſtoli.

Cæterùm ex hoc loco longè manifeſtiſſimum eſt, majorem incumbere nobis tot ſæculorum intervallo ab aureâ Apoſtolorum ætate disjunctis Scripturæ neceſſitatem, cum ipſi Theophilo qui à loquentium Apoſtolorum ore pependerat, explorata veritas & certa ſcientia ſine Scripturis non obtingeret. Sed dicat aliquis. Num unus hic Lucas omnia perſcripſit? nequaquam. quid igitur? Num reliquorum ſcripta ſupervacua ſunt? nihil minus. verumtamen ſi vel Lucæ ſolum vel Matthæi Euangelium unicum nobis ſupereſſet id ad fidem vitamque ſufficere credendum foret: nec inde tamen inferre fas eſt ſupervacuum eſſe reliquorum cumulum librorum. Voluit enim non ab uno tantum, ſed à pluribus oracula ſua conſignari Deus, ut illarum rerum fides conſenſu plurium roboraretur, & unius obſcuritatem lux alterius diſcuteret, ut Chriſtianæ diſciplinæ nobis inſtituta non ad neceſſitatem modò, ſed abundantiam quoque ſupereſſent. Non igitur ſigillatim omnia, ſed præcipua quæque & maximè neceſſaria Chriſti dicta factaque (ſicut ipſi fatentur Romanenſes) perſcripſit Euangeliſta.

Verum quod ab initio probandum ſuſceperam ſartum tectumque manet, in toto ſcilicet Scripturarum corpore quidquid ad Salutē neceſſarium eſt contineri, cum vel in uno alterove codice præcipua quæque & maximè neceſſaria comprehendantur. Sed adeamus Tribunal divi Pauli, illiuſque de Scripturarum perfectione ſententiam ſcitemur: Sic enim Heros ille ad Timotheum 2 Tim. 3. v. 15. 16. 17. *A Puero ſacras literas noſti*, inquit, *quæ te poſſunt ſapientem reddere in ſalute per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Omnis Scriptura divinitus eſt inſpirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem, quæ eſt in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus.* Quæ labes igitur imperfectionis in Scriptura reliqua eſt, ſi per illam homines ad perfectionem evecti cunctis ad virtutem inſtrumentis locupletentur? cum enim tanta virtute & efficacia Scripturæ

turæ polleant, ut hominem in negotio Salutis ad perfectionem extollant, sanè Scripturis ipsis inniti, earumque amplecti perfectionem decet. Quid enim à Scriptura perfecti traditionum leves & inanes quisquilias sectemur? Sed reponat argutulus aliquis, Paulum de solis veteris Testamenti libris sermonem instituere. Quid tum? nihil inde causæ nostræ proficiscitur incommodi. Quanquam enim litigatori concedamus, (quod concedi tamen necesse non est) de toto canone non loqui Apostolum, immotum tamen hoc manebit, in veteris Testamenti canone plenam perfectamque doctrinam, Paulo judice, contineri. Quo nullum argumentum stabiliendæ veritati vel nervosius, vel efficacius excogitari potest.

Nam si sola veteris ævi Scriptura sapientem perfectumq; reddiderit hominem in Philosophia cœlesti, quanto major uberiorque virtus universæ cum novi tum veteris ævi Scripturæ, dum altera alteri explicandæ mutuas tradit operas, attribuenda est? Sed obstrepentes audiri video nugatores, qui nodum in scirpo quærunt & de vocula litigant; ajunt enim non *totam* sed *omnem* Scripturam ab Apostolo perfectione dotari, unde non *toti* modo Scripturæ sed *omni*, hoc est, singulis Scripturarum particulis, laudem eandem competere: ejusque assertionis manifestam rationem ab utilitate Scripturarum peti, quam *ad doctrinam, redargutionem, correctionem, institutionem* extendit Apostolus. Cæterum universam hanc utilitatem in Epistola Iohannis secunda, quæ tantum exigua Scripturæ particula est, contineri, utpote quæ doceat Christum esse filium Dei; quæ jam ingressos in mundum Antichristos redarguat; quæ socordiam & negligentiam eorum corrigat qui non attendunt sibi; quæ denique in dilectione mutua Christianos instituat. Vnde sicut ipsis commentum placet, unaquæque particula Canonis perfecta censenda est. Sed ineptiarum nec satietas est, nec finis.

Quid enim in tota scriptura pervulgatius est quam duarum vocum *omnis & totius* usus promiscuus? Hoc in infimis subselliis Tirunculi non nesciunt, & qui primoribus labiis Græca gustarunt irrident hoc nugamentum. Sic Matth. 3. 5. *Tota Iudæa totaque regio*, cum in Græco codice legitur *omnis*.

Quod ex innumeris prope locis solum adduxi, ne in re minimè dubia testimoniis utar non necessariis. Quapropter in hoc loco Pauli vindicandus est ille vocis usus qui cum mente Apostoli verbisque præcedentibus consonat. Satis enim ostendit de toto

corpore ſcripturarum ſe locutum eſſe, cum exercitatum in ſcripturis Timotheum prædicat, qui non unam alteramve particulam delibarat, ſed integram totamque ſcripturam frequenti lectione ſuam fecerat. Verum quod utilitatem ſacri codicis ab Apoſtolo decantatam in unica D. Iohannis Epiſtola conantur oſtendere, jejunæ diligentiæ eſt: Nullus enim huic interpretationi color eſt ſi non ante probaverint, in ſingulis ſingulorum librorum partibus & membris, has, quas modo diximus, utilitates contineri: Nec enim, ſi quædam in ſingulis forte libris omnem hanc utilitatem complexa reperiantur, idcirco dicendum eſt, quod *hominem Dei perficiant & ad omne bonum opus* inſtruant perfectè. Sed obloquentium compoſito murmure, veritati præſidium è D.Pauli citatis modo verbis petamus. affirmat enim *hominem Dei reddi ſapientem è Scripturis, & ad omne opus bonum perfectè inſtructum.* Quid ultra dubitamus? Sapientia enim perfectionem amplectitur & in ſe continet omnigenam ſcientiam, quæ cum è ſcripturis hauriri poſſit, quid expectationem noſtram aliò vertimus? cum ad perfectam abſolutamque ſcientiam ſcripturæ præſto ſint, quid fallacia & inania veritatis oracula è delubro Papæ petimus? *Scriptura* enim, inquit Apoſtolus, *eſt utilis.* Sed cui rei? conſummando ſalutis & beatitudinis negotio. Hæc enim *edocet veritatem, dedocet errores, virtutem inſerit, vitia corrigit:* cui nos obtemperando, cœleſti patriæ propius admovemur. Nec *utilis* tantum *Scriptura eſt, ſed utilis* ſufficienter: *hominem Dei namque perfectè reddit inſtructum.* Sed quis hic *homo Dei?* Miniſter & præco verbi: cui eum omnia ad ſui muneris apparatum & executionem neceſſaria à Scripturis perfectè ſuppeditentur, haud dubium eſt quin populo quem erudiendum illa ſuſcepit, ab iiſdem omnia quæ ad fidem requiruntur, abundantiſſimè perfectiſſimèque ſubminiſtrentur. Ergo cum neque paſtori neque gregi deſit quod ad perfectionem opus eſt, nihil equidem ſcripturis ipſis, quæ utrumque perficiunt, deeſſe cenſendum eſt.

Verum idem Apoſtolus, ut avida novitatis ingenia compeſcat, ſcripturarum perfectioni Corinthios jubet acquieſcere, monetque ut *diſcant ſupra id quod ſcriptum eſt non ſapere.* 1.Cor.4,v.6. Futilis enim & plena inaniis ſapientia eſt quæ ſupra perfectionem ipſam ſeſe ſatagit erigere. Sed poſt D.Pauli judicium haud abſurdum erit audire ſententiam Petri. *Habemus ſermonem propheticum* (inquit ille Epiſt.2.cap.1.v.19,) *cui rectè facitis quod attendatis ſicuti lucernæ ſplendenti in obſcuro loco, uſquedum dies illuceſcat & Lucifer*

Lucifer exoriatur in cordibus vestris: unde manifestum est in hac spissa mortalis ævi caligine non aliud nisi Scripturarum lumen nobis erectum, in quod oculos animi vitæque cursum dirigamus, nec alterius ullius speculæ lucernam in hoc pelago fluctuantibus respiciendum esse, donec discussis ignorantiæ tenebris mentes nostras augustissima sua luce & serenitate Deus ipse perfundit in cœlis. Nec alia desunt divinæ paginæ testimonia, quibus Scripturarum asseratur perfectio, traditionumque futilitas exsibiletur. Sic enim ipse Christus degeneros increpans Iudæos, *vos*, inquit, *irritum fecistis mandatum Dei per traditiones vestras*. Matth. 15. 6. Sic apud Marcum 17, 9. *Frustra me colunt*, inquit, *docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum*. Et Galatis ingenuè fatetur Paulus cap. 1. v. 14. *se*, priusquam è tenebris evocatus fuerit ad lucem Dei *fuisse æmulatorem Traditionum Seniorum*. Quibus Christi Paulique effatis quin damnatæ sint Traditiones quis sanæ mentis ambigat? Perfectæ igitur sunt Scripturæ. Nec inde desperatæ suæ causæ remedium sperent Pontificii, quod Traditiones alias antiquitate venerabiles, & à Mose Prophetisque relictas, nec Christi nec Apostolorum censura notatas: alias novitate spernendas, & ab impiis compositas, & à Christo rite damnatas comminiscuntur. Quis enim nisi mentiendi pertinax affirmare non erubescat ullas Israeli Traditiones à Mose vel Prophetis relictas fuisse, cum memoriæ illarum ne vestigium quidem extet in Scripturis? Porro autem quis appositus Traditionibus custos, cujus industria & diligentia ad posteros perennarent? Sane Sacerdotes his curis onerent necesse est. At illi præclari custodes, in Scripturam ipsam corrumpendi licentia fuerant debacchati: quanto magis igitur in Traditiones ipsas injurii fuisse putandi sunt? Sed hæc Traditionum μυστήρια ad quam cedò legis partem pertinuerunt? Num ad moralem? At illa quidem accuratissima explicatione in Decalogo cæterisque Prophetarum libris enucleata fuit. Ad cærimonialem igitur? non equidem: Nam in illo figurarum umbrarumque negotio nihil ad exactam accuratamque Scripturarum diligentiam deest. Ad Iudicialem autem legis partem, referri nullo modo possunt, utpote quæ reipublicæ statum, non fidei vel religionis arcana spectaret. Vnde fit, ut exclusæ à legibus Mosaicis traditiones, in solis fallentium mentientiumque linguis inhabitent.

Verumtamen dum nuperas & vanas Traditiones impietatis damnatas esse non negant; magnum inde rebus suis creari periculum non vident. Quid enim traditionum Papalium novitate

vel

vel vanitate putidius? Quid impietate portentosius in lucem prodiit? Sed hic mihi venia petenda est dum justus evaporat dolor; *Summa enim in sacrificio Missæ impietas, in cultu imaginum pernicies, in Sanctorum invocatione temeritas. Quid de negato Laicis in sancta cœna calice? Quid de purgatorio, satisfactionibus humanis, indulgentiis, peccato veniali, remissione peccati & retentione pœnæ: de primatu Pontificis, & in Regum Principumque Iura potestate temporali: de venia peccatorum infectorum; de liberandis ex igne purgatorio animulis loquar? Quid ignotas in Ecclesia linguas: Ministrorum cælibatum, remotos à lectione sacrorum codicum Laicos repetam?* Quarum omnium non modo vanitas, sed impietas magnum Christianæ rei incommodum attulit; dum à Scripturis alieniores, imperitorum animi in nugis acquiescant, quæ Deo exosæ multiplici errore Ecclesiam involvunt. Verum ad ea prævertam quæ Christus ipse Ioh. 5,39. velut edicto jubet. *Scrutamini Scripturas.* Cui bono? quia *vitam in iis habemus æternam: Beati enim qui scrutantur testimonia ejus.* Psal. 119. *Lex quippe Iehovæ integra est & sapientiam dat parvulis.* Psal. 19. 8. Quocirca cum æterna beatitudo sapientia & salus è Scriptura hauriantur, quomodo non illa perfecta censebitur, quæ tantis præmiorum opulentiis scatet? Cæterum si tam aurei tam divini fructus à veteris Testamenti cultoribus colligebantur, quanto majores illos uberioresque hac renovati sæculi fœlicitate colligi par est, postquam ad legis antiquam messem Euangelii nova sementis accessit? His autem *Scripturis* ad quarum nos *persecutationem* Christus vocat, *nec addi verbum nec tolli* jubet Moses, utpote sua natura perfectis, cunctaque complexis, quæ servirent adipiscendæ saluti. *Quod præcipio tibi* (inquit Deut. 12. v. ult.) *hoc tantum facito Domino, nec addas quicquam nec minuas.* Quare cum in ipsa Christianæ religionis infantia nihil addere licuerit antiquis scripturæ monumentis, intolerabilior hac tempestate Papistarum erit audacia, qui conjunctis & in unam consonantiam redactis Prophetarum & Apostolorum scriptis, quisquilias superingerunt Traditionum; Sed occurrunt Pontificij negantque Mosis hoc mandatum ad illa monumenta quæ conscripsit ipse, sed ad singula præcepta quæ vivâ voce tradiderat, extendi. Cui commento duplicem ut illis placet, substruunt rationem: prima est, quod hujus scilicet mandati tempore scriptura nondum exarata foret: altera, quod præceptis suis nec addi velit nec detrahi: inquit enim quod *præcipio* non autem quod *scribo*. Verum hujus mendacii sicut impudens, ita manifesta au-

ſta audacia eſt. Legimus enim Exod. 24. 4. quod *Moſes conſcripſerit omnia verba Iehovæ* ſecundo poſt relictum Ægyptum anno, hanc autem concionem è qua teſtimonium attulimus, anno poſt exitum quadrageſimo paucis ante obitum diebus, utpote qui ſub anni finem fato conceſſerit, habebat, cum jam ipſe Deuteronomii liber ſcriptis eſſet conſignatus. Sed quod è voce *præcipio* petunt præſidium, oppidò ridiculum eſt & imbecillum. Nam Ioſua (lib. Ioſ. cap. 1. v. 7.) *jubetur ea facere quæ Dominus præceperat.* Quid? ergone ſequitur hæc præcepta ſcriptis tradita non fuiſſe? nequaquam. Subjicitur enim *non diſcedat liber iſte ab ore tuo, ſed meditaberis in eo die ac nocte.* Sed muſſitant adhuc Pontificij, reſponſantque contumaciter: Deus (inquiunt) hiſce verbis mandatorum ſuorum corruptionem, mutilationemque diſtrictè vetuit, ſed præceptorum alias ex uſu populi addendorum obſervationem non prohibuit. Nugarum Patres, quorſum hæc tandem evadet ineptiendi libido? Nonne perfectum illud & omnibus numeris abſolutum eſt cui nihil addi poteſt? Atqui talis, Deo judice ſtante veteri fœdere, ſcriptura fuit. Sed hic interrogant Romanenſes, cur prophetæ & Apoſtoli ſcripturæ jam antea perfectæ tam multa ſuperaddiderunt. Audite ô boni: Par erat Apoſtolorum cum Moyſe authoritas: nec illi novorum additione librorum ſcripto Dei verbo novi quicquam aggeſſerunt.

Duo namque in ſcripto Dei verbo animadvertenda ſunt. Ipſa ſcilicet doctrinæ ſumma, & ejuſdem doctrinæ enucleatior explicatio. Ac ſummæ quidem cæleſtium doctrinarum nihil ab Apoſtolis & Prophetis ſuperadditum fuit. Conſtans enim ab initio & in æternum perennatura eſt religionis diſciplina. Sed umbrarum figurarumque elucidationi facem alius alii tradidit. Sic Moyſi lucem fœnerantur Prophetæ, Prophetis Apoſtoli. Sed nec hi nec illi novitatem ullam veteri diſciplinæ inſeruerunt. Vtrobique enim doctrinæ ſuæ veritatem Apoſtoli teſtimonio veteris Teſtamenti ſtabiliunt. Sed nobis in hoc ſtadio diutius adhuc ſudandum eſt. Quid enim ſi Moyſes, ſi Prophetæ, ſi legiſlator ipſe cæleſtis, Salvator Chriſtus, ſi diſciplinæ Chriſtianæ mancipes Apoſtoli, doctrinam ſuam è ſcripturis ubiq; è traditionibus nuſquam aſſeruerunt, nonne magnum & invictum eſt abſolutiſſimæ ſcripturarum perfectionis argumentum? Sic enim Moyſes Deut. 31. v. 12 ſcriptam populo legem recitari jubet. Sic Iſraelitas hortatur Ioſua cap. 23. v. 6. ut illa mandata exequantur quæ lege præſcripta ſint. Sic imperante Ioſia rege principum optimo, ſe jure-

jurando

jurando populus ad ſcriptæ legis obſervationem adegit. Quam docendi rationem ſecuti Prophetæ Moyſen ubique & ſcriptas ab eo leges inculcant populo: cui poſt longam quoque captivitatem & exilium reduci legis Moſaicæ cultus, & in ea perſcripta religio mandantur. Nehem. 8. ſic Chriſtus ipſe, *Scrutamini Scripturas* inquit Ioh. 5. & Luc. 16. *Habent Moſen & Prophetas*, ait, *audiant illos*, & Matth. 22. *Erratis neſcientes Scripturas*. & Luc. 24. v. 27. *& exorſus à Moyſe & omnibus Prophetis interpretabatur illis, in omnibus Scripturis, quæ de ipſo ſcripta erant*. Nullis hic Prophetarum traditionibus, ſed ſcriptis, à cæleſti doctore populus eruditur. Quæ ratio ſicut in Prophetis evaluit, ut ſalutarem Dei diſciplinam ſcriptis conſignarent, ſic eandem in Apoſtolis eviguiſſe qui pari cum Prophetis labore finem eundem & effectum teſtinabant, veritate ſubnixum eſt irrefutabili. Sed Apoſtolos ipſos è ſcripta lege doctrinæ ſuæ petentes robur & ſtabilimentum intueamur. Sic maximus ille Paulus, Actor. 26. v. 22. *Nihil* ſibi dicendum putat *extra ea quæ Moyſes & Prophetæ futura prædixerant*. Sic Act. 28. v. 23. *Populo perſuadet quæ de Chriſto Ieſu ſunt, ex lege Moyſis & Prophetis à mane uſque ad veſperam*. Sic Apollos, redarguit Iudæos, & ope Scripturarum evincit *Ieſum eſſe Chriſtum*. Act. 18. 28. Itaque cum Apoſtolos Euangelii præcones, diſſeminandæ religioni tradendæq; Chriſtianæ diſciplinæ deſtinatos, *omne Dei Conſilium* Act. 20. 27. ſemper è ſcripta lege, nuſquam è traditionum involucris annuntiaſſe manifeſtum eſt, haud dubium erit eandem quoque nobis docendi rationem propoſitam, totumque traditionum nugaciſſimarum apparatum ab Eccleſia Dei exterminandum eſſe.

Sed aliqua Pauli loca pertractemus diligentius. Etiamſi inquit Gal. 1. v. 8. 9. *Nos, aut Angelus è cælo, annuntiaverit vobis præter id quod annuntiavimus, Anathema eſto. Si quis annuntiaverit vobis præter id quod accepiſtis, Anathema eſto*. Cum enim curia cœleſtis veluti tonitrui voce caverit edicto ne quid annuntiatæ jam ante doctrinæ novum aliquid à curioſis aſtruatur; quid infrunitis his Romanenſibus futurum eſt, qui Scripturis ut mendicis & perfectionis egenis Traditionum ſuarum pannucias aſſuerunt? Sed illi vim edicti ſolitis fraudibus eludunt. Ajunt enim, hujus interminationis ſententiam non de verbo Dei ſcripto tantum, ſed & de non ſcripto, vivaque voce tradito, accipiendam eſſe. O impudentem pertinaciam! Illos enim diris devovet Apoſtolus, qui Dei verbo à ſe annuntiato aliud ſuperannuntiaverint: hoc autem

autem Dei verbum ſcripturis omne totumque contineri, coram Prætore Feſto Paulus ipſe confitetur. Act.26.v.22.23. ſuoque Berœenſes exemplo, Act.17. 10. Pauli doctrinam ſcripturarum examine probantes, abunde confirmant. Cavillantur inſuper in voce *præter*, eamque valere volunt idem quod *contra*: quaſi Paulus in illos temeratores fulmen ſuum jaculetur, qui *contra* non qui *præter* oracula Dei ſcriptis ſignata, novum aliquid adferant. Nam ni ita res haberet, inquiunt, ſuo ſe telo Paulus indueret; utpote qui poſt hanc editam in Novatores ſententiam, alia multa cum voce tum ſtilo publicaverit. Inepta garrulitas. Nihil enim Apoſtolus poſt hanc Epiſtolam novum, nihil aliud, nihil diverſum, nihil *præter* id quod annuntiaverat, attulit: nec aliud, ſed alios eadem, diverſis in locis pro peregrinationis ſuæ neceſſitate, docuit, & Euangelium quod unum & idem eſt ſui natura, uno quoque & eodem modo annuntiavit. Sed obmurmurant, Apoſtolum hîc in rituum legalium patronos ſtilum acuere, qui non *præter* Euangelium ſed *contra* ſententiæ ſuæ furorem aſſerebant. Sane non hic tantum Paulus agit ut legalium ceremoniarum Advocatos protelet; ſed Galatarum aures quibuſvis novatorum incantationibus obſtruere ſatagit, ideoque teſtatur ſe totum iis perfectumque Dei Euangelium tradidiſſe, cui ſine impia temeritate & arroganria nihil à quoquam addi debeat aut affingi, nec illos modo vindicem iram mereri qui *contra* ſed qui *præter* Euangelium aperte nuntiatum, & numeris omnibus abſolutum, novum, & diverſum & aliud Chriſtianis inſinuant. Subjungit enim verba luce clariora *Euangelium quidem*, aliud non eſſe. Sed impoſtores tamen hoc enixe operam dare, ut avulſos fundationibus ſuis Galatas, *ad aliud* tranſducant. Vnde patet non eo nomine damnari novatores illos quod *aliud Euangelium contra* Pauli doctrinam, ſed quod errores & corruptelas *præter* cœleſtem hanc diſciplinam in Eccleſia diſſeminaverant. Cæterum qui *præter* veritatem ſuis indulgere nugamentis ſoliti ſunt, *contra* veritatem quin graviſſimè delinquant extra controverſiam eſt, ſi modo ſua deliria veluti neceſſaria ad Salutem dogmata Eccleſiæ obtrudunt. Cur autem à voce *contra* veluti conſultò Paulus abſtineat, ratio in promptu eſt: ne ſcilicet inficiatione juvarentur novatores, quibus illa facilis fuiſſet negatio, ſe quicquam *contra* doctrinam Apoſtoli ſtatuiſſe: proinde velut propoſito ſuo convenientiorem adhibuit vocem *præter*: hac enim doctrinam obſervatricem legis diſtrictè jugulat; cum enim *præter* id quod à ſemet acceperint, aſpernari cætera

Galatas

Galatas jubeat, apparet illicò fugiendos esse adulterinos doctores qui quicquam ab Apostolo non traditum sibi tradendum arrogabant.

Sed hoc Pauli Edicto defuncti; aliam ejusdem Apostoli, & quidem divinissimam audiamus sententiam. Gal. 3. v. 15. *Fratres, humano more loquor, hominis scilicet pactionem authoritate confirmatam nemo abrogat aut aliquid ei superaddit.* Novum ergo fœdus authoritate pactum divinâ, signatumque literis à sanctissimis hominibus & plenis præsenti Deo, nec hominum traditionibus profanari, nec Ecclesiæ Papisticæ deliriis illini; nec ineptis & non profuturis additamentis dehonestari, si modo viri simus, amplius patiemur.

Cæterum quæ Romanenses probandæ scripturarum imperfectioni, & quam impiè vocant, insufficientiæ protulerunt, haud magno sanè conatu diffiabimus. Ac primum quidem Sacrilegorum hoc argumentum est.

Vel totus Canon Scripturarum universim & simul sumptus in se sufficiens est; vel singuli per se libri eâdem sufficientiâ pollent.

At singuli non sufficiunt, quia singuli non continent omnia. Iohannes enim in Euangelio suo transiit indictam Annuntiationem, Nativitatem, Circumcisionem, Epiphaniam Domini, &c. Porro, quid pluribus opus foret si sufficiant singuli? totus autem Canon & universus sufficere nequit, quia multi verè sacri & canonici libri temporum injuria perierunt.

Ergo Scriptura qua vel universo Canone vel singulis hisce particulis continetur, & insufficiens & imperfecta est.

Sed hæc improborum Sophismata Dialecticorum ferulis castiganda remittimus. Vitiosum enim & artis indigens dilemma ὁμωνυμίας fallacia laborat in disjunctione. Sua namque canoni universo, sua singulis in Canone libris sufficientia est. Omnibus enim in rebus compositis ita comparatum est, ut alia totius, alia partium in toto sit sufficientia. Quare singulis in libris sua quidem & essentialis constat perfectio; totius autem Canonis abest illis perfectio & sufficientia utpote qui totum ut partes integrant & constituunt. Hinc negari non potest, singulos omnia non continere secundum totum in quantitate, quæ Canon integer continet & sumptus universim. Quis enim amens adeo & insensatus qui neget? At totum Canonem simul & integre sumptum insufficientiæ arguere, & teterrimi mendacij est, & intolerabilis impudentiæ. Iactum verò librorum Canonicorum quem jactitant,

& su-

& futilem esse & mendacem quis dubitet? Nec enim ullius illa momenti sunt quæ de monumentis Prophetæ Nathanis & Gadis de Ahiæ Solonitæ, & Iehedonis oraculis, de Salomonis Parabolis & Carminibus, de historia Bellorum Dei, de libris justorum, imo divi Pauli ad Laodicenses epistola commemorant. Nam qui libri Nathanis Gadisque nominibus insigniuntur, non alii a primo secundoque Samuelis judicandi sunt, utpote qui partiario labore mutuis operis à Nathane, Samuele, Gade perscripti sunt. Per Achiæ verò Solonitæ & Iehedonis oracula, significatur illa nobilis historia quæ primo Regum continetur. Salomonis autem & Parabolæ & Carmina exercendo ingenio elaborata, non cultui divino & religioni perscripta fuisse nemo sanus dubitaverit. Sicut enim non omnia Tabellionum scripta & adversaria, sed ea tantum quæ ratione publici muneris exaraverint, Authentica ducimus, ita neque singula Salomonis monumenta quæ sæculorum omnium ingenio doctrinaque princeps conscripsit, Canonica ducenda sunt: Sed ea tantum quæ dictante spiritu, moderante stilum Deo, ad institutionem Ecclesiæ & fidei disciplinam divinus amanuensis exaravit: Semper enim fuit eritque inter Scripta θεόπνευστα, & humanis elaborata ingeniis manifestum discrimen. Alioquin enim illa Davidis arte consuta & ternis epistola, qua Ioabo moriturum tradidit Vriam, inter inspirationis divinæ arcana connumeraretur. cujus adhuc impiæ sententiæ neminem hactenus audivi reum. Sic historia Bellorum Dei & authoritate & industria humana ad accuratiorem rerum militiæ gestarum cognitionem perscripta fuit. Sic liber ille *Justorum* ad uberiorem rerum forensium intellectum, Annalium modo consignatus fuit. Quod de Pauli Epistola ad Laodicenses data posteaque amissa garriunt, frigidius est Alpina nive non enim de scripta ad Laodicenses, sed de data ad se Laodiceæ epistola loquitur, quam rem linguæ Græcæ peritissimi viri jamdudum à Romanensium calumniis asseruerunt. Cæterum, dato nedum concesso Canonicos omnes fuisse quos illi perditos tam ambitiosè dolent, num proinde sequitur canonem imperfectum, vel Dei voluntatem majoribus nostris obscuram fuisse, vel nobis esse ambiguam? Absit ab animis nostris tam impiæ cogitationis scelus. Novimus enim ipsis statim Ecclesiæ natæ cunabulis, Dei voluntatem populo ad Salutem erudiendo Moysis opera fideliter traditam fuisse, cujus monumentis quanquam à subsecutis Dei Vatibus nihil additum foret, divinæ tamen voluntati ne tantillum defuisset. Moyses enim cultum

Dei universum expoſuerat qui à Prophetarum quaſi ſuccenturiantibus ſcriptis non perfectionem ſed lucem tantum & claritatem adeptus eſt. Nam quod figurarum umbris Moyſes obſcurius deliniaverat, veris illi & vivis coloribus expreſſerunt; nec novi quicquam ab illis additum, ſed vetus de Meſſia vaticinium Moſaicum recentioribus prædictionibus & roboratum & illuminatum fuit. Quare ſi vel omnium Prophetarum ſcripta deperiiſſent, ſalvis Moſaicis monumentis, Iſraelitæ nec ignari divinæ voluntatis, nec expertes dici potuiſſent. Quidquid enim literis illi mandarunt hoc totum Moyſaicæ doctrinæ conſonabat, quæ Dei voluntatem omninodam complectebatur. Qua in re, ſi divinis his & arduis negotiis humana aſſimilare meditamenta nefas non eſt, cura Mercatoris & induſtria, paritatis aliquid habere videatur, qua cœleſtem hanc in tradendis divinæ voluntatis monumentis rationem explicemus. Fingamus enim Mercatorem Inſtitori longius peregrinanti & parum diligenti plenas cura & prægnantes ſollicitudine literas frequentes & omnes eâdem ſententia mittere, ut homini non nimium diligenti, mens ſua ſaltem & ſententia ſuper ingenti negotio probe conſtare poſſit; putemuſque maximam harum partem male curatam periiſſe, num proinde judicabimus Inſtitorem dominicæ voluntatis, & herilis inſcium eſſe mandati? Nequaquam: cum enim plures eodem argumento redditæ ſint; nihil in aliarum jactura factum eſt incommodi vel detrimenti. Simili fere ratione, poſtquam familiæ ſuæ peregrinanti in terris cœleſtis herus voluntatem ſuam miniſterio Moyſis aperuiſſet, miſericordi oppido & clementi cura mortalium ſocordiæ negligentiæque ſubvenit, ſcripta ſcriptis ingeſſit, monitiones monitionibus acuit, obſcuris lucem, manifeſtis robur, vetuſtis novitatem adſtruxit. Si tamen è tot ſubſequentium Prophetarum Lucubrationibus, quæ traditam à Moyſe doctrinam interpretantur, quædam intercediſſent, haudquaquam dici poſſet, inde voluntatem Dei nobis occultam, vel eam ipſam ulla ſui parte, deminutam eſſe. Sed gratulemur potius divinæ clementiæ & noſtræ fœlicitati, quod cum paucioribus à magiſtris erudiri potuiſſemus, tot tantaque nobis ad quærendam ſalutem ſubſidia comparata ſint, poſtquam & Moyſis ænigmata & Prophetarum oracula perſpicuitas ſolvit Apoſtolorum, & Euangeliſtarum ſimplicitas irradiavit.

Sed aliud in nos telum vibrat illa fæx Romuli. Chriſtus, inquiunt Ioh. 16. v. 12. ſuos admonet Apoſtolos, *habere ſe multa quæ non poterant portare*, inde manifeſtum eſſe ſcilicet, haud omnia

perſcripta

perſcripta fuiſſe quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt. Quo telo, quanquam plumbeo, ne jugulent infirmos, ipſa Chriſti verba diligentius expendamus. *Multa habeo*, inquit Salvator, *quæ vobis dicam, ſed nunc nō poteſtis portare: at cum venerit Spiritus ille veritatis, deducet vos in omnem veritatem.* Quid inde colligat animus à religione rectè informatus? niſi cunctarum rerum quibus ad ſalutem opus, diſcuſſis ignorantiæ tenebris, inſtructiſſimos fuiſſe Apoſtolos, eoſque ſic inſtructos ſcientiam ſuam omnem aliis ad eadem ſacra vocandis cum voce tum ſcripto prodidiſſe. Cæterum omnigenam illam ſcientiam non ab ipſis ſtatim initiis, ſed evecto demum in ſuperna Chriſto ſancti Spiritus ignito miniſterio Apoſtolis contigiſſe. Conſequens autem quod hinc malitioſa cavillatione Romanenſes trahunt, ridiculum eſt & putidum. Quis enim niſi mente captus ita ratiocinetur? Apoſtoli, Chriſto nondum in cœlis reverſo, Secretorum divinorum & imperiti fuerunt & incapaces: ergo poſt reducem in ſuperna Chriſtum, & delapſa è cœlis in animos linguaſque dona, eadem ignorantia torpuerunt. Sane ratiocinandi genus illiberale & inſanum. Sed è quo loco fraudibus ſuis fucum quæſierunt, nos prorumpendæ falſitati machinam invenimus. Si namque Apoſtoli veritatem omnem à Sp. Sancto docti, doctrinam omnem ſaluti neceſſariam literis non prodiderunt, vel id noluiſſe, vel nequiviſſe, vel non debuiſſe putandi ſunt. Quod conſequens cum impietate ſua faſtidium moveat Chriſtianis auribus, Antecedens ipſum eadem inquinatum eſt labe temeritatis. Aſſumptionis autem manifeſta patet ratio. Quare Pontificiis incumbit neceſſitas ut alterutrum doceant: vel cauſam ipſam cur Apoſtoli quædam neceſſaria mandare literis, quædam ſilentio premere debuerint: vel ubi tandem Apoſtoli verbis diſertis fuerint teſtati, ſeſe neceſſaria multa ſtilo non attingere, certis de cauſis ſolique Deo notis & homini non curandis. Quod dum doceant, ſtabit argumenti noſtri intemerata concluſio. Verum hoc argumentum ingreſſis ultra pergendum eſt. Quod ſi enim ſcripturis omnia quæ Saluti neceſſaria ſunt non continerentur, abſurdum illico naſceretur intolerabile. Spiritum Sanctum ſcilicet in tradenda Eccleſiis ſcriptura finem ſuum haud aſſecutum fuiſſe, imo Apoſtolos qui ſæpius hoc affirmaverint, mendacii reos eſſe & vanitatis. Cujus conſequentiæ tanta fæditas eſt ut antecedentem ſubmoveat è cogitationibus bonorum. Cujus hypothetici connexi conſecutio ſua ſe luce probat. Nam cum Dei verbum eo fine literis mandatum fuerit, ut ab hominum

depravantium audacia remaneret intactum; ut memoriæ fidelium firmiori subsidio inniterentur; ut patatior esset in Ecclesiis doctrina & institutio. Luc. 1. Act. 1. v. 1. Phil. 3. 2. Petr. 1. 1 Ioh. 1. necessario sequitur, excedisse proposito sibi fine Spiritum Sanctũ, si non omnia quæ ad memoriam & disciplinam Ecclesiæ pertinent; publicis litteris, & monumentis consignata sint, Apostolosque toties scripturarum perfectionem asserere ausos. Ioh. 20. 4. 2. Tim. 2. 16. Gal. 1. 8. 9. Actor. 1. v. 1. 2. Pet. 1. injuriam intulisse veritati. At in re manifesta nolo probationibus abuti non necessariis.

Sed aliud ab arce Tarpeia fulmen in scripturas jaculantur. Paulus, ajunt, Thessalonicenses admonet ut *teneant traditiones quas edocti fuerant sive per Sermonem sive per Epistolam.* 2. Thess. 2. v. 15. Ergo non omnia quæ necessaria sunt ad salutem mandata literis fuisse serio triumphant. O cæcas hominum mentes! quasi non omnium sedulo docentium laudatissima foret constitutio, rem voce traditam & sic cito dilapsuram scriptis inculcare & penitus in animis infigere discentium? Vnde diligentissimus Ecclesiæ doctor Paulus arcana cœlestis sapientiæ in quæ concionando Thessalonicenses initiaverat, signatis tabulis repetit, penitiusque memoriis inserit discipulorum; probe conscius rem per aures demissam cito defluere nisi scripturarum veluti sepimento coercentur. Sed ad ipsa verba Pauli redeamus. *Sive per Sermonem, sive per Epistolam.* Et primo quidem quod particulam sive disjunctivam faciunt, oppidò falsi sunt: passim enim hæc geminata particula copulat potius quam disjungit: sic enim 1. Cor. 13. 8. *sive Prophetiæ abolebuntur, sive linguæ cessabunt:* Hoc est & prophetiæ & linguæ cessabunt & 1. Cor. 15. v. 11. *sive ego sive illi sic prædicamus: hoc est & ego & illi.* Sic ad Col. 1. 20. *Pacificans sive quæ in cœlis sunt; sive quæ in terris.* hoc est & cœlestia & terrena pace beavit. Quare Paulini quoque loci par sententia est: in illa doctrina persistite quam à me & concionante & scribente didicistis. Cujus autem cerebri est, ex hoc loco contendere, aliud scriptis aliud dictis ab Apostolo traditum fuisse? vel scripturas imperfectione mancas esse? Quid enim prohibet aut Paulum ipsum alio in loco, aut alium ex Apostolorum numero, si quid hic deest, alibi supplevisse? Non enim hoc ambigitur num Paulus in hac epistola cuncta perscripserit, sed num omnis & universa scriptura singula complectatur quæ nobis ad salutem necessaria judicavit Salvator. Verumtamen magni præceptoris hæc admonitio alios in usus

servire

ſervire debet. Nobis ſcilicet ab efficaciſſima concionantium Apoſtolorum voce tot ſæculorum ambitu disjunctis, Scripturis adhærendum arctius, cum Theſſalonicenſes viva voce inſtitutos earum ope indiguiſſe videamus. At aliud rurſus è Ieremia cap. 31. v. 31. 22. &c. monſtrum fabricantur. Si doctrina Euangelii, inquiunt, non *atramento, ſed Spiritu Dei, non lapideis tabulis, ſed cordibus inſcribenda fuerit*, è concionantium Apoſtolorum voce majus quam è ſcriptis petendum eſt præſidium. O prodigioſam injuriam! num ex hujus argumenti parte antecedenti conſequens tam abſurdum à ſobriis colligi potuiſſet? Nam neque magnus ille Dei interpres Ieremias, nec divinus ille lucis diſpenſator Paulus ideo de novi Teſtamenti libris ſtilo exaratis ſenſiſſe ſequius putandi ſunt, quia veteris novique fœderis enarrarunt diſcrimen: Sed admirati ſpiritus efficaciam & donorum cœleſtium paſſim in homines effuſorum ubertatem, quorum antè penuria laboratum fuerat & ſterilitate, ſermonem ſuum ut in majoris minoriſque comparatione fœlicitatis habitum reliquêre: Cujus ſi comparationis terminos egrediamur, millenis abſurditatibus prolapſi hauriemur. Illico namque ſequeretur neque legem piorum animis inſcriptam ſub veteri fœdere: nec remiſſa Iudæis fuiſſe peccata, cum earum demum promiſſionum compotem fore populum ſub novo fœdere teſtatur Deus.

Antecedentis igitur reſectis ineptiis conſequentis emergit abſurditas. Qualis enim hæc conſequentia eſt? doctrina legalis in tabulis exarata fuit; ergo diſciplina Euangelica mandari ſcriptis non debuit. Item Euangelium cordibus inſcriptum eſt, ergo tabulis inſcribi non oportuit. Faceſſant deliria. Sed aliud ecce Dialecticæ venenum; Poſita univerſali affirmata, negatam inferunt particularem. Sic enim illi, omnis Euangelii doctrina piorum animis à Deo inſcribitur: ergo quædam ad Euangelii doctrinam pertinentia, ab Apoſtolis omiſſa ſunt. Quod pus & ludibrium rectæ rationis etiam ab aurito Mida exſibilaretur.

Tandem ex Euangelio Iohannis arreptum caſu potius quam ingenio telum irrito conatu vibrant. *Præter illa quæ ſcripta ſunt alia multa fecit Ieſus, quæ ſi ſigillatim omnia ſcribantur ne mundus quidem caperet Libros.* Ergo non omnia, ſubjungunt homines naſuti, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem Apoſtoli ſcripſere. O furor! de miraculis Iohannes; Illi de doctrina fidei loquuntur. Multa Chriſti miracula, memoriam ſcilicet & numerum egreſſa, conſcripta non ſunt; Ergo ſalutaris omiſſa doctrinæ quam plurima capi-

ta, quid est quod dubitemus? Sed jam me pudet pigetque tot inceptiarum. Igitur suis ipsos telis petamus. *Multa quæ fecit Salvator scripta non sunt*, inquit Iohannes, *at ea quæ scripta sunt eo spectant ut credentes adipiscamur vitam æternam.* Igitur illa quæ scripta sunt, cum ad vitam æternam sufficiant, perfecta judicari debent, omnesque traditionum nugæ vel oblivione sepeliendæ, vel contemptu & irrisu ex æde Dei profligandæ sunt.

Sic asserta divini codicis perfectione refutanda supereſt atrox calumnia qua Scripturam velut ad salutem absolutè non necessariam dehonestarunt. Impudentis os argumenti tale est. *Si religio sub prima mundi infantia ab Adamo ad Moysen, sola traditione viguit, si deinceps post Christi tempora compluribus annis Scripturarum ope caruerunt Ecclesiæ, Scripturarum nec absoluta neque simplex erit necessitas.* Quod argumentum, ut omnis eorum fere ratiocinatio solet, ignoratione peccat Elenchi, nullamque thesi nostræ contrarietatem opponit hæc conclusio. Quanquam enim veritate sic jubente prædicemus verbum Dei revelatum ad salutem simpliciter esse necessarium, utpote causam & instrumentum beatitudinis, haud tamen asserimus ideo verbum hoc perscriptum fuisse, quod absque verbo nec docere nec tueri suam potuisset Deus Ecclesiam, si visum aliter fuisset divinæ providentiæ; omnem enim verbi necessitatem ex hypothesi statuimus, quia Deus ita voluit, ita decrevit, ita populum suum scripturis adstrinxit, ne quid in cultu sacro legitimum crederent, nisi quod cœlestibus hisce tabulis sanciretur. Cæterum majoris illius propositionis consequentia fallax est, nam præter Dialecticæ legis disciplinam, ex particulari conficitur. Non enim sequitur, si tunc; illa ætate; illa rerum conditione, scriptura necessaria non fuit, proinde nunquam, nec hodie quoque necessaria est. Porro autem in variis Ecclesiæ ætatibus, exemplorum longe disparem esse rationem quis dubitet? aliam enim ætas alia regiminis rationem desiderat. Itaque non pertinet ad curam nostram quibus olim institutis populum suum Legislator cælestis fuerit moderatus, sed quibus ille nos legibus adstrictos in regno suo vivere jusserit, nobis animadvertendum est. Quanquam igitur ab Adamo ad Moysen religio sine scriptura steterit, tamen subsequentium sæculorum Ecclesiam scripturarum observationi mancipavit. Ioh. 5. 39. 1. Tim. 4. 13. 2 Tim. 3. 14. 15. 16. 1 Petr. 1. 25. 2 Petr. 1. Nec leviter illa disparitas considerāda est, quod afflatu divino Prophetæ edocti, quam ab ore cœlesti doctrinam acceperant, viva voce populo tradiderint:

rint: quæ divina cum hodie ceſſet inſpiratio, nobis ille adipiſcendæ ſcientiæ modus tenendus eſt, quem Eccleſię ſuæ Deus reliquit. Aſſumptio vero vel ignorantia debilis, vel malitioſa eſt mendacio. Quis enim affirmet primitivas Eccleſias caruiſſe ſcripturis, cum veteris Teſtamenti probatiſſimos codices, & implicatas illis promiſſiones Euangelicas poſſiderent, quibus Apoſtoli cæterique religionis Chriſtianæ mancipes innitebantur. Vnde manifeſtum eſt omnem impudentiæ conatum in detrahenda ſcripturis cum perfectione tum neceſſitate, & futilem & inanem eſſe. Cæterum operæ pretium eſt arcanum illud penetrare, quod Pontificios ad judicii tam dementis injuriam commovit. Ac perſcrutantibus apertum evadet, ideo damnatam imperfectionis eſſe ſcripturam, ut traditionum nugamentis, & intemperantiſſimæ libidini quidlibet excogitandi, pateret aditus in Eccleſiam honeſtior, quæ tantis inventionum humanarum cumulis obruta jacet, ut vix ullum appareat inſtitutionis divinæ veſtigium. Verum ne parum hoc ad contumeliam videretur, è manibus & oculis hominum ſcripturam ſurripuerunt, ejuſque lectionem graviſſimis pœnis propoſitis interdixêre, qua injuria nec atrocior ulla nec immanior eſt. nec enim major vis cogitari poteſt quam id hominibus per nefas eripere quod à liberalitate divina donum optimo jure tenent, vel pœna mortales & cruciatu ab ejuſcemodi deterrere officiis, ad quæ Dei invitamentis imo Edictis obligamur. Legendam enim Laicis Scripturam propoſuit Deus, imo edixit cum in veteri fœdere. Deut. 17. v. 18. 19. 20. Ioſ. 1. v. 7. 8. & Deut. 5. v. 7. 8. 9. Deut. 6. 6. & Deut. 11. v. 18. 19. 20. tum in novo Ioh. 5. v. 39. Sic enim Chriſtus ipſe *ſcrutamini Scripturas.* Sic Divus Paulus Coloſ. 3. v. 16. *Sermo Chriſti inhabitet in vobis copioſe cum ſapientia.* Sermo autem Chriſti eſt in ſacra Scriptura comprehenſus. Sic idem Apoſtolus Corinthiorum non clerum modo, ſed laicos omnes alloquitur, *Non alia ſcribimus vobis quam quæ legitis aut etiam agnoſcitis.* Sic ad Epheſios *Deus per revelationē notum mihi fecit myſterium illud (Sicut antea ſcripſi paucis) ex quo perlecto poteſtis intelligere quæ ſit mea intelligentia.* Quare, cum in Paulinas epiſtolas, ubi multa tamen δυσνόητα & in perniciem flexilia Spiritus Sanctus Laicos admiſerit, aliorum ſane lectione librorum à Pontifice prohiberi non debent. Sed illi extra territorium ſuum jus dicenti impunè non paretur: Cum enim Scripturarum ignoratio magnam ſuppullulantibus in Eccleſia errorum & hæreſium malis herbis occaſionem præbeat, annitendum eſt ut devicta inſcitia, ſacer ille

populus & λαὸς Dei, intellectu Scripturæ peritiaque instruatur; præcipuè cum conatum illum adipiscendæ cœlestis hujus scientiæ, Spiritus Sanctus maximis laudibus cohonestaverit. Hinc Eunucho Æthiopi, maximis in Scripturam studiis incumbenti, præmium insperatum obtigit & longe opulentissimum. Hinc Beroœensium in omni posteritate decorabitur egregia sedulitas, *Quod iis qui erant Thessalonicæ fuerint generosiores & quotidie scrutantes Scripturas.* Actor. 17. 11. Et sanè cum omnium cujuscunq; tandem ordinis Laicorum officia, accuratissima diligentia in Scripturis edoceantur, quis tandem effrenatus furor Magistratum à recto imperio, subditos ab obsequio, maritum & uxorem ab officio conjugali, parentes & liberos à στοργῆ & obedientia, Dominum à moderatione, servum à fide & sedulitate (quorum omnium ratio è Scripturis optimè discitur) prohibebit? Quæ denique infernalis invidia est, beatitudinem, sapientiam, decus & gloriam populo Scripturarum diligenti velut in præmium propositam Psal. 1. Psal. 119. & Psal. 149. 9. Deut. 4. vers. 6. Apoc. 1. erepta fidelium manibus Scriptura, profligare ex Ecclesiis & damnate caligine? Quanta immanitas, viam à Salvatore nostro popularibus Ecclesiæ suæ, ad astra & beatitudinem apertam, submota Scripturæ luce quæ sola per mortalis ævi caliginem euntibus facem præfert, inviam facere & impermeabilem? Quam barbara denique crudelitas divini Testamenti tabulas, quibus Bonorum cœlestium hæredes scripti sumus, & in Dei filios adoptati, legitimis ereptas hæredibus abscondere? Sed nondum hic subsistit immanis barbaries, ideoque ne vel in sacris jejuni & veternosi audientium animi Scripturæ pascerentur alimento, lingua non intellecta celebrari sacra placuit depeculatoribus humanæ salutis, cum tamen expressis à Paulo verbis 2 Corinth. 14. peregrina in Ecclesia lingua, interpretatione non adhibita, tanquam inutilis imo noçitura prohibeatur.

Hactenus igitur illa brevitate, quæ libellum hunc decere visa est Ecclesiam Papanam officiorum Christi violatricem, neque *Catholicam*, nec *Apostolicam*, non ab humana ratione, sed è divinis Archivis depromtis argumentis, ingeniis haud aspernantibus veritatem ostendimus. Restat ut quod initio propositum est, testibus iisdem, eandem nec *Romanam* esse, qua gloria se jactat insolenter, evincamus. Quæ palma facilis erit acquisitu, si doctrinam à Divo Paulo traditam Ecclesiæ Romanæ, quæ tum cunctas fere gentes & fide & sanctitate superabat, cum novis & mustcis Papanæ Synagogæ

nagogæ dogmatibus, cui fides unà cum ſanctitate deperiit, æqua judicii rectitudine, neque ſtudio rixarum, ſed amore veritatis impulſi, comparemus. Hinc enim intuentibus manifeſtum evadet, quantum altera præſtet alteri, imo quam nihil in Papatu reliquum ſit, quo tanti nominis dignitatem ſibi vindicare poſſet. Imo conſtabit indagatori veritatis, quanta ſortitò tenebris obtigit & luci, tantam eſſe Romanæ Eccleſiæ cum Papatu concordiam. Sed antequam comparare Doctrinas aggrediamur, operæ pretium erit occaſionem quæ Paulum ad hanc ſcribendam Epiſtolam impulerit, indagari, ſummaque ejus faſtigia ſtrictim percurrere, ut & inde diſcrimen quod oſtendere nobis animus eſt, manifeſtiùs elucęſcat.

Par & eadem ferè cauſa quæ Paulum ſcribere Galatis impulit, & hoc ad Romanos alloquium provocavit. Iudæi complures ad fidem converſi, ſedibus ſuis ejecti duro in exilio ſparſim inter Gentes inquilini degebant, perſuaſi quanquam Euangelio parerent, cæremonias tamen rituſque Moſaicos nequaquam exuendos eſſe. Quæ præpoſtera Iudæorum credentium opinio, magnarum ſimultatum inter ipſos & Gentes, triſtiumque rixarum cauſa fuit, & fomes. Iudæi quadam inveteratâ privilegiorum ſuorum ſuperbiâ Gentes diſpiciebant, elatique dignitate, ſuæ gentis, cui credita fuerant eloquia Dei, magnificiſq; promiſſis poſteris Abrahami factis, ritus Moſaicæ legis velut ad juſtificationem utiles conducibileſque urgere non deſinebant.

E contra gentes inani quadam jactantiâ libertatem ſuam & immunem à jugo Moſaicæ legis cervicem oſtentantes, Iudæis tanquam mancipiis, & rejectis à Deo propudiis inſultabant. Quam mali moris & pernitioſi exempli controverſiam ut componeret Apoſtolus, hanc (quantum opinari fas eſt) Epiſtolam ad tumentes partium ſtudio Romanos dedit, cùm ut exulceratas pravâ contentione mentes ſanaret, ingeneraretque fidelibus ſobriam opinionem ſui & mutuam charitatem, tum ut imbecillos & vacillantes animos Euangelicam fidem plenius & accuratius edoceret.

Statim igitur ab ipſo limine divinâ quadam eloquentiæ gravitate contendit evincitque, neque Gentes ſapientiâ ſuâ, prudentiâque naturali, neque Iudæos ſuperſtitioſâ Moſaicæ legis obſervantiâ juſtitiam aſſecuturos eſſe, ſed utroſque merâ gratiâ meritiſque Chriſti per fidem juſtificari coram Deo: totamque de fidei juſtificatione doctrinam exemplis & authoritate ſacrarum litterarum

egregiè firmat & illustrat: Ac nè quis divino munere gratiæ ad licentiam & libidinem abutatur, ad vitæ novitatem, ad integritatem sanctitatemque morum, oratione gravi severâque fideles adhortatur.

Ad repudium Iudæis à Deo missum quod attinet, ita quidem se rem habere non abnegat, attamen ex eo Iudæos ad desperationem adigi, vel Gentes ad fastum & superbiam erigi vetat, quandoquidem Israeli quidem obduratio in pœnam cesserit infidelitatis, & quidem ex parte tantum donec plenus ille numerus Gentium introiret in septa Dei: interim Electos Iudæorum gratiæ participes esse & in eandem rejectaneos redire posse si exutâ infidelitate sanam mentem applicuerint Deo.

Contra Gentes mera quadam indulgentissimi patris clementia ascitos esse & adoptatos in familiam Dei, sed ea conditione, ut submissa animi sobrietate dignos sese præbeant tanta benignitate.

Cui disputationi subjicit admonitionem sanè gravem & seriam de retinenda colendaque mutua charitate, præscriptoque tandem libertatis Christianæ temperamento, ne vel gentes existimarent, se legum obsequio solutas, quidvis pro libidine circa res medias facere posse, quamvis cum gravissima fratrum Iudæorum aut infidelium offensione conjungeretur, vel contra Iudæi nimiâ teneritudine & imbecillitate cuncta Gentium facta ad offensam raperent, & ad scandalum interpretarentur, præfigens libertati Christianæ scopum *ædificationem*; regulam verò & normam quâ dirigatur, CHARITATEM & FIDEM. Sed hæc operosius prosequi supervacaneum est. Iam nunc comparare doctrinas incipiamus.

Paulus imitator Christi, cujus ad exemplum Ecclesiam erudivit, in ipso litterarum exordio, Christum asserit unicum esse filium Dei patris, secundùm naturam humanam genitum ex semine Davidis, eumque conceptum è Spiritu sancto, natumque ex Mariâ virgine, solum adorandum colendumque præcipit. At *Pseudo-Romani* cùm præter hunc innumeros sibi farrinaceos & siligineos in Missę sacrificio Christos fabricentur & adorent, *potissimum evertisse religionis columen & à Romanorum institutis defecisse judicandi sunt.*

Vers. 8. *Deo gratias agit per Iesum Christum*, & eâ disciplinâ, quam hauserat ab ipsa veritate, Romanos instituit, ut inconcussâ fiduciâ per Iesum Christum precaturi contenderent ad Deum.

Papa

Papa verò vicarius Averni, despecto contemptoque Christo, Sanctorum advocatione quærit aditum ad Patrem, & impiis Divorum Divarumque comprecationibus, *omnem Romanæ religionis & doctrinæ sanitatem ita corrupit, ut nihil ab illâ magis alienum esse possit, quam hoc hæreseos Papanæ valetudinarium*; v. verò 9. *Se servire Deo* dicit *in Spiritu*, innuens Deum omnino solum colendum & adorandum esse, sicuti Christus apud Matth. 4. 10. præcepit: *Dominum Deum tuum adorabis & ei soli servies*. Igitur si nulla creaturarum adoranda est, multo minus imaginē & statuam adorari convenit, quæ fabrili manu dedolata formam pro fingentis arbitrio accepit: si nec vivus quisquam præter Deum, minus ergo vitâ defunctus adorari debet. Sed Pseudo-Romani tantam imaginum & statuarum catervam in Ecclesiis consecrarunt, ut facilius sit in eorum imperio *Divum* quàm hominem reperire; quo exsecrabili cōmento cultum à Paulo soli Deo dicatum, dum saxorum & stipitum adoratione profanant, *ab eâ religione se prorsus alienos ostendunt, quam ab Apostolo Romani didicerunt*. Hoc eodem Pauli telo jugulatur etiam illa ridicula latriæ & douliæ, quam somniant distinctio: quia colere & servire semper in sacris idem significant. Rom. 7. 6. 12. 11. 16. 18. Col. 3. 14. Eph. 6. 7. Actor. 20. 29. Phil. 2. 22, &c. His enim omnibus & singulis sacrarum Tabularum testimoniis evictum est, horum vocabulorum differentiam re nullam esse, sed à fraudum artificibus invectam, qui cum succum omnem & sanitatem Romanæ religionis amiserint, fuco quodam & pigmento verborum eandem mentiuntur.

Vers. 13. precatur & optat, ut ab institutâ ad Romanos profectione *fructum aliquem habeat inter eos*; hâc enim mente peregrinationem secum agitabat, ut mutuo commercio commodum & utilitatem & incrementum fidei alter alterius augeret. Cui Paulinæ peregrinationi, cujus ipse Romanis exemplum dedit, *immane quantum distent Pseudo-Romanorum vagæ discursitationes, dum alii Hierosolymam, alii Romam*, alii alia in loca, superstitione cæci & væcordes ad exsolvenda coram saxo purpurato vota, ne quicquam interminante Deo, sine fructu itineris, sine laboris utilitate discurrunt.

Vers. 14. *Græcis & Barbaris, sapientibus & stultis debitorem se profitetur, ut prædicet*. Quod debitum bonâ quoque fide persolvit, omnibus enim Euangelii sacra perscripsit. Igitur si nulla gens tam barbara, tam hebetis ingenii, tam imbecilli judicii reperiatur, quam Euangelii participem facere vel dicendo, vel scribendo dedi-

dedignatus est, quomodo Pseudo-Romanis cum Paulo conveniet, qui Laicos omnes, ut illi vocant, lectione Scripturarum tanquam profanos arcent? sicut enim salutis Euangelium ad omnes perinde pertinet, ita sanctarum tabularum, in quibus illa salutaris doctrina continetur, omnibus potestatem fieri non divinâ modò jussione, sed & ipsa naturali æquitate cavetur. Sic lex Mosaica cùm in omnes pariter Israelitas extenderetur, ipsius etiam legis cognitio, nemine excluso, promiscuè permittebatur. Deut. 13. 12. *In hoc igitur religionis articulo quantum à Romana Ecclesia degenerarunt, res ipsa vociferatur.*

Ac eodem illo cap. vers. 17. *Iustus* (inquit Apostolus) *ex fide vivet*; quam doctrinam à Prophetis acceptam insuper in capite decimo versu decimo confirmat, cum ait, *Corde creditur ad justitiam.* Quocirca cum fide justificentur homines, qua fronte se Romanos venditabunt, qui vim salvificam sacramentis attribuunt? Baptizatis & credentibus, est promissa salvatio, non illis autem, qui Baptismum amplexi, rejiciunt fidem, emanat enim è fide justitia. Quapropter Abraham pater & stator ille Gentium, etiam ante Circumcisionis acceptũ sigillum, fidelis nominatur. cap. 4. ver. 11. erat autem hoc Iudęis Circumcisio, quod nobis hodiè Baptismus. Quid ad hoc, qui se Romanos volunt? *Scripturam non asseverare scilicet, ex sola fide victurum esse Iustum, propterea bonis operibus & sacramentis aditum omnem nondum præclusum esse.* Imò verò præclusum esse dubium non est, cùm Apostoli, tùm Prophetæ sententia: nihil enim hîc cum fide conjungit: Ille verò in negotio Iustificationis omnia à fide sejungit. Ait enim Rom. 3. ver. 28. *Hominem justificari absque operibus legis.* Et Rom. 4. 5. *ei qui non operatur, imputatur fides sua in justitiam:* Ergo qui credit justus est, propter ejus in quem credit imputatam sibi justitiam.

Imputatur autem Iustitia non ob sacramenta (tum enim è sacramentorum usu penderet Iustitia) sed fidem. Sic etiam Apost. Rom. 4. 6. *David pronuntiat Beatum eum hominem cui Deus imputat Iustitiam absque operibus.* Et ad Galatas, ubi copiosius hanc rem disputat, insigni effato quæstionem absolvit. *Iustificari* scilicet *hominem non aliter nisi per fidem,* Gal. 2. 16. Nihil potuit apertius. Si non nisi per fidem, tum fide solâ. Sed hoc Pseudo-Romanorum carcinoma, subsecuturis Epistolæ argumentis oportunius secabimus.

Verum ad ulteriora progressis vers. 22. &c. majores est inimi-

citias

citias animadvertere, majoremque discordiam. Paulus enim cum Gentium impietatem, secutaque sceleratos supplicia depingeret, eo væcordiæ dementiæque deventum esse dicit ab iis, qui prudentiæ opinione sibi blandiebantur, ut *Immutaverint gloriam incorruptibilis Dei in efformatam Imaginem corruptibilis hominis, & volucrium, & quadrupedum, & reptilium, coluerintque ac servierint rebus creatis, præterito Creatore qui est benedictus* in sæcula. Quæ flagitia religionis, Ecclesia Romana cum fuerit aspernata, quomodo poterit ullâ necessitudine; vel cognatione cum Papatu contineri, qui tantam fecerit in Dei dehonestamentis accessionem, ut Gentium impietas cum hodiernâ Papistarum superstitione collata, levis & tolerabilis possit videri.

Quis enim tam cæcus est, ut in delubris, in triviis, in compitis Papistarum non viderit hominum bestiarumque species collatas in Deum? sic Patrem in canâ barbâ, capite coronato, vestitu senili ſ ad vestibulum consecrarunt. Quibus adumbrati Dei lineamentis nihil ad habitum deest Peregrinantis; præter armatam baculo manum. Filium vero specie quadrupedis, Spiritum sanctum, aviculæ figura dedicarunt, ut essent simulacra quæ venerantes Deum ipsum se adire crederent. Qua scelerum atrocitate sicut ante Gentes iram cælestem irritaverunt, ita Papistæ flagitiorum eadem illa supplicia perpetiuntur, quibus expiari contumeliæ solent divinæ majestatis. Nam quis Italiæ morum tam imperitus est, ut eos eadem immanitate nesciat efferatos esse, quam in horrorem legentium ver. 26. 27. 28. Et æternam reorum infamiam, erumpentibus vi doloris acerbissimis querelis, enarravit Apostolus. *Taceant igitur Papistæ, nec Ecclesiæ Romanæ nomen aut dignitatem, postquam in Gentium feritatem degenerarunt, indecenti ridendaque vindicent adrogatione.*

CAPVT II.

ET hæc in primo capite principes inimicitiæ sunto, *quibus Ecclesia Romana Papatui repugnat & adversatur.* Nec in secundo concordia est. Statim enim ver. 5. *Duritiem* humani cordis increpat Apostolus *quod resipiscere nescit.* Quæ durities cum sit nihil aliud quam obstinata in improbitate pervicacia, quâ partim ex originali peccato, partim è peccandi consuetudine impiorum animi occalescunt, manifestum est quod cor hominis non renati, durum & pœnitere nescium, nec ad gratiam se præparare, nec meritoriè

ritoriè (ſicut illi barbariſant) diſponere, nec reſipiſcere, niſi mollitum & manu divina ſubactum ullo modo poſſit.

Non ſumus enim idonei ad cogitandum &c. Nec poteſt arbor mala bonos fructus ferre. Cui Romanæ religionis articulo tantum repugnant Pſeudo-Catholici ut arbitrii libertatem, naturalemque quandam virtutem ad reſipiſcendum, poteſtatemque promerendæ gratiæ in hominibus irregeneratis collocarint. ver. 22. Iudæos inquilinos Romæ, cum laudat tum caſtigat Apoſtolus: *Tu* inquiens *qui abominaris idola, ſacrilegium admittis?* quaſi dicat, Tu qui Dei mandatis hactenus obtemperas, ut imaginum & ſimulachrorum cultum, ut inviſum Deo deſpuis & execraris, alio te ſcelere polluis & contaminas? Vnde liquet Eccleſiæ Romanæ laudi datum fuiſſe, quod ſtatuarum ſculptilium fictarumque Imaginum cultum abominaretur.

Sed hæc quæ ſibi nomen Romanum arrogat in earundem cultu potiſſimam ſuæ religionis gloriam collocavit, hoc prætextu culpam diſſimulans quod non Idola, ſed Imagines & ſimulacra vivorum colat. Quaſi verò non eodem divinæ legis edicto fictarum imaginum & idolorum cultus, & ejuſmodi comminatione ſupplicii damnetur? Aut quaſi deſcriptio idolorum quæ Pſal. 116. depingitur, Pſeudo-Romanorum ſimulachris minus quàm Ethnicorũ conveniat? Et hinc igitur quantum à Romanâ religione Papatus diſſideat, intuentibus manifeſtum eſt, ver. 23.

Iudæos acrius objurgans, inquit, *qui de lege gloriaris, per legis tranſgreſſionem Deum dedecoras?* Hoc igitur dogma fuit Romanis traditum, legem eſſe normam obſequii noſtri, quo gloriam Dei quantum in nobis eſt, promovemus, noſque quoties ab hâc regula deflectimus, in obedientia noſtra & rebellione, Dei gloriam dedecorare: omnis enim legis tranſgreſſio in contemptum & contumeliam Legiſlatoris redit. Nec enim in alium à Deo finem creati ſumus, quàm ut obſequio mandatorum, mandantis honori conſuleremus. Quoties igitur illius imperio non obtemperamus, toties ab eo fine deſciſſimus in quem facti ſumus, & creati, pœnamque provocamus infeſti Iudicis, qui violatam contemptu negligentiaque gloriam ſuam acerbis ſuppliciis tandem ulciſcitur.

Sed quid ad hæc Pſeudo-Romani? *Vt omnem cum Romana religione conſenſum tollant, peccata quædam venialia conſtituerunt, hoc eſt, adeò leviuſcula, ut nec iram Dei nec ſupplicium mereantur.* Vos Romani, teque Dive Paule teſtor, Quid eſt ſi non hæc in Deum contumelia eſt? Num ulla Dei dedecoratio venialis eſt? Num pœna non adhæreſcet veſtigiis peccati, quo divina majeſtas dehoneſtatur?

neſtatur ? imò certè: vel enim ſerius vel ocius dedecorantem gravis manet exitus. Igitur cùm omnis divinæ legis tranſgreſſio, omniſque peccati labes, cedat in dehoneſtamentum gloriæ Dei, dubium non eſt quin & iram mereatur & mortem ; eoſque aliquando pæniteat impietatis, qui peccatis quæ gloriæ divinæ officiunt molliendo & extenuando patrocinati ſunt.

Ver. verò 25. *Circumciſio* (inquit Apoſtolus) *quidē prodeſt ſi legem ſervâris*. Et hic cōtra Romanos Papiſtis bellū eſt. Affirmant enim hi mendaciorum Patres, circumciſionem olim, ut hodiè Baptiſmum, actuali vi & potentiâ, remiſſionem peccatorum hominibus conciliaſſe, eoſdemque ab originali peccato, & omni labe impuritatis mundaſſe & liberaſſe, cùm tamen inſtruens Romanos Apoſtolus aſſeveret, *Si tranſgreſſor fueris legis, circumciſio tua facta eſt præputium* : id enim quod animam à peccato puram mundamque facit, à Deo laude decoratur, decoratur autem non carnis circumciſio, ſed animi ver. 29. quare manifeſtum eſt, quod & carnali circumciſione labes animi & maculæ non purgentur.

Peccatorum igitur remiſſio Sacramento non alligatur ; poteſt enim abſque Sacramentorum uſu, ſi Deus ita volet indulgeri: ſed Sacramentis ipſis à virtute & interiore potentiâ ſancti Spiritus, vis omnis & efficacia concilianda eſt: Nam ceſſante Spiritu, ſacramentum eſt inefficax. Sic igitur quod Spiritui ſancto Romani tribuebant, *Papiſtæ ſacramentis aſſignant*. Eodem cap. ver. 12. & 16. Docentur ab Apoſtolo Romani legis & Euangelii normâ ſimul homines & hominum opera judicari debere : quam judicii regulam ab Apoſtolo poſitam, obſervatam à Romanis, *Papiſtæ violarunt : rejectis enim his Iudicibus, ad Eccleſiam jus omne poteſtatemque judicandi tranſtulerunt*.

CAPVT III.

NVnc ad tertium properemus, ubi dicit Apoſtolus, ver. 2. *primarium fuiſſe Iudæorum privilegium, quod eis credita ſunt Eloquia Dei*. Quibus Apoſtoli verbis quantum inſit momentum, age conſideremus. Oracula Dei credita ſunt, inquit, Iudæis. Iudæi vero quorum ſingularis in conſervandis oraculis diligentia celebratur, Apocrypha, delitias Papiſtarum, nec hodiè recipiunt, nec olim receperunt. Quid ergo dicendum eſt ? vel Apocrypha non veniſſe in cenſum oraculorum Dei, vel Eccleſiam Iudæorum, expunctis Apocryphis, errore non mediocri contaminari. Vtrum horum

horum arripuerint Papistæ, noxam tamen haud effugient.

Nam si Iudæorum rebus adhuc integris, Apocrypha privata fuisse dicant existimatione Oraculorum, sed ea postmodo Papane Ecclesiæ judicio dignitatem suam recuperasse contendant, audaciæ crimen & temeritatis penes ipsos erit, qui divinis Oraculis ignobilia Scripta interserunt, quæ non à Deo authoritatem, sed humano judicio dignitatem sunt consecuta. Sed hanc plagam fugientibus accipienda erit gravior. Qui si libros, à Deo tantis affectos honoribus, ab aspernante Ecclesia Iudæorum rejectos fuisse dixerint, magnum afferent argumentum ignorantis & errantis Ecclesiæ, quam aliàs à nævis errorum & ignorantiæ maculis intactam, tantis clamoribus & hiatibus adseverarunt. *Sit igitur hæc, in tuendis Apocryphis Ecclesiæ Romanæ cum Papatu discordia.*

Vers. verò 12. Subjungit Apostolus, *omnes à Deo deflexisse, simul inutiles factos fuisse, non est*, inquit, *qui facit bonum quod est, non est usque ad unum.* Cum igitur ad unum omnes ab Apostolo peccatis obnoxii judicentur, quomodo doctrinæ Romanæ cum Papatu conveniet, ubi divina virgo Maria, quanquam beatitudine sexum omnem muliebrem superavit, & tot alii minorum gentium Divi Divæque tanquam intacti peccatis, errorumque puri celebrantur, *ubi vitæ integritas, innocentia, perfectio defenditur? Imo perfectionem supragressa puritas, quâ mandata legis non implentur modo, sed obedientia voluntaria, supererogationis operibus accumulatur?*

Nec intactum remanebit, quod à ver. 21. hujus capitis ad 29. Romanis inculcat Apostolus, quodque quarto, quintoque capite & repetit & monet. Ver. 21. *Nunc vero absque lege justitia Dei patefacta est, comprobata testimonio legis ac Prophetarum.* Ver. 22. *Iustitia inquam Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt, non enim est distinctio.* Ver. 23. *Omnes enim peccaverunt, ac deficiuntur gloriâ Dei.* Vers. 24. *Iustificantur autem gratis, id est, ejus gratiâ, per redemptionem factam in Iesu Christo.* Vers. 25. *Quem proposuit Deus ut esset placamentum per fidem in sanguine ipsius ad declarandum justitiam suam per remissionem præcedentium peccatorum.* Vers. 26. *Ex Dei tolerantiâ, ad declarandum justitiam suam præsenti tempore: ut sit ipse justus, & justificans eum qui est ex fide Iesu.* Vers. 27. *Ubi igitur gloriatio? exclusa est: per quam legem? operum? non: imo per legem fidei.* Ver. 28. *Colligimus igitur fide justificari hominem absque operibus legis.* Ver. 29. *An Iudæorum Deus solum? an non & Gentium? certè & Gentium.* Ver. 30. *Siquidem unus Deus est qui justificabit*

ficabit circumcisionem ex fide & præputium per fidem. E capite 4. ver. 4. *Atqui ei qui operatur, merces non imputatur ex gratiâ, sed ex debito.* Ver. 5. *Ei vero qui non operatur, sed credit in eum qui justificat impium, imputatur fides sua pro justitiâ.* Et capite quinto ver. 17. *Etenim si per unam offensam mors regnavit per unum, multò magis qui redundantem illam gratiam & donum justitiæ accipiunt, in vita regnabunt per unum Iesum Christum.* Et in capite 11. ver. 6. *Quod si per gratiam, non jam ex operibus: alioqui gratia jam non est gratia, sin ex operibus, jam non est gratia: alioquin opus jam non est opus.*

Hoc in capite Paulus invadens arcem causæ, veram justificationis rationem Romanis exponit. Hactenus enim negativâ demonstratione inculcavit, neque Gentes suâ sapientia, neque Iudæos observantia legis, justitiam consequi: nunc autem affirmativa enunciatione disertius affirmat, gratis omnes cessante natura & lege, sola Dei misericordia justificari. Hac enim conclusione, disjunctivæ ratiocinationis suæ discursum perficit & complectitur. *Nam aut fide, aut operibus, aut propria, aut aliena: aut inhærenti aut imputata; aut legali, aut Euangelica Iustitia sanctificamur: sed non operibus, non propria, non inhærenti, non legali: Igitur fide, igitur aliena, imputata, Euangelica, per Dei gratiam & Christi meritum Iustitia justificamur.* Hæc est ab Apostolo tradita Romanis doctrina, quam tot venenis infecêre Pseudo-Catholici, *ut omnem Romanæ sanitatis colorem perdiderit.*

Sed juvabit audire malè feriatorum ineptias quibus delirium suum tuentur. Si fides, inquiunt, sola justificat, tum id ipsum efficit sine charitate, timore, spe, cæterisque virtutibus quæ piorum esse censentur: At vera fides, ajunt, à virtutibus illis segregari disjungique nequit: Igitur & sola fides à virtutum illarum choro divulsa justificare non potest. Quod perinde ridiculum & ineptum est ac si dicant, si solæ aures audiunt, oculi soli vident, sola mens intelligit, idipsum etiam præstabunt officium, quanquam aures abscissæ, oculi effossi à capite separentur, & mens cerebro, phantasiâ, sensibusque & eorum organis destituatur.

Falsum igitur est & fallax consequens propositionis. Fingunt enim actum aliquem subjecti consistere posse destructo sublatoque subjecto: Iustificationem scilicet fidei, destructa fide: fides enim à charitate & virtutum societate avulsa, non viva sed mortua cadaverosa, denique non fides est: vera namque & vivâ fides, & quæ justificat, ea demum est, quæ calore & spiritu charitatis viget & efficax est. Quod autem sola fides, quanquam à cæteris

virtutibus non avulsa justificet, inde patet, quia fidei solius munus est & officium, promissa, oblataque beneficia apprehendere, totoque complexu ad se recipere, quod charitati, spei, timori, nec tribui potest, nec convenire. Est enim fides organon & manus animæ, qua Christum arripit & tenet. *Manifestum igitur est, quantum à Romana religione quæ salutem è mera gratia per fidem in Iesum Christum arcessit, commentitia Papistarum dogmata recessêre, quæ beatitudinem æternam è bonis operibus, ut è pumice latices eliciunt.*

CAPVT IIII.

His defuncti, quartum caput excutiamus, ubi Iustificationem è sola fide, non authoritate tantum Scripturæ, sed & Majorum exemplis Apostolus permunivit. Et quidem primum à Patre fidelium Abrahamo petitum est; qui cum non legali, sed imputatâ gratuitâque Iustitiâ justificatus sit, consequens est & filios Abrahami solâ fide justificari; Iustificatio namq; non nisi uno eodemque modo peragitur. *Quid igitur*, inquit, *dicemus patrem nostrum Abraham adeptum esse secundum carnem*, hoc est, quid illum meritis operum & tot egregiarum virtutum adeptum esse judicabimus? sane nihil; quicquid enim adeptus est id meræ Dei gratiæ in solidum acceptum retulit. Procul igitur Abrahamus & æmuli religionis Abrahamiticæ Romani, ab impudentiâ Papistarum aberant, qui expunctâ Dei gratiâ meritis suis utramque paginam implent.

Sed quod ver. 5. 6. & 7. cap. 4. recitat Apostolus, auscultationem meretur eorum, qui salutis avidi, partum à Christo beneficium, fraudibus humanis nec imminui neque tolli patiuntur. *Ei vero qui non operatur sed credit in eum qui justificat impium, imputatur fides sua pro justitiâ, sicut David pronuntiat, Beatum eum hominem cui Deus imputat justitiam absque operibus. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata. Beatus vir cui Dominus non imputaverit peccatum.* Quibus Apostoli verbis sanè perspicuis & disertis edocemur; Iustificationem nostram non in eo tantum versari quod peccata non imputentur, sed quod Christi justitia per fidem nobis imputetur. Et quomodo ea imputatur? ex meâ gratiâ, nam si nostra foret jure meritoque tribueretur. Et quibus? Impiis, hoc est, illis qui meritis operum justitiam non affectant.

Addit Apostolus ver. 7. *Beati quibus remissæ sunt legis transgressiones,*

siones, & quorum tecta sunt peccata; Beatus vir cui Deus non imputaverit peccatum. Si peccatorum igitur remissio beatitudinem præstat hominibus, quo schemate suam à Romanis Apostasiam excusabunt Papistæ, qui remissis condonatisque peccatis, obnoxias tamen cruciatuum suppliciis animas, ubi corporibus evolavêre, constituunt? nam beatitudo neque fingi potest, nec cogitari, dum scelerum pœnis urgentur inter exquisita dolorum tormenta. Miseros ergo Papistæ statuunt, quos & Apostolus, & Apostolicæ predes religionis Romani, beatissimos prædicabant. Imò Deum hominibus injustiorem & aspernantem faciunt æquitatis, utpote suppliciis exercentem animas miserorum ob peccata, quæ neque sunt, neque judicium timent, nec accusationem perhorrescunt, & quibus unicâ remissione oblitteratis, æternâ beatitudine fælices animæ convestiuntur.

Ver. 11. *signum accepit*, inquit Apostolus, *Circumcisionis quod obsignaret justitiam fidei quæ fuerat in præputio &c.* quibus apertè significat sacramentis ipsis à fide disjunctis nullam inesse vim & efficaciam, nec mera nudaque eorundem receptione gratiam ex opere operato recipientibus conferri. Fuit enim Abraham fide justificatus etiam tum cum præputium non posuerat, circumcisio igitur nullam efficacia sua gratiam in illum contulit, sed in eo gratiam quam ante liberalitate Domini receperat, stabilivit & confirmavit. Quæ doctrina verè Romana, Pseudo-Romanorũ commentis planè contraria est.

Sequitur ver. 23. *Non scriptum est autem propter eum solum quod hoc imputatum fuerit ei.* Ver. 24. *sed etiam propter nos &c.* Vnde liquet Pseudo-Romanos atrocem injuriam populo Dei facere, cui lectione sacrarum litterarum indixerunt: cum enim omnibus illis perscriptæ sint qui salutem à Christo quærunt, non sine detestabili scelere subduci ab illis possunt, quorum interest salutari illâ lectione fidem suam stabilire.

CAPVT V.

PErventum est ad Caput quintum, cujus hoc quasi caput est & fastigium. Eo nos justificari quo conscientia nostra, cum ad Deum suspicit; pace & tranquillitate perfunditur: hanc autem non à legis observantiâ, sed è fide in Christum animis nostris conciliari, ac proinde non à lege, sed à fide Iustificationem proficisci. Verum in hoc capite gravia rebellionis in Romanos Pseudo-

Catholicorum flagitia propius intuentibus aperientur. *Iuſtificati*, dicit Apoſtolus, *ex fide, pacem habemus apud Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Quod pacis è fide natæ ſtabilimentum, commentitiis ignis purgatorii machinationibus adeo fuit oppugnatum, ut nec ad odia, neque vim quicquam addi poſſe videretur.

Sed operæ-pretium eſt depictam hîc in imagine pugnam oculis perlegere, & illi parti victoriam adjudicare, à qua cum Apoſtolo ſtetere Romani. *Iuſtificatis ex fide*, dicit Apoſtolus, *pax eſt cum Deo.* Certum autem eſt unum eſſe diſcrimen morientium. Nam vel ex fide juſtificati concedunt naturæ, vel reatui peccatorum immoriuntur. Si juſtificati moriuntur inita cum Deo pace, cruciatu procul & tormentis, in æternam quietis & gaudii fruitionem Angelorum miniſterio ſubvehuntur.

Sin autem non impetrata Iuſtificatione vitam relinquant, ſineſpe veniæ remiſſioniſve peccatorum, ſuppliciis æternis ab irato Iudice mactantur. Sed Deum ita fæ difragum, & oſtentatam hominibus à Deo pacem ita ſubdolam & infidam Papiſtæ finxerunt, ut pace jam facta, nihilominus ut durantibus inimicitiis per omne pœnarum genus infælices animæ trahantur.

Verſu ſecundo, Chriſtus ut deprecator culpæ mortalium, & tanquam manu nos ad Dei gratiam protrahens depingitur: ſic enim graphicè Apoſtolus, *Per quem etiam fide habemus hunc aditum in gratiam hanc; per quam ſtamus & gloriamur ſub ſpe gloriæ Dei.* Quibus ille verbis duo ſtatuit. Chriſtum pro nobis deprecatorem eſſe, & per eum nobis aditum aperiri in gratiam Dei. Deinde nos in poſſeſſione illius gratiæ certos & ſecuros conſiſtere. Quod utrumque religionis Romanæ caput à novatoribus Papiſtis everſum eſt. Aliis enim deprecatoribus, Chriſto non contenti, parariſque utuntur, quorum interceſſione viam ſibi aperiant in cœlos, certitudinemque ſalutis & gratiæ tot ludibriis & contumeliis exagitarunt, ut neminem ſine miraculoſa revelatione ſalutis ſuæ ſecurum eſſe poſſe palam clamitent.

Verùm fuſis fugatiſque Papiſtarum rebellium copiis, latrocinantium cohibeamus audaciam, qui ſalutares in eodem capite doctrinas nefariis injuriis divexant. Dicit Apoſtolus ver. 5. *Charitas Dei effuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Quod idem octavo capite ver. 9. confirmavit. *Si quis Spiritum Chriſti non habet, is non eſt ejus.* Et ver. 15. *Accepiſtis Spiritum adoptionis, per quem clamatis Abba; & ille ipſe ſpiritus*

ſpiritus teſtatur unà cum noſtro Spiritu, nos eſſe filios Dei. Dei Spiritus ergo, quem fidelibus è cœlo promiſcuè dono miſſum affirmat Apoſtolus, interceptus à Papiſtis, & in vincula conjectus, à prædonibus illis, jejuni veternoſique cleri, factus eſt proprius, qui cum jure non poſſet, vi ſibi proprietatem adrogavit.

Sed eodem capite quantum diſcordiæ reſtet, animadvertamus. Ver. 6. dicit Apoſtolus, *Chriſtum cum nullis adhuc viribus eſſemus, pro impiis mortuum eſſe.* Et alibi. *Homines non regeneratos eſſe Servos peccati.* Et cap. 10. ver. 18. *Repletos impietate.* Et cap. 8. ver. 17. *Quod caro ſapit, inimicitiam eſſe adverſus Deum, Legi enim Dei non ſubjici: nam ne poſſe quidem.* Animalis igitur, ex Apoſtoli Romanorumque ſententia, nec adhuc regeneratus homo, facultate, viribus, omnique copia deſtitutus eſt, ut è ſemetipſo quicquam ad res ſpirituales cœleſteſque promoveat. Sed dementi Papiſtarum judicio, miſer & egenus ille, tantis opibus copiiſque potens eſſe decernitur, ut ipſum poſſit ad calculos vocare Deum, & de congruo mereri.

Ver. 12. *Sicut per unum hominem,* inquit Apoſtolus, *peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, ita in omnes homines tranſiit, in quo omnes peccarunt.* Si mors igitur per peccatum introiit, & infantes quos non animi judicium, ſed originalis illa labes peccatis involvit, obnoxii tamen morti reperiuntur, ſequitur omnium peccatorum eam eſſe naturam, ut ſupplicium mortis mereantur, & execrandum eſſe Pſeudo-Romanorum commentum quo venialia quædam (ut illi vocant) peccata excogitarunt. Nam quod peccatis venia facta ſit, non ab eorum naturâ, ſed Dei gratiâ miſericordiaque profectum eſt.

Subjungit Apoſtolus ver. 21. *Ita etiam gratia regnaret per Iuſtitiam in vitam æternam, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Unde certo certius eſt, quod æterna via tam neceſſario Iuſtitiam ſubſequitur, quam mors & pœna peccatum comitantur: imo quod fideles Iuſtitiæ participes tam certi ſint de poſſidenda æternâ vita, quam certus ille ſtator humani generis Adamus fuit, ſibi ſuiſque, ſi peccaret, moriendum eſſe. Quod Romanæ religionis dulciſſimum ſolatium Pſeudo-Romani temeritatem & arrogantiam vocant.

CAPVT VI.

VErum insaniis hisce relictis ad caput sextum transeamus, cujus versu tertio dicit Apostolus, *An ignoratis nos quotquot Baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem ejus esse Baptizatos?* Vbi primò notandum est, Apostolum Romanos alloqui tanquam scientes & peritos illius Sacramenti de quo præsens illi sermo est. Alia namque Romanis consuetudo erat & ratio, quàm hodiè à Pseudo-catholicis observatur. Illic enim tota virtus & ratio, & natura Mysterii Baptisatis aperiebatur; inter Pseudo-Romanos autem typi tantum & umbræ sacramentorum populo proponuntur; & quidem linguâ peregrinâ nec intellectâ, non usus Sacramenti, sed inanes cæremoniæ, quibus acquiescit cæca simplicium caterva, demurmurantur.

Sed illa verba, *Nos quotquot Baptizati sumus in Christum Iesum*, considerationem merentur non perfunctoriam. Hinc enim colligitur, sacramentum Baptismi signum esse & sigillum insitionis & incorporationis nostræ per fidem in Christum Iesum, per quem & præteritorum, & præsentium, & futurorum peccatorum venia nobis & remissio facta est: Quapropter utilitas Baptismi in totum humanæ sè vitæ curriculum extendit, vivâque & efficaci illius recordatione, fiducia remissionis peccatorum in animis fidelium magis ac magis corroboratur. Baptismus enim non præterita tantum delicta delet, sed ad futura cavenda, exscindenda, eradicanda, maximum confert adjumentum. Sed huic doctrinæ contrarium Pseudo-Romani statuunt, docendo Baptismum instar esse primæ post naufragium tabulæ, pœnitentiam verò secundæ, sic, ut omnis Baptismi virtus in præteritis delictis abolendis à Novatoribus statuatur, quod certè Baptismi dignitatem haud mediocriter imminuit.

Subjungit Apostolus ver. 8. *Quod si mortui sumus cum Christo, credimus fore ut etiam vivamus cum eo.* Hinc certum est, pios & fideles auxilio fidei certos & securos esse suæ, dum vivunt, in gratia perseverantiæ, & æternæ post mortem beatitudinis & gloriæ: *Credimus* enim, inquit, & extra omnem dubitationis aleam ponimus nos æterna cum Deo vita fruituros. Quam salutarem & solarii plenam Romanorum doctrinam tantum abest ut Pseudo-Romani amplectantur, ut è contra temeritatis & arrogantiæ eam condemnaverint. Si Pauli cæterorumque fidelium exemplo veritatem

ritatem asserere studemus, illico respondent, hoc boni Paulo revelatione divina contigisse: quasi sibi particulatim hanc certitudinem arrogasset, quam Christianis generali voce *Scimus*, communem facit.

Vers. 10. Sacrificium Missæ jugulatur. Inquit enim, *Nam quod mortuus est, mortuus est semel.* At Pseudo-Romani quotidie Christi corpus offerunt & sacrificant Deo, cum tamen nulla Christi sit oblatio nisi per mortem: Igitur si sæpius offeratur, necesse est illum sæpius mori: quod cum hic tum alibi negat disertè Apostolus Hebr. 10.14. *Vnicâ enim oblatione consecravit eos in perpetuum, qui sanctificantur.* Sic non Romanam modò, sed Christianam omnem religionem enervarunt falsarii, peractum semel sacrificium, tanquam imperfectum repetunt, iterantque.

Vers. 17. Romanos collaudat Apostolus: *Quod in doctrinâ, quam ab ipso didicerant, constanter perseverarent, eoque nomine gratias agit Deo, quòd ex corde auscultaverint illi formæ doctrinæ, in quam erant traditi.* Vnde non dubium est, *Personatos* hosce *Romanos*, qui *Papistæ* vocantur, ut perfugas & desertores illius doctrinæ, cui sacramentum majores dixere, increpatione, vituperio, imò detestatione dignos esse. Cujus flagitiosi transfugii turpitudo monstrabilis est in postremo vers. *quo stipendium peccati mortem esse* dicit Apostolus: *vitam autem æternam Dei donum esse in Iesu Christo.* Verùm Papistæ, Apostolico dogmate valere jusso, peccata multa venialia, neque mortem commerita statuêre, quanquam in septimo capite miserum se prædicat Apostolus, & infælicem, ob illas errorum peccatorumque reliquias, quæ defixis in imum radicibus, etiam in regenerato suppullulabant.

Vers. 20. Dicit Apostolus, *Quum enim servi essetis peccati, liberi eratis justitiæ*, quâ divinissimi viri sententiâ, liberum Pseudo-Romanorum arbitrium peremptorie condemnatur. Qui enim servus est, alieno arbitrio subjicitur, nec uti suo potest. Quum autem à justitiâ liberos dicit, (hoc est, à justitiâ alienos) perspicuè demonstrat, nullum à naturâ hominibus inesse ad justitiam, instinctum aut inclinationem.

Vers. 23. *Stipendium* inquit, *peccati mors est.* Quo Pauli effato pernitiosa peccati venialis & mortalis distinctio profligatur: generatim enim de quovis peccato loquitur Apostolus, *Stipendium peccati mors est, quia omne peccatum transgressio legis est.* 1 Ioh. 3. vers. 4. addit eodem versu Divus Paulus: *Donum Dei est vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* Dixerat ante peccati stipendium

esse mortem; expectari nunc à superbis poterat, ut vitam æternam justitiæ quoque mercedem & stipendium pronunciaret. Sed aliter sese res habet, Donum Dei vocat, ut manifestum redderet vitam & æternam beatitudinem Iustitiæ tanquam præmium meritis partum non deberi, sed gratuitum esse donum Christi merito conciliatum. Pseudo-Romanorum igitur de meritis humanis doctrina, Romanæ religioni pugnat & adversatur.

CAPVT VII.

SEd caput hujus Epistolæ septimum expendamus. In ipso limine pronuntiat Apostolus. *Legem tantisper dominari homini quoad ipse vixerit.* Quibus Apostoli verbis contrarium Pseudo-Romani Pontificis dogma convellitur, qui vecors & arrogans legem mortuis imponit, & animas eorum qui purgatoriis ignibus lustrantur, edictis suis premit. Nulla enim lex vivis data mortuos tenet, & hominum authoritas cum vitâ simul extinguitur, unde solatii materiam Christus ipse suis suppeditat. Matth. 10. 28. *Ne timete vobis, ab iis qui trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare, &c.*

Quapropter & ipse Pontifex, sicut in trucidandis post mortem animis potestatem non habet, ita in iisdem liberandis, nihil omnino valere vel posse putandus est. Vers. 4. Subjungit Apostolus. *Itaque fratres mei vos mortificati estis legi in corpore Christi, &c. ut fructum feramus Deo.* Hinc colligere promptum est Irregeneratorum opera quæ Pseudo-Romani præparatoria vocant ad Iustificationem, Romanis ignota & inaudita fuisse. Disertè namque affirmat Apostolus, eos qui fructum Deo ferunt, non sui juris amplius sed alieni esse, nec suâ virtute nixos, sed insitos & insertos Christo, cujus efficaciâ vegeti, bonum operentur: *Nihil enim,* inquit Servator, Ioh. 15. 5. *sine me facere potestis:* vers. 7. quid dicat Apostolus attentâ meditatione consideremus. *Cupiditatem,* inquit, *non nossem, nisi lex dixisset non concupisces.* Igitur nomine concupiscentiæ, quæ lege damnatur, etiam concupiscibilitas illa comprehenditur, quæ corrupta & in pravum distorta Deum adversatur, ex qua fæcunda malorum matre primi motus illi progerminant, qui titillatione quadam sensum, intellectum, voluntatem, ad cogitandum, volendum, desiderandum id quod malum est, pelliciunt & invitant.

Sed & hic distinctionum suarum præstigiis veritati illudunt Pseudo-

Pseudo-Romani, Concupiscentiam aliam formatam, aliam informem vocant. Hanc utpote pravis tantum cogitationibus sensum & voluntatem, sed citra assensum, stimulantem, peccati absolvunt. Illam ut voluntatem in assensum torquentem damnant. Quod absurdum & impium dogma, Romanæ doctrinæ contrarium est. Apostolus enim utramque concupiscentiam peccatum vocat, quia legem utraque, quæ cogitationes bonas flagitando malas damnat, transgreditur.

Vers. 12. Pronuntiat Apostolus, *Lex quidem sancta & mandatum illud* (scilicet *non concupisces*) *sanctum, ac justum, ac bonum:* Vnde considerandi clarum est, præceptum illud de frænanda concupiscentia, singulare esse, nec in plura dividendum; singulari enim numero à Paulo citatur. Nec enim è rerum concupiscibilium distinctione, mandati ipsius propudenda est distinctio. Sic enim tot mandata nascerentur quot res inconcupiscibiles: præterea si geminum foret præceptum de ordine eorum ambigeretur; Exodi namque 20. versu 17. mandatum de domo non concupiscenda præcedit. In Deutr. 5. vers. 25. præceptum de non appetendâ aliena uxore priores tenet. Quare prava censenda est Papistarum libido qui reclamante Scriptura, mandata Dei pro libitu dissecant.

CAPVT VIII.

SEd Caput octavum aggrediamur, ubi serio triumphans præ gaudio, velut exclamat Apostolus: *Nulla igitur nunc est condemnatio iis, qui sunt in Christo Iesu, &c.* Cujus Romanæ doctrinæ dulcedinē amaritudine pestilentissimi dogmatis Pseudo-Romani corruperunt: Pios enim de certitudine salutis & gratiæ dubios semper & anxios constituunt, & quos Paulus in arcem optimæ spei & securitatis evehit, in anxietatis & desperationis barathrum dejiciunt. Quis enim Euangelii, quis Christi fructus foret, si capiti nostro semper imminens ut jam jam lapsura timeretur condemnatio? sed hoc delirium alibi sæpe à Paulo refutatum, breviter hîc explosisse satis est.

Sed vers. 6. *Quod sapit caro mors est*, inquit Apostolus, *Quod autem sapit spiritus, vita & pax est.* Pseudo-Romanis autem cum hac doctrina quomodo conveniet? qui libertatem arbitrii, quoad supernaturalia deletam, quoad naturalia debilitatam tantum prædicant, ita tamen ut venienti gratiæ possit obviam procedere,

& ad eam recipiendam per merita congrui ſe præparare. Paulus autem edoctus ab ipſa veritate libertatem arbitrii noſtri affirmat inimicitiam eſſe adverſus Deum: ſicut igitur inimicus hoſtem amare neque vult, neque poteſt, multo minus eidem jubenti obtemperare, & parere mandanti; ſic liberum arbitrium gratia Dei non edomitum nec ſubactum, Deum amare non poteſt, vocantem ſequi non vult, mandanti obſecundare refractarium dedignatur. Hic igitur opus eſt nova creatione, novaque Spiritus ſancti efficacia, qua cor inimicum & hoſtile pacis erga Deum amore afficiatur.

Verſ. 12. velut exultans, ait, *Igitur fratres debitores ſumus non carni*, &c. Vnde colligas nos debere ſpiritui: Summum enim juſtitiæ munus eſt, ſuum cuique reddere & perſolvere debitum. At carni non debemus, *ut ſecundùm carnem vivamus*. Quid ita? ratio in promptu eſt. Nihil enim à carne nobis accedit præter exitium & pernitiem; è ſpiritu contrà pax & vita: nihil igitur carni debemus præter odium, fugam & execrationem. At ſpiritui, gaudium, pacem, vitam, denique nosipſos. Ex quo verè Romano dogmate falſitatem Papiſticæ novitatis arguamus: Ad omne ſcilicet obſequium, omnemque cultum divinæ majeſtatis officio nos & debito teneri, & obligari, imo totam vitam noſtram ſpiritualem debitum & eſſe & vocari. Secundùm id Pauli ad Philip. cap. 4. verſ. 8. *Quæcunque fratres ſunt vera, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis, ſi quæ virtus, ſi quæ laus eſt, hæc cogitate*. Quod axioma variâ tamen ratione explicari debet & intelligi.

Debetur enim Deo vita noſtra primùm jure creationis; hoc enim fine particulam illam divinæ auræ corporeis indumentis veſtivit, ut inferiore loco collocati gloriam cæleſtis domicilii, laudemque cuncta moderantis Dei celebremus: nec hoc jure tantùm, verùm etiam titulo redemptionis, quâ Chriſtus in ſervitutem abreptos, & diabolo mancipatos in libertatem vindicavit, propriumque ſibi peculium ſepoſuit, nec Redemtione tantum, ſed & jure ſanctificationis per Spiritum ſanctum peractæ vita noſtra debetur Deo, qui non alium ſuæ bonitatis erga nos finem ſibi propoſuit, quàm ut omni gloriâ & honore à beneficiariis ſuis colatur. Denique promiſſa venturaque beneficia, quæ Chriſto vade, certâ & indubiâ fiduciâ expectamus, corporum ſcilicet reſurrectio, vivificatio, glorificatio in cœlis, in enarrabili debitorum vinculo nos conſtringunt & obligant Deo. Quapropter ſi cultum

tum omnem & omne officium ſpiritui debemus, & ad omnia ex debito tenemur, execranda eſt & deteſtabilis Pſeudo-Romanorum doctrina qui meritum ex congruo, condigno, & ſupererogatione per contumeliam veritatis excogitarunt.

Meritum enim & debitum inter ſe contraria ſunt, ut mutuo ſeſe tollant, ut Apoſt. cap. 4. 4. diſertè ſatis oſtendit. Omnium igitur operum noſtrorum ea ratio eſt, ut vel è carne vel ſpiritu proficiſcantur. Si è carne, vitiis inquinata contaminataque authori ſuo damnoſa ſunt. Sin è ſpiritu, nihil inde meritorum in authorem redit, ſed ex debito & obligatione præſtatur Deo: ſed hîc diſtinctionis rimam Papiſtæ quærunt; eam obturemus. Merita ſcilicet haudquaquam eſſe rigore juſtitiæ, ſed acceptilatione & ordinatione quadam divina. Quaſi verò Deus opera piorum remuneret ut mercedem præmiumque merita: Non ita præclarè cum operibus noſtris agitur. Deus quidem infinita ſua benignitate conatus noſtros mollius interpretans, non quidem ut merentes, ſed ut debitam parenti à liberis non iniquis obedientiam, gratuitò remuneratur: nec uſquam illa Dei ordinatio reperitur, ut obſequiis noſtris aliquid mereamur, ſed ut debitum Deo cultum qua par eſt alacritate præſtemus.

Verſ. 15. Proclamat Apoſtolus, *Accepiſtis ſpiritum adoptionis per quem clamamus Abba, id eſt, Pater:* quæ doctrina non Romana ſolum ex diſciplina & exemplo Pauli, ſed omnium fidelium omnis ævi conſenſu, præclaroque ipſius ſancti Spiritus teſtimonio veriſſima & antiquiſſima judicanda eſt. Non enim ad Angelos, nec ſanctos, ſanctaſve precaturum ſpiritus ablegat, ſed ad Deum. Sic filius ille prodigus, bonis patriis oblimatis, cùm nudus & inops domum ſe reciperet, ſervis non ſupplicavit ut illis apud patrem deprecatoribus uteretur, ſed rectam viam affectavit ad genua parentis & ad ea ſeſe ſupplicem proſtravit. Luc. 12.

Hanc diſciplinam Servator ipſe ſuis tradit: *Pater noſter*, &c. & hoc in loco teſtatur Apoſtolus nos auxiliante ſpiritu clamare *Abba Pater*. Sed huic antiquæ, Romanæ, Chriſtianæ veritati nefandis injuriis Pſeudo-Romani reluctantur, dum honorem uni Deo debitum ſanctis ſuis impudenter attribuunt. Verſ. 16. fiduciam fidelium corroborans, Apoſtolus ait, *Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, nos eſſe filios Dei:* quæ verba de certitudine ſalutis & animi tranquillitate, quantum ab anxia ſollicitudine qua piorum animos Pſeudo-Romani excarnificant, abſint, nemo non videt verſu 18.

Statuo,

Statuo, inquit Paulus, *minimè esse paria quæ præsenti tempore perpetimur futuræ gloriæ in nobis retegendæ.* E quibus animadvertere est, Apostolum argumento à majori petito, meritum omne condigni, quod vocant, prostratum everrere. Nullum enim in passionibus esse potest meritum condigni, cum inter passionem & præmium gloriæ nulla datur proportio: nam merces & compensatio meriti cum à Iustitia proficiscatur, opus est, ut inter meritum præmiumque proportio quædam interveniat & æqualitas, qua sublata nec Iustitia constat, nec meritum intelligi potest. Igitur cum à passionibus meritum excludat Apostolus, eo quod immensa magnitudine præmii exsuperentur: nullis actionibus includi meritum condigni à sanis & rectè sentientibus potest.

Passiones enim quæ pro gloria Dei tolerantur, majorem longè dignitatem & existimationem, quàm actiones quæ pro eadem celebranda peraguntur, adeptæ sunt. Quapropter everso prostratoque merito condigni, tempus est, ut Pseudo-Romani, clauso Indulgentiarum suarum (quas hactenus cauponati sunt,) horreo, meritorum & satisfactionum suarum ventosos titulos, & jactabundos clamores, pudore premant & silentio. Ver. 26. subjungit Apostolus: *Itidem autem & Spiritus sublevat infirmitates nostras, quid enim precemur ut oportet non novimus, sed ipse spiritus interpellat pro nobis, &c.* In cujus doctrinæ contumeliam Pseudo-Romani liberum arbitrium non modò stabiliverunt, sed pari cum gratia divina virtute & efficacia decorarunt: alterum enim alterius opem poscere & inter se amicè conspirare dicunt.

Sed Pauli doctrinam, age consideremus. *Quid precemur*, ait, *ut oportet non novimus:* Tanta mentis est caligo, tantæ tenebræ, ut in præcipuo cultus divini momento, precatione scilicet cæcutiamus: Ergo si precum ipsarum rudes sumus, quid in toto cultu sapere putandi sumus? Si tenebris offusus est intellectus, quid de reliquis animi functionibus est sperandum? Cum enim omnium actionum executio tribus functionibus absolvatur, cogitatione quæ rem concipit, voluntate quæ consentit, actu qui rem perficit, nullam earum in potestate nostra positam esse, cum ad cælestia ventum est, reperiemus.

Non enim idonei sumus qui per nos, & è nobis ipsis vel minimum boni cogitemus: voluntatem deinde facultatemque perficiendi quod volumus haudquaquam à nobis ipsis sed efficaci operatione Dei nanciscimur. Phil. 1. 3. Quapropter abjudicatis ab homine

homine tribus his facultatibus, ubi tandem arbitrii libertas collocanda est? Maneat igitur animis nostris repositum quod inquit Apostolus. *Spiritus sublevat nostras infirmitates*, imbecillitatem, ignorantiam, ancipites dubitationes, studium delitiarum, calamitates quibus pii frequenter exagitantur, perturbationes inde natas, quæ sæpe mentem tumultuantem, de gradu dejiciunt, eoque redigunt angustiarum, ut ne quidem in preces & vota sufficiat, *Quid enim precemur ut oportet non novimus.*

Ver. 29. Paulus in secreta cœlorum altius assurgens tandem ait. *Nam quos prænovit etiam prædestinavit, conformandos imagini filii sui &c.* Ver. 30. *Quos verò prædestinavit, eos etiam vocavit, & quos vocavit eos etiam justificavit, quos autem justificavit, eos etiam glorificavit.* Hæc aurea indissolubilis Apostoli catena non pro libidine humani ingenii, sed arbitrio Dei voluntatem suam revelantis connexa est. Nempe quod omnipotens & omniscius Deus è corrupta perditaque generis humani massa, nullis vel operum, vel fidei meritis prævisis (nam quæ fides, quod opus in perditis & improbis, possit prævideri?) sed mera bonitate & ineffabili misericordia impulsus ab æterno quos voluit, prænognoverit, elegerit, & ad imaginem filii sui conformandos destinaverit, eosdemq; per Euangelii præconium, tempore suo vocaverit, justificaverit, proposita in cœlis, cum è vita migraverint, æterna beatitudine & gloria.

Quo circa vocatio, fides, justificatio, sanctificatio, glorificatio, mirabili quadam serie velut annulatim connexæ è prædestinatione descendunt, eamque nostris animis asserunt & confirmant; totidem enim modis inversa & retrograda serie Deus aperit menti nostræ suam prædestinationem, adeò ut vocatio, fides, justificatio, & sanctificatio nostra, nihil sint aliud quàm prædestinationis nostræ per vocationem & fidem, patefacta revelatio. Sicut enim quos ab æterno prædestinavit, in tempore vocat & justificat; ita pari ratione quos in tempore vocat & justificat, ab æterno prædestinaverat. Hinc πληροφορία & salutis nostræ certitudo enascitur, quoniam arcanum illud consilium Dei, cùm ad effectum deducitur, quod mortali mente capi potest, infallibili & necessaria, nec Stoica tamen aut fatali, sed divina immutabilitate ad finem suum decurrere, deprehenditur.

Quos vocat igitur & justificat, eos infallibili certitudine glorificat: nec timendum est ut ii gratia gloriaque penitus excidant, quos ab æterno gloriæ destinavit. Omnis autem opinio meritorum

rum hîc ejicitur foras, nullus enim in hujus catenæ serie datur operibus locus. Pseudo-Romanos igitur à Romanis desciviſſe manifestum est, dum operum merita mendaciter asserendo, Sanctorum perseverantiam falsissimè negant ver. 33. Quis est, inquit, qui *intentabit crimina adversus Electos Dei? Deus est qui justificat. Quis est qui condemnet? Christus is est, qui mortuus est, imò verò qui suscitatus est, qui etiam est ad dextram Dei, qui etiam intercedit pro nobis: Quis nos separabit à charitate Christi? num afflictio? num anguſtia? nihil planè.* Qua melliflua Pauli oratione, decus omne solatiumque Romanæ religionis exponitur, & è contra dedecorum labes & impietas Papisticorum dogmatum manifestatur.

Nam Romani, remissis à Deo peccatis, abolita quoque supplicia crediderunt. Illi Christum in cœlis advocatum, arbitrum & intercessorem, & agnoverunt, & venerati sunt. Illi Spiritum auxiliatorem sibi certa fiducia spoponderunt. Illi de sempiterna Dei gratia persuasissimi, de perseverantia sua non dubitaverunt. Illi certam electionem, è mera gratia dimanantem, reverenter amplexi suspiciebant. Quam religiosam Romanorum substructionem, à fundamentis adeò Papistæ diruerunt, ut inter rudera ne vestigium amplius appareat cœlestis Architecturæ.

CAPVT IX.

NVnc autem discordiæ parallelos pertexentibus, offert se caput nonum, Electioni Papistarum ex operibus & fide præviſis inimicum. Dicitur enim versu 11. *Nondum enim natis pueris, cùm nihil feciſſent boni vel mali, ut propositum Dei, quod est secundum ipsius electionem, id est, non ex operibus, sed ex vocante firmum maneret, dictum est, Iacobum dilexi, Esauum odio habui.* Vnde non è meritis in homine præviſis, sed è gratia præveniente meritum emanavit Electio. Quod ipsum vers. 15. magis illustratur. Dicit enim Deus Moysi: *Miserebor cujus misertus fuero, & commiserebor quem commiseratus fuero.* Nempè igitur *electio non est ejus qui velit, neque ejus qui currat, sed ejus qui miseretur, nempe Dei.*

Sin autem, ut Papistæ volunt, ex meritis fideve præviſis ad salvandos homines permoveretur, quis supereſſet gratiæ locus? quis electioni misericordiæ natæ titulus relinqueretur? Quis denique tam cæcus est, qui non videat, merito volentium, non commiserantis gratia, salvandorum inniti electionem? Sed hæc elaboratiori meditamento expendamus. *Non ex operibus,* inquit Apostolus;

postolus, *Sed ex vocante*. Igitur à causa electionis opera Iacobi secluſa ſunt, cum præſentia, quæ nulla fingi poſſunt in non nato, tum prævisa, quæ bona futura non erant niſi Deo bonitatem illis conciliante: è prævisis igitur operibus ad eligendum diligendumque moveri Deus non potuit: Absurdum enim est aliquid imaginari (ſi Deum excipias) quod ſit causa ſui ipſius.

Electionis ergo causam in ſolo vocante Deo conſtituit, hoc est in ſolo Dei vocantis beneplacito, gratia, miſericordia, qui Iacobum fratri præferre, diligere & eligere voluit & dignatus est: inquit enim diſertiſſimis verbis, *Non est volentis aut currentis, ſed miſerantis Dei, miſeretur quorum vult, quos vult indurat*. Quis igitur prævisæ gratiæ meritiſque Pontificiis locus relinquitur? Sanè cùm miſericordiæ causam è ſemetipſo Deus deprompſerit, impietatis & corruptæ Romanæ religionis crimine tenentur, qui meritis operum eandem attribuere non erubeſcunt: nec ſtultitiæ poſſunt excuſari, qui ſic cum ratione inſaniunt. Nam ſi ridicula foret hominis mendici ſuperbia, qui meritis ſuis & ſtipem & cibum arrogaret; quanto majore cachinno explodendi ſunt Pſeudo-Romani, qui miſericordiæ divinæ cauſam meritis ſuis attribuunt?

Sed reflexis ad verſum quintum oculis, audiamus Apoſtolum. *Quorum ſunt patres*, inquit, verba faciens de Iudæis à Deo rejectis. Quæ verba conſiderationem nobis injiciunt haud pœnitendam. Quamvis enim Iudæi ſummo jure tot Patriarcharum à primævis uſque temporibus ſeriem & continuam ab Aaronis ævo Sacerdotum ad Chriſtum uſque ſucceſſionem jactare poſſent; conſtat tamen illos, habitis ſuſque deque glorioſis his privilegiis à Deo rejectos, & Eccleſiæ dignitate exutos fuiſſe.

Simili ratione Pſeudo-Romani, cum Epiſcoporum Præſulumque ſuorum imaginibus & longæva ſerie tumeſcentes, cauſæ ſuæ patrocinium à ſucceſſionis perpetuitate arceſſunt, næ fluxum & inſtabile religioni ſuæ fundamentum ſubjiciunt, niſi veræ Romanæ Chriſtianæque doctrinæ longævitatem unà cum perſonarum ſucceſſione ſeriatim oſtenderint. Nec est quod inanis illa jactantia nos moveat. Chriſtus ipſe Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, continuata ſucceſſione nuſquam gloriatur; Apoſtoli quoque primique pacis & Euangelii præcones, nulla ſerie, ſui muneris dignitatem à Pontificum vel Paparum antiquitate petunt: nec ulla nobis igitur incumbit neceſſitas, ut multis ad antiquitatem gradibus iiſque continuatis aſcendamus, dummodo veram

& pri-

& primævis Eccleſiis ab Apoſtolo traditam doctrinam amplectamur: qua dum gaudeamus, liceat cum Iudæis tum Pſeudo-Romanis inani vetuſtatis ſolatio frui. Sed unde defleximus, redeamus.

Verſ. 17. *Dicit Scriptura Pharaoni*, inquit Apoſtolus. Quid apertius eloqui potuit divina mens? Quod acutius telum nobis ſuppeditare, quo deteſtabile Pſeudo-Romanorum dogma conficeremus? *Authoritatem* nempe *Scripturarum non conſtare niſi ex Authoritate Eccleſiæ*; cum tamen hoc Apoſtoli teſtimonio manifeſtum ſit, *Authoritatem Scripturarum conſtare ex Scriptura ipſis*. Nec curandi ſunt quicquid obmurmurent, Scripturam nempe, literam mutam & elinguem, controverſiarum Iudicem ſtatui non poſſe, cujus utpote munus eſt eloqui & quod animo viſum vocis auxilio proferre foras.

Sed hoc nugamentum refutat Apoſtolus, inquiens, *Scriptura dicit Pharaoni*, hoc eſt, Deus in Scriptura & per Scripturam loquitur Pharaoni. Scripturam igitur mutum appellare Iudicem, ſcelus eſt: Deus enim in ea loquitur & ſpirat: Quapropter ut Iudex idoneus & dirimendis controverſiis efficax Scriptura judicari debet, utpote quæ Dei loquentis & judicantis vox & ſonus eſt. Quam veritatem Apoſtolus exemplo quoque ſuo ſtabilivit, non hic modò ſed alibi ſæpius ad Scripturæ Tribunal provocans eamque velut Arbitrum & Iudicem omnium controverſiarum conſtituens.

Ver. 24. Dicit Apoſtolus, *Quos etiam vocavit nimirum nos:* haud dubiè affirmans, non modò ſemetipſum, ſed omnes qui vocantur gloriæ deſtinatos eſſe, nec ad ejuſce rei ſecuritatem opus eſt miraculoſa revelatione; certos enim Electionis ſuæ fideles eſſe judicio vocationis. Subjungit autem, *Quiſquis credit in eum non pudefiet*; certus igitur eſt ſuæ ſalutis Apoſtolus, & eadem gaudent certitudine quotquot ejuſdem tinctura doctrinæ, quam Romanis inculcat, animos ſuos imbui patiuntur.

Ver. 30. *Gentes*, inquit Apoſtolus, *quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehendiſſe juſtitiam, juſtitiam autem eam quæ ex fide*. Hinc elucet, hominem nec viam ſibi ſternere, nec quicquam ſe, virtute ſua præſtare poſſe, quo vocationem ſuam tanquam præambulo quodam & præparatorio promoveat, cùm Gentes à Deo converſas audiamus, quæ nec Deum nec cœleſtia penſi habebant aut ſectabantur. Sicut Apoſtolicæ ſententiæ, Philip. 2. 13. veritas incontuſſa remaneat. *Deus eſt qui & dat velle & perficere ſecundum ſuum*

ſuum beneplacitum. Et 2. ad Cor. 3. ver. 5. *Non quod idonei ſumus ex nobiſipſis ad cogitandum quicquam velut ex nobiſipſis, ſed quod idonei ſumus, id ex Deo eſt.* Abeant igitur cum præparatoriis operibus ſuis Pſeudo-Romani, Romanæque religionis gloriam quam mala fide uſurparunt deponant.

CAPVT X.

IN decimo, Iudæorum errores, ab Apoſtolo ſimul & Romanis damnatos, inſulſi Papiſtæ, tanquam honoris inſignia, ſibi adaptarũt. *Teſtor enim*, ait Apoſtolus, *eos Zelum Dei habere, ſed non in notitia, nam ignorantes Dei juſtitiam, & propriam juſtitiã ſtudentes conſervare, juſtitiæ Dei non fuere ſubjecti.* Culpat in Iudæis expertem conſilii zelum Apoſtolus. At ignorantia, dicunt Papiſtæ, mater eſt pietatis.

Subjungit Apoſtolus ver. 17. *Fidem eſſe ex auditu, auditum autem per verbum Dei,* quo tanquam regulâ fides dirigitur. At Papiſtæ rejecto Dei verbo, mandata & imperata Eccleſiæ, normam fidei propoſuere. Sed ille lethalis Iudæorum error, qui tot hominum millia dimiſit ad inferos, nonne palmas inter & decora Papatus effulget? Quid enim majore jactantiâ vel pompâ verborum illic celebratur, quàm vitæ perfectio, juſtitia, merita bonarum actionum, & commentitium illud ludibrium, de opere operato? Quæ ſingula cum ad propriæ juſtitiæ conſervationem à divinæ juſtitiæ contemptoribus adinventa ſint, haud dubium eſt, dilapſos à Romanis, & æmulos Iudæorum Papiſtas, parem cum illis exitum conſecuturos, quorum in religione flagitia imitantur.

Ver. 4. dicit Apoſtolus: *Nam finis legis eſt Chriſtus ad Juſtitiam cuivis credenti,* quibus ille verbis edocere voluit præcipuum legis & uſum & munus eſſe, nos ad Chriſtum veluti finem proprium & ultimum manuducere; cui ſententiæ congruit quod ad Gal. 3. 24. ſcribit idem Apoſtolus: *Lex Pædagogus noſter ad Chriſtum reſpiciens, ut ex fide juſtificaremur.* Hoc officium fuit legis Cæremonialis, typis enim illis Chriſtus adumbrabatur: Hoc etiam minere fungitur Lex moralis, non per ſe quidem & natura ſua, flagitat enim à nobis obſequium, pollicendo vitam, deterretque ab inobedientiâ comminando mortem: ſed per accidens, quia rebellionem noſtram dum incuſat reoſque facit perduellionis in Deum, ſpem nobis omnem de vita per operum Iuſtitiam acqui-

renda præcidit, & ad alienam quærendam iuſtitiam, gratuitamque peccatorum veniam per fidem in Chriſtum adigit & impellit.

Hunc principem Legis uſum qui non animadvertunt, nihil in eâ niſi dirum, triſte, & formidabile intuentur. Quapropter, cum finem Legis Scriptura Chriſtum ſtatuit, certum eſt irregeneratorum opera à fide non profecta, peccatis inquinata, nihil ad Iuſtitiam conferre momenti, nec ulla reperiri poſſe mortalium opera quæ præparatoria ad gratiam à Pſeudo-Romanis appellãtur. Sed in aſſerendâ veritate pergit Apoſtolus: Legem ſcilicet ad Chriſtum nos manuducere, nec è lege ſed à fide petendam eſſe Iuſtitiam, quoniam hac imbecillitate depravatæ naturæ mandato legis obedire nemo poſſet. *Moyſes*, inquit, *ſic deſcribit juſtitiam legis quod qui fecerit ea vivet in iis.*

At hoc eſt vitam tali conditione promittere quæ nequeat à nobis impleri. Quis enim eſt qui Legi ſumma maximaque poſtulanti & totas animi vires omneſque facultates flagitanti, ſatisfacere poſſit accurata illa & numeris omnibus abſoluta obedientia? nemo certè. Irregenerati namque prorſus nequeunt. *Quia prava ſunt à juventute*, Gen. 6. Renati quoque per reſiduam imbecillitatem non ſunt idonei. *In multis enim labimur omnes* Iacob. 3. 2. Et 1. Reg. 8. 46. Pſal. 116. 11. 1 Chro. 6. 36. Pro. 20. 9. Eccleſ. 7. 21. 1. Ioh. 1. 8. Cùm igitur à nemine poſſit impleri conditio, quam lex proponit ad juſtitiam conſequendam & vitam æternam, neceſſariò ſequitur è lege Iuſtitiam acquiri non poſſe: Legalis enim Iuſtitia nihil aliud eſt, quam plenum, perfectum, & numeris omnibus abſolutum legis obſequium.

Ergò quamdiu Legis implendæ ſtudio tenemur, occluſas cœli fores, & iratum nobis Deum offendimus, unde mirabiles anguſtiæ & animæ cruciatus in cultoribus operum ſuboriuntur. Illos enim quibus cum lege, tam dura exactrice, res eſt, perpetua & anxia dubitatione trepidare neceſſe eſt, num minutatim in ſingulis omnia qnæ quoquo modo mandata ſunt, fuerint executi, diſtante interim intus conſcientia optimum quemque in multis errare, labi, decipi. Hanc ancipitem animi curam & trepidationem, tanquam legalis Iuſtitiæ fœtum legitimum eleganter Apoſtolus per Antitheſin oſtendit.

Ver. 6. & 7. *Iuſtitia fidei non dicit quis aſcendit in Cœlum? Quis deſcendet in Abyſſum?* quaſi dicat Legalis Iuſtitia cultores ſuos tam dubios, tam trepidos, tam anxios animi reddit, ut perpetuò

ſecum

secum cogitent & quærant, *Quis ascendit in cœlum? quis descendet in abyssum? quis salvabitur? quis condemnabitur?* Quænam ratio, quæ via pertingendi in cœlos? Quis infernum effugiendi modus? quis me docebit quæ maneant exitum meum fata? an gloria vel supplicium? animi gaudium, an dentium stridor? Conscius enim violatæ legis animus nec interdiu nec noctu à cruciatu conquiescit. Sic igitur in desperationis barathrum præcipites tandem ruunt, qui meritis operum justitiam venantur.

Verùm huic salutari Romanorum doctrinæ, qua monemur ut legali justitia derelicta, Christum fide amplectamur, à Pseudo-Romanis impiissima contradictione, dum operum meritis perfectũ legis obsequium jactant, reclamatum est. Ver. 6. fidei excellentiam & utilitatem prædicans Apostolus, inquit: *At quæ ex fide est Justitia ita dicit, ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum? hoc est Christum ex alto deducere: aut quis descendet in Abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere: sed quid dicit? prope te verbum est, & in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum illud fidei quod prædicamus, nempe, quod si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, &c.* Quibus ille verbis discrimen inter Iustitiam legis & Iustitiam fidei mirabili elegantia expressit. Legalis enim Iustitia fluctuantes in salo dubitationum animas humanas relinquit meticulosas, anxias, & triste quid de Dei judicio suspicantes.

At Iustitia fidei, neque Tartarum horret, nec metu supplicii pavet, sed serenitate cœlesti perfusa semper secura, semper tranquilla agitat: nititur enim solido verbi divini fundamento, corde credens, & ore profitens Dominum Iesum mortuum pro peccatis nostris, ad conciliandam nobis Iustitiam resuscitatum esse. Quapropter hâc sola non legali salus & beatitudo nobis acquisita est. Apostolus autem sicuti legalem ante Iustitiam phrasi Mosaica descripserat, ita nunc Euangelicam eadem locutione depingit, Deut. 30. ut id ipsum quod de gemina justitia protulit, haud quaquam à veterum disciplina discrepans, aut alienum, verbis Mosaicis assereret & stabiliret. *Iustitiam* autem *ex fide* vocat eam quam supra cap. 4. ver. 11. *Iustitiam fidei*, & aliquoties cap. 3. & 4. *Iustitiam Dei*, hoc est, à Deo fidelibus ob Christi meritum imputatam vocaverit, eamque legali Iustitiæ, quæ meritis operum affectatur, opponit.

Indicit igitur hoc loco Iustitiam fidei prosopopeia quadam loquentem, & cujus ipsa naturæ sit explicantem. Sed quid loquatur attendamus. *Ne dixeris*, inquit, *in corde tuo, &c.* quasi dicat,

duo genera dubitationum inimica & contraria fidei ex animis fidelium ejicienda sunt. Prius est de ascensu in cœlum, hoc est de gratia Dei & salute cœlesti qua ratione possit in nos derivari: vetat enim nos anxios esse de negotio salutis. Alterum est de descensu in Abyssum, hoc est, de maledictione & morte æterna, qua ratione possit illa vitari: vetat enim nos ullo metu vel terrore supplicii apud inferos torqueri. Quod Abyssus autem in novo Testamento significet Infernum, ex Apocal. manifestum est Cap. 9. ver. 1. cap. 11. ver. 7. cap. 20. ver. 2. Descendere igitur in Abyssum idem est quod descendere in Infernum, & æternis impiorum suppliciis excruciari, cujus pœnæ metum & anxietatem justitia fidei procul à justificatis jubet facessere.

Quapropter hæc fidei prima proprietas est, πληροφορία & inexpugnabili fiducia divinæ misericordiæ, & inconcussa certitudine salutis impleri: quam innatam fidei qualitatem Pseudo-Romani sua incertitudine & spe vacillanti, in animis hominum corruperunt.

Secunda verò proprietas in eo versatur, quod hanc πληροφορίαν non è figmentis humani cerebri exsculpserit, sed in fiducia mortis, resurrectionis, & ascensionis Christi stabiliverit. Ad hanc igitur sæviente mundo & fremente diabolo, tanquam ad sacram anchoram confugiamus, nihil Pseudo-Romanorum ludibriis & contumeliis quibus hanc doctrinam exagitant, dejecti vel permoti. Ver. 8. Cum dubitationes fidei contrarias discussisset Apostolus, interrogare occupat. *Sed quid dicit?* nempe *Justitia fidei: Prope te verbum est, in ore tuo, & in corde tuo, &c.* Fundamentum igitur fidei Dei verbum esse statuit, perspicuum manifestum, revelatum. Fides enim inquit, non est temere concepta, & nata opinio, sed innititur verbo Dei, quod & in ore circumfert, & in corde probè cognitum & certò creditum.

Qui promisso viri boni nixus est, dubitationem exuit: quantò magis illum igitur securum esse decet, qui promittenti Deo credit? fidem ergo nasci docet è verbo, & eodem niti, non ignorantiæ tenebris caligantem, sed immotam securamque terrores omnes & pericula despicere. Quod enim basi nititur immota, nec quati nec moveri loco potest: unde solatium trepidanti conscientiæ maximum oboritur, cum ad Deum refugit qui promissum fallere nec vult, nec potest.

Verùm ab hac salubri Romanorum doctrina longè dissidet Papatus, in quo cuncta dubia, incerta, terrorum & anxietatum plena;

plena; Deus ipse promissa fallens, eludensque credentes à Pseudo-Romanis statuuntur, & in locum verbi divini cui nec acquiescunt, nec adhærent, cujus lectione populo interdicunt, humanæ traditiones & febriculosa cerebrorum figmenta introducuntur. Cùm tamen ita disertè dicat Apostolus: *Hoc est verbum illud fidei quod prædicamus*: unde manifestum est, verbum Apostolis prædicatum cum Euangelio quod scriptis mandarunt, unum & idem esse, frustraque nequitiæ latibulum à Pseudo-Romanis quæri, cùm aliam ab Apostolis doctrinam ore traditam, aliam scriptis mandatam impudenti fraude mentiuntur.

Versu 9. subjungit Apostolus. *Quod si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quod Deus eum excitavit à mortuis, servaberis.* Versu præcedenti generatim declaraverat Apostolus, quodnam & quale sit illud verbum cui fides innititur, affirmans haudquaquam legis esse sed fidei verbum, lætum scilicet illud nuncium de Christo propter peccata nostra mortuo, suscitato propter Iustitiam. Indigetat autem verbum fidei, cum effecti causâ, quia fidem generat & producit: *Fides enim ex auditu*: tum causa objecti, verbum enim hoc fide recipitur, & fidem non opera postulat.

Hoc autem versu speciatim magis ejusdem verbi naturam enucleat, & mira brevitate totius Euangelii summam complectitur edocetque qua ratione verbum hoc fidei, cum ori, tum cordi nostro debeat esse propinquum, addito fructu, qui in nos è verbo confluit & promanat. Sicut enim ver. 5. Legalem Iustitiam ita descripserat, *quod sit facere omnia quæ sunt legis & per ea vivere*, sic impræsentia, fidei justitiam describit, *quod sit ore confiteri Dominum Iesum, corde credere, excitatum à mortuis & hâc fide servari.* Cæterum *ore confiteri Dominum Iesum*, nihil est aliud quam eum agnoscere, in illum credere, eum profiteri, precari, invocare tanquam Dominum, & Servatorem unicum & quidem suum, non eo jure tantùm, quod ut creator sibi vindicat in creaturas, sed jure redemptionis qua nos è durissima servitute asseruit in libertatem.

Et in hac quidem confessione pars prior fidei justificantis occupatur: pars posterior autem ab Apostolo hisce verbis explicatur. *Credere corde quod Deus eum excitavit à mortuis.* Hoc est, non historiæ tantùm de morte & resurrectione Christi sine dubio assentiri, sed animi tranquilla fiducia beneficium mortis & resurrectionis nempe pacem cum Deo, remissionem peccatorum, Iu-

ſtitiam & vitam æternam apprehendere & amplecti. Verum ex eo quod inquit, *Quiſquis confeſſus fuerit ore, & corde ſuo crediderit ſervabitur*, ſatis apparet, æternam ſalutem fidei fructum eſſe; eamque ſingulis Apoſtolus promittit: ſingulos enim viritim compellat, adhortatur & inſtigat.

Sed hanc Pauli doctrinam qua ſalutis certitudinem in Eccleſia Romana ſtabilivit, Pſeudo-Romani venenato dogmate de ſalutis incertitudine, corruperunt, negant enim unumquemque fideliũ, tam certam habere ſuæ ſalutis fiduciam, quam certè confitetur & credit *Dominum Ieſum excitatum eſſe*. O ſtolidam & pertinacem amentiam? Id utique quod ore fatemur corde credimus fugere nos & latere putabimus? minimè gentium. Nec conjectura tantum id aſſequi ſed clara diſtinctaque notitia idipſum ſcire cenſendi ſumus. Igitur cum in ore fidelium ſit confeſſio, fides in corde, neutiquam à fidelibus ignorantur; nec probabili tantum conjectura, ſed inexpugnabili fiducia tenentur: Fides ergo cum certa ſit, & ſalutem quæ naſcitur ex fide certam eſſe, dubium non eſt.

Verſ. 11. Subjungit Apoſtolus, *Dicit enim Scriptura*, conatus authoritate Scripturarum aſſerere quod ante de ſalutari fidei confitentis effectu expoſuerat, Scriptura, inquit, credentibus & invocantibus promittit ſalutem. *Scriptura* autem cum *non poſſit ſolvi* Ioh. 10. 35. certum eſt & neceſſarium, ad Iuſtitiam quoque verè certóque credi. Ex his Apoſtoli verbis Pſeudo-Romanorum peſtilens error refellitur, qui mutam & elinguem (ut ipſis placet) Scripturam à judicio controverſiarum ablegant. Non enim hic muta vel bruta littera cenſetur ab Apoſtolo, ſed vivum Dei verbum. *Dicit enim Scriptura*, inquit divus Paulus: loquitur ergo ſanctus ille liber & ipſa Dei vox in illo ſonat. In controverſiis igitur dijudicandis arbitrio Scripturæ ſtandum eſt; nec alia doctrinarum & placitorum norma aut regula vel inveniri poteſt vel cogitari: Quapropter Apoſtolus omnia fidei dogmata, quæ Romanos edocuit, ſola Scripturarum authoritate ſtabilivit.

Talis enim eſſe norma debet, quæ ſola neque fallere poteſt, neque falli; quod cum ſoli Scripturæ proprium ſit, humanæ, fallaces, impiæ traditiones exutæ dignitate quam falsò ſibi arrogant, extra fines veræ Eccleſiæ deportandæ ſunt. Verſu 13. recitat aurea verba Prophetæ Ioelis cap. 2. verſ. 38. *Quiſquis invocaverit nomen Iehovæ liberabitur: nam in monte Sion & Ieruſalem erit evaſio ſeu liberatio*. Promiſſam hic audimus liberationem, non temporalem

poralem sed æternam: omnis enim illa prædictio circa regnum & beneficia Messiæ, interpretante Petro, Actor. 2. versatur.

Igitur à peccatis, à morte, à diabolo promissa est liberatio: Sed quibus tandem facta est hæc promissio? num solis Iudæis? nequaquam, sed omnibus invocantibus Iehovæ nomen, hoc est, omnibus implorantibus divinam misericordiam ob meritum Christi. Manifestum igitur est ex Prophetæ verbis, religiosam invocationem qua salutem exposcimus, ad Deum solum dirigendam esse, utpote qui solus invocationem nostram remunerari potest præmio salutis, nec ullam nisi in Ecclesia Dei, salubrem reperiri invocationem & efficacem; Ecclesia enim est mons ille Sion & Hierusalem, cujus indigenæ soli, ruente & pereunte mundo, evadunt & liberantur.

Nec hoc modò versu, sed & sequenti 14. Pseudo-Romanorum invocatio sanctorum arguitur & condemnatur. *Quomodo igitur*, inquit Apostolus, *invocabunt eum in quem non crediderint, &c.* Vnde perspicuum est ad veram & salutarem invocationem, requiri fidem, & quidem ea necessitate, qua causa requiritur ut producatur effectum: fides enim invocationis causa est, & ab ea nunquam dissociatur. Ea demum vera Deoque placens invocatio est, quæ profluit ex fide: ut ea demum vera fides est, quæ conjungitur cum Invocatione Dei. Quare manifestum est, invocationem religiosam & petitricem salutis nulli nisi Deo Christoque in quem solum credere jussi sumus, deberi. Sanctis igitur & Angelis ablandiri, virtutemque eorum in auxilium salutis nostræ precibus invocare, contumelia Salvatoris est & enormis impietas.

Versu 15. dicit Apostolus: *Quàm speciosi sunt pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona.* Quam melle quovis & nectare dulciorem sententiam Pseudo-Romani ad extollendam Pontificalem superbiam intoleranda perversitate detorserunt; hoc enim prætextu Pontifex abutitur, ut pedes suos auratis gemmatisque crepitis indutos regibus & regum pueris porrigat osculandos. Qua in re quantum à Romanæ religionis veritate degeneraverint, luce clarius est: Nam idipsum quod Apostolus enunciat de cœlesti divinoque Euangelii nuncio quod inopes illi sanctique præcones, nudis & fatigatis sæpè pedibus emensi viam, promulgabant, Apostolicæ Romanæque simplicitatis desertores Pontifices in pedum suorum superbissimum cultum commutaverunt.

Verùm quod Apostolus vers. 18. 19. 20. Prophetarum oracula

tam crebra repetitione profert in doctrinæ ſuæ ſtabilimentum, argumentum nobis invictum ſuppeditat, quod Scriptura veteris Teſtamenti, norma fuerit ipſis Apoſtolis & regula qua doctrinam ſuam moderabantur. Quæ res cùm ſicuti dictum eſt, ſeſe habeat, quis & veteris & novi fœderis monumenta dictata à Spiritu ſancto, conſcripta à ſacratiſſimis viris, pro fidei canone & norma recipienda negabit? Et hîc igitur à Pſeudo-Romanis Romanæ doctrinæ repugnatur acerrimè.

Verſu 20. dicit Apoſtolus: *Inventus ſum ab iis qui me non quærebant, conſpicuus factus ſum iis qui de me non interrogabant.* Si gentes igitur omni cognitione, timore, cultuque Dei vacuæ, prona tamen Dei benignitate in Civitatem ſanctam & cœleſtem aſcriptæ ſunt, ſilendum eſt Pſeudo-Romanis de dignitate & meritis operum quæ tanquam præparatoria jactitant ad ſalutem adipiſcendam. Nos autem à cæleſti magiſtro melius edocti, qua par eſt animi ſubmiſſione & reverentia, magnitudinem miſericordiæ divinæ quæ ſemet ultrò non quærentibus obtulit, mirantes & grati veneramur.

CAPVT XI.

His defuncti caput undecimum aggrediamur, ubi primo ſtatim introitu Paulus exemplo ſuo fideles edocet de ſalutis & electionis certitudine, quaſi jam tunc inſanam Pſeudo-Romanorum doctrinam de ſalutis incertitudine prævidens, contra periculoſos corruptorum dolos poſteritatem præmunire voluiſſet, verſ. 2. poſitionem ſtatuit Apoſtolus cum certam tum manifeſtam, cauſam nempe ſalutis æternæ primam & immutabilem eſſe præcognitionem, hoc eſt æternam dilectionem & electionem Dei, non è præviſis operum meritis, ſed merâ Dei miſericordis gratia profectam: unde manifeſtum eſt, præcognitos & electos à Deo, nunquam repelli, nec amore excludi, aut in exitium relabi.

Poſt hæc diligentem hiſtoriæ ſacræ & accuratam lectionem Romanis ſuis commendat Apoſtolus, *an neſcitis*, inquiens; quaſi dicat, vos qui cœleſtem auditis doctorem, qui vos inſtituendos tradidiſtis diſciplinâ ſalutis, ignorare Scripturæ exempla, & in hiſtoria ſacra hoſpites eſſe non debetis. Turpe enim eſt & pudendum Chriſtiani ſibi nomen arrogare, & illorum interim monumentorum rudem eſſe quibus humano generi ſe Chriſtus patefecit,

cit. Quo Pauli dogmate Pſeudo-Romani damnantur, qui Scripturas à populo legi Cerbereis edictis vetuerunt. Sed quid eſt quod neſcire Romanos prohibet Apoſtolus? *quid dicat Scriptura*: frequenter enim Paulus ad teſtimonium vocat ſermonem Scripturæ, tanquam verbum, vocem & ſententiam ipſius Dei loquentis è cœlo. Quare magna Scripturæ à Pſeudo-Romanis illata eſt contumelia, qui veluti mutam brutamque literam è controverſiarum foro & judicii ſubſelliis exegerunt.

Sed nos Apoſtoli diſciplinæ gerentes morem, Scripturarum & finem & uſum longè diverſum didicimus: ſcilicet unicam eſſe fidei normam, omnemque ſalutaris diſciplinæ ſcientiam hujus unius regulâ præſcriptiſque moderandam eſſe. Sic enim Chriſtus ipſe jubet Ioh. 3. 39. *Scrutamini Scripturas, illæ enim de me teſtificantur.* Nullum enim ſui ipſius teſtimonium, non aliud de ſuis inſtitutis judicium niſi è Scripturis admittit.

Sed ex hoc effato Pauli geminum Scripturarum uſum diligentius obſervemus. Prior uſus in probandis confirmandiſque dogmatibus verſatur. Hunc enim Scripturis aſſerit Apoſtolus, dum iis ad inſtitutorum ſuorum utitur fidem & ſtabilimentum. Quapropter in Eccleſiam dogma nullum niſi Scripturæ judicio probatum recipi debere, contra Pſeudo-Romanorum placita, ſatis evictum eſt.

Sed uſus alter in doctrinarum interpretatione, Scripturarumque declaratione occupatur. Verùm hîc Pſeudo-Romani commentis ingeniorum ſuorum nimium indulgentes interpretem Scripturarum alium à Scriptura quærunt, illâque authoritate Papam ſuum inſtruunt, ambiguas quippe Scripturas, & de ſenſu illarum ſententiâque lites inter doctos graviſſimas oboriri cauſantes; jus interpretandi Pontifici tanquam Dei Conſiliario, & cui ſecreta cœlorum innituntur, attribuerunt.

Quod commentum cum impium, tum abſurdum eſſe quis non videt? Concedamus enim de Scripturæ ſententiâ quandoque quæri & ambigi inter prudentes: at hoc nunquam factum eſſe de totius Scripturæ ſenſu ſanus affirmaverit: aliquando de loci unius vel alterius ſententiâ controverti poſſe nullus abnuerit: ſed illæ lites non aliter componuntur, quàm ſi locus unus obſcurior alterius paralleli luce & claritate illuſtratur: Scripturarum enim è Scripturis arceſſenda eſt interpretatio, mutua enim conſpiratione ſingula tendunt in aliorum declarationem. Igitur inſtituta locorum collatione, dubitationes omnes expeditæ, tene-

bræ diſcuſſæ, totaque Scriptura ſui ipſius luce clara erit & illuſtris, modò non altum ſapere, ſed ſobriâ cognitione ſaluti ſtudere tantum annitamur.

Hoc conſilio Paulus utitur, & ſuo nobis exemplo viam præivit: *Cæteri occaluerunt*, inquit verſu 7. quæ ſententia cùm videri poſſit obſcurior, eandem illuſtriori explicavit deprompto è Ieſaiæ 29. teſtimonio, *dedit iis ſpiritum ſoporis*; cui cùm adhuc ineſſe videri poſſit aliquid inexplicatius, ex eodem Ieſaia 6. clariſſima quadam phraſi tenebras omnes diſcuſſit, inquiens, *ut oculis non videant*. Qua methodo interpretationis dum utitur Eccleſia, fruſtra de Scripturarum obſcuritate Pſeudo-Romani oblatraverint.

Verſ. 3. & 4. Status Eccleſiæ tam tenuis, & eo redactus anguſtiarum ab Apoſtolo ſub Eliæ perſona deſcribitur, ut deleta funditus, & ab imis everſa videretur fundamentis, cùm nihilominus in occulto ſeptem millia, numero quidem exigui, ſed vivida religione virtus, Dei cultum & Eccleſiæ dignitatem ſuſtinerent. Sed Papiſtæ veterum ſimplicitatis obliti, totum Eccleſiæ decus in abundantia divitiarum, in fructu commodiſque pacis, in apparatu ſplendido, pomparumque invidendarum magnificentia conſtituerunt.

Eodem illo ſermone palam evincitur, Imagini genu flectere (cujus infandi cultus inter Papiſtas negligentia, igne, ferro, laqueis & uncis expiatur) facinus indignum eſſe, & à Deo damnatum: quia ſcelerum illorum non compertos Deus aſcribit in numerum ſui gregis. Sed in eo quod dicit divinum oraculum: *Feci ut remanſerint mihi ſeptem millia virorum, &c.* perſpicuè ſatis aſſeritur Dei gratia. Non enim operum meritis ſed gratuita Dei clementia ſuperſtites hæ reliquiæ fuiſſe perhibentur. Non enim dicit Eliæ Deus, ſeptem illa millia mihi relicta ſunt, vel ſemet mihi reliquerunt, ſed ut relinquerentur ipſe virtute mea & efficacia gratiæ perfeci. Cauſam igitur cur reliquis infando cultu contaminatis, hæ reliquiæ non deſciverint à veritate religionis, haudquaquam in operum meritis, perſonarum dignitate, vel libertate arbitrii, ſed in ſola Dei miſerantis electione gratiaque conſtituit, qua præ cæteris exiguam hanc fidelium manum fuerat dignatus.

Verſu quinto ſextoque, probat Electionem è gratia, non ex prævisis operibus proficiſci. Nec ita multò poſt, inter naturales & inſititios ramos inſtituta comparatione, Romanos à ſuperbia animo-

animorumque elatione deterret, exemplis eorum ante oculos propositis, qui quod in fide vacillarent, in exitium præcipites dati sunt.

Versu 13. Apostolica gravitate muneris sui dignitatem Paulus extollit hisce verbis. *Nam quod vobis dico gentibus, quatenus ego quidem sum Apostolus Gentium, ministerium meum illustro*, qua Apostoli oratione fastus omnis & Tyrannica Pontificis dominatio conculcatur. Nam si regimen & imperium Ecclesiæ cuiquam mortali genere nato conveniisset, illa certè prærogativa non Petro sed Paulo deberetur; inquit enim, *Ego sum Apostolus gentium*, nec hoc loco tantùm muneris hujus amplitudinem, sed & multis aliis asseverat: ut cap. 15. vers. 16. ejusdem Epistolæ, item cap. 16. vers. 4. ad Gal. cap. 2. vers. 7. Quocirca si quis imponendus esset Ecclesiæ summus moderator, honore tanto Paulus frueretur, verùm cùm honor ille cedat in contumeliam Christi, studiosè tantum dedecus à se amolitur Apostolus, cui Paulinæ & Romanæ moderationi cùm Pseudo-Romani reluctentur, impudentiam usurpati imperii diris tandem suppliciis Domino suo luent.

Vers. 21. *Nam si Deus*, inquit, *naturalibus ramis, ob incredulitatem fractis & avulsis non pepercit, vide ne tibi quoque, si fidem neglexeris, non parcat*. Quam Apostoli monitionem, tanta superbiâ Papistæ respuerunt, ut in summa securitate judicii divini, nec errare Ecclesiam, nec exorbitare posse contendant.

Vers. 24. *Etenim*, inquit Apostolus, *si tu ex naturali exectus oleastro & præter naturam insitus es in veram oleam, &c.* Unde colligitur, naturam ad id quod contra naturam est nec operam ullam conferre nec auxilium posse. Nihil enim operæ vel auxilii cogitari potest quo semet oleaster præparat ut in oleam inseratur. Mirabilis igitur Pseudo-Romanorum pertinacia, qui vires humanæ naturæ tantas prædicant, ut iis se præparare & idoneam facere possit, ut Christo præter naturam inseratur. Nec enim Apostoli doctrinæ tantùm, hæc impietas, sed ipsius Christi disertissimæ sententiæ adversatur. Ioh. 15. 5. Vitem eò loci semet ipsum egregiâ similitudine Christus appellans, homines autem palmitum nomine denotans, ut omnem naturæ fastum exscinderet, *absque me*, inquit, *nihil potestis facere*.

Subjungit Apostolus vers. 27. *Quum abstulero peccata ipsorum, &c.* Quâ sententia perspicuum est, peculiarem esse divinæ majestatis prærogativam, voluntariâ & gratuitâ clementiâ remittere & condonare peccata sui populi. Quanquam enim Ecclesiæ suæ claves

ves Deus commiserit, haud tamen idcirco ministros absoluta potestate, meroque imperio ligandi solvendique pro libitu munivit: sed illis in mandatis dedit ut voluntatem suam de remittendis puniendisve peccatis populo patefacerent, & pœnitentes quidem condonatione delictorum solarentur, refractarios autem & rebelles comminatione judicii terrerent; Nam Ecclesiæ duas omninò claves relictas esse à divinâ paginâ sumus edocti, quarum una *verbum Dei* est, quâ peccatorum remissio pœnitentibus prædicatur, Matth. 28. Altera fides animis inserta & in cordibus efficax Mar. 16. 16. *Nam qui credit & baptizatur salvabitur.* Hæ claves nisi consenserint & conspirarint, nulla peccatorum expectanda est remissio.

Pseudo-Romani vero qui facultatem remittendorum peccatorum absolutam, autoritatemque supremam Ecclesiæ datam esse mentiuntur, non Romanæ modo religionis corruptores, sed impostores & plani simplicium mortalium carnifices judicandi sunt. Versu 29. *Dona Dei, vocationemque ad salutem, illius esse natura* dicit, *ut eorum pœnitere Deum non possit*, ut data semel nunquam repetantur, ut rata certaque firmitudinem suam conservent & immutabilitatem. Cui Romanæ salutarique doctrinæ, convitiis & contumeliis obstrepunt Papistæ, qui fidem & fiduciam in Dei promissis arrogantiam appellantes, incertos salutis animos, & inter obscuram spem & formidinem suspensos, ob infamem quæstum retinent, ut eam plura licitantibus vendant.

Vers. 33. 34. Protervam humani ingenii curiositatem & cupidinem castigat Apostolus, quæ cœlum ipsum stultitiâ petens, arcana Dei, nefaria diligentia rimatur, quam ut ad modestiam revocaret, & moderationem, ultra Dei gratiâ cogitationes evehi tacitè vetat, cum ait. *Quis prior dedit ei, & retribuetur ei?* Quâ Pauli sententiâ, omnes illæ Pseudo-Romanorum pestes de prævisis operibus, & meritis humanis extinctæ sunt, quas in Ecclesiæ Romanæ contumeliam & religionis opprobrium novo fœtu Papatus peperit, & exitiabili pabulo educavit.

Hactenus Romanæ religionis in doctrina salutis, à Papistarum impiissimis commentis discrepantium, Apostolo præeunte, prosecuti sumus. Animus est, ut ordo postulat, mores & instituta vitæ, Romanis ab Apostolo commendata & tradita cum corruptissimis Papistarum degenerum moribus & justitutis comparare.

CAPVT

CAPVT XII.

AC initio quidem cap. 12. Morum instituendorum exordium auspicatur à cultu Dei, *Adhortor igitur vos fratres*, inquit, *per miserationes Dei, ut sistatis corpora vestra hostiam vivam, placentem Deo, rationalem illum cultum vestrum: ut oblatio gentium*, dicit idem Apostolus cap. 15. Vers. 16. *accepta fiat sanctificata per Spiritum Sanctum.* Quod Apostoli præceptum, & institutum Romanorum, Pontificii à vita cultui divino & spirituali consecranda, in impium & detestandum Missæ Sacrificium converterunt; cujus adeo scelerata est & noxia pravitas, ut nulli pio fas sit profanum Templi limen insistere, quanquam ad hoc, modo venerit, ut novitate scenici spectaculi curiosum animum oblectet.

Qua in re à peregrinantibus falsâ impunitatis persuasione deceptis, apertè nimis & audaciter peccatur. Inquit enim Apostolus, *Corpora vestra sistite hostiam vivam, sanctam, placentem Deo, &c.* Deus enim cùm sit & animæ & corporis creator, utriusque cultum à nobis jure suo, meritò flagitat, secundùm illud Pauli monitum 1 Cor. 6. 19. *an ignoratis corpus vestrum esse templum Spiritus sancti, qui est in vobis, quem habetis à Deo, neque esse vestri juris.* (20) *Nam empti estis pretio, glorificate igitur Deum in corpore vestro & in Spiritu vestro quæ sunt Dei.* Quocirca gravi reprehensione multandi sunt, qui puritatem Euangelii domi profitentur, foris autem Idolatrarum turbæ immixti eandem dissimulant.

Sic enim & Deum dedecorant, & gravem hominibus injuriam inferunt; ac primum illis qui superstitione jamdudum imbuti, dum eam nostrorum hominum præsentiâ probari putant, magis in erroribus suis occalescunt; deinceps & aliis qui dubii & ancipites, & ad omnem auram mutabiles, veritatem religionis quam nondum penitus imbiberuut, horum exemplo permoti, facile deserunt. Quæ res quantam labem & perniciem rei Christianæ dederit, haud facile dictu est. Sed præter hoc Christianæ pietatis violatum officium, divinam insuper majestatem dehonestant.

Clamat enim Apostolus, *Sistite corpora vestra, &c.* hoc est, non modo domi, sub oculis vestrorum civium, in ambitu patriæ, sed omni tempore, nullo non loco, in quascunque vos oras vel voluntas tulerit vel casus. Monet idem Thessalonicenses & omnes pietatis

tatis illorum æmulos, 1 ad Theſſal. cap. 5. ver. 22. *ut abſtineant ab omni ſpecie mali.* Quod Apoſtoli monitum nimiâ animi ſupinitate ab illis negligitur, qui ſuperſtitionis infandæ diris ritibus immiſti non ſolùm ſpecie malorum non abſtinent, ſed ipſum malum amplecti, nequitiamque religionis approbare ſocietate ſua videntur.

Nec enim corpora ſua Deo ſiſtere, ſed imperio Diaboli præſtò eſſe judicandi ſunt, qui gregi malorum ſemet aſſociantes ſuperſtitionem à Deo vetitam & inviſam cœlo, qualicunque præſentia ſua vel approbant vel cohoneſtant. Deum igitur huic temeratiæ levitati, tam graviter iraſcentem revereamur, pedemque referamus ex illis locis ubi dominatur impietas, exulat religio, tota denique cœlorum majeſtas execrando dedecore violatur. Ecquis enim ſanctâ ſynceraque mente precabitur, *Sanctificetur nomen tuum*, qui Miſſæ opprobriis & in ſanctam Trinitatem contumeliis præſentia ſua patrocinatur? Quis optabit quo par eſt animi voto, *Veniat regnum tuum*, qui Miſſæ nequitiis, quæ Dei regnum deſtruunt, cum voluptate interfuerit? Quis orabit, *Fiat voluntas tua*, dum propriæ voluntati in celebrando Miſſæ choragio obtemperat? Qua fronte tandem apprecabimur, *Libera nos à malo*, cum ſpontanea deſtinatione animi in Miſſam, extremum omnium malorum, libidini pravæ novitatis morem gerentes, noſmet præcipitemus? Quare ſi fictis & ſimulatis precibus Deum non ludificamur, ſi corpora noſtra Deo ſiſtere non indignamur, agedum ab ea pravitate, quæ cœleſtem iram in nos irritat, quam longiſſimè refugiamus.

Ver. 2. *Ne vos*, inquit, *configurate ſæculo iſti, ſed transformate vos per renovationem mentis veſtræ ad hoc, ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona illa, placens & perfecta.* Papiſtæ verò non ad probandum Dei voluntatem in verbo ſuo revelatam, ſed ad cleri fictas & commentitias opiniones auſcultandas, homines adhortantur: quas ut aure ſurda reſpuamus, monemur ab Apoſtolo cap. 16. ver. 17. *Precor enim vos fratres*, inquit, *ut obſervetis diſſidiorum authores contra doctrinam, quam vos didiciſtis, & declinetis eos.* Neque Coracum illorum odioſis & moleſtis clamoribus, quos identidem de Eccleſia ingeminant, commoveri nos patiamur, ut vel unguem latum à doctrinâ Romanis tradita qua tanquam filo piorum regi debent veſtigia, deflectamus, præſertim conſcii non ſponſæ, per muliebrem impotentiam jubenti, ſed Chriſto ſponſo ſapienter & utiliter imperanti obtemperandū eſſe.

Cæterum

Cæterum hoc eodem versu Pseudo-Romanorum perniciosus error exploditur, quem de parte cõcupiscibili corruptâ commenti sunt, integra manente rationali & potente sui. Quam insaniam olim quoque Philosophi insaniverunt; pravitatem enim & cæcitatem animorum ipsi cæci pravique non animadvertebant. Hinc est quod dicat Arist. Eth. lib. 1. cap. 13. *Rationem semper ad meliora nos movere.* Quod illius effatum quanquam in morali civilique vita modo quodam verum esse videatur, in divinis tamen rebus & negotio salutis æternæ, mentes sapientissimorum hominum magis cæcutiunt, quam noctuarum & vespertilionum oculi, ad lucem meridianam hebetantur: tanta pravitate cum ad cœlestia vocatur, distorta mens est, ut sine renovatione, quam vocat Apostolus, ad Deum accedere non possit.

Verùm haud perfunctoriè considerandum est, quod ipsos quoque regeneratos ad renovationem hanc adhortatur Apostolus; unde facile colligitur etiam in illis ipsis residuam esse cæcitatem pravitatemque quæ majorem indies lucem emendationemque postulet. Et hujus quidem imbecillitatis suæ conscientiam Apostolus non dissimulat. 1. Cor. 13. 9. & ad Rom. 7. At Pseudo-Romani, qui perfectionis suæ gloria superbiunt dum vitia celant, & remedia negligunt, inemendabili pravitate jamdudum corrupti sunt.

Ver. 3. gravitatem Apostolicam Paulus interserit. *Enimvero per gratiam, quæ mihi data est, edico cuivis versanti inter vos, ne sapiat supra quam oportet sapere, sed sapiat &c.* Quo Christianæ moderationis edicto, cùm omnem in omni hominum genere arrogantiam damnaverit Apostolus, quo Schemate fastum suum & superbiam purgaturus est Pontifex, qui sibi cuncta arrogavit? Qui authoritatem, majestatem, jubendique jus solus occupavit? Qui scientiam omnem, omniaque salutis arcana in scrinio sui pectoris inclusisse videri cupit? Sanè si quid Apostolo credimus in Dei famulis & servis Christi, numerari non potest. Omnes enim qui Christo serviunt, aliqua donorum parte ditati sunt; omnia nemo solus adeptus est. At Papa cùm sibi soli, tanquam in vacuum veniset, omnia cessisse glorietur, non è Christi servis quos humilitas præclaros facit, sed Satanæ mancipiis, quæ superbia in præceps agit, judicandus est.

Sed hujus Antichristi fastus adeò limites transiliit, ut sibi vindicare quod Christo proprium est, non erubescat: Ait enim Apostolus vers. 5. *Multi, unum corpus sumus in Christo*: hoc est, multi

nos

nos sub uno capite Christo Iesu coadunati sumus: cui consonat quod ad Ephesios idem Paulus scribit, 1. 21. *Omnia subjecit pedibus ejus, eumque constituit caput supra omnia ipsi Ecclesiæ.* Et Coll. 1. 18. *Estque caput corporis Ecclesiæ, &c.* Quam principalem prærogativam Christo Regi propriam semper & peculiarem, solus arrogare sibi Pontifex impudentissimè sustinuit. Nam neque Petrus, nec ullus Apostolorum unquam honorè se tanto dignati sunt, ut Ecclesiæ caput appellari paterentur: erant enim Ecclesiæ membra, nec majorem sibi dignitatem attribuit Apostolus Paulus 1 Cor. 12. quam esse membrum & haberi. Qui tanti viri cum titulum hunc mortali fastigio majorem erubuerint, num huic tenebrioni relinquemus eum in prædam? Absit ut in tuendâ Christi gloriâ per ignaviam peccemus.

Sed audiamus loquentem Apostolum Ephes. 4. 11. 1 Cor. 12. 28. *Christus dedit*, inquit, *Ecclesiæ Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Doctores, Pastores*, sed aliud Ecclesiæ caput præter semetipsum non dedit. Quem enim alium reperiret qui vice capitis in Ecclesia fungeretur, cui corpus hoc dirigeret, flecteret, & gubernaret, & quod maximum est vitam & spiritum in singula membra suggereret & derivaret? præterea bicipitem Ecclesiam fingere nimis absurdum, & illum Ecclesiæ caput imponere, cujus se dedignetur Ecclesia corpus appellari, importunissimæ Tyrannidis est?

Sed relicta Pontificali superbia, cum Apostolo progrediamur; inquit enim vers. 6. *habentes autem diversa dona pro gratia quæ nobis data est, sive prophetiam, sapiamus ad sobrietatem juxta analogiam fidei.* Hanc doctrinæ regulam ab Apostolo præscriptam, quam ultra citrave Doctores Ecclesiæ vetuit consistere. Pseudo-Romani gnava impudentia transilierunt. Iubet igitur Apostolus ut omnis Scripturæ interpretatio, exhortatio, disceptatio, definitio, sit analoga fidei, hoc est, ne discedat à perpetuo & inviolabili Scripturarum consensu, qui fidei articulis, decalogo, & precatione dominicâ, expressus est. Hanc normam Apostoli religiosâ observantiâ coluerunt; ab hac ne latum quidem unguem Paulus deflexit: huic, ipse Christus honorem deferens, ad Scripturas nos ablegat ut eas scrutemur.

Sic Deus apud Iesaiam 8. *ad legem & testimonium, quisquis non dixerit secundum hoc verbum, non erit ei lux matutina.* Præter Scripturas igitur, alia nulla regula, nulla expositio in Ecclesiam recipienda est: vetat enim expressissimo mandato Spiritus sanctus, ne

super

ſuper divinum Scripturæ fundamentum, fœnum, ſtipulas, quiſquiliaſque ſuperſtruamus, hoc eſt, ulla in Eccleſiam admittamus interpretamenta, quæ cum analogia fidei & religionis Chriſtianæ fundamento pugnant & adverſantur.

Tumultuantes igitur Pſeudo-Romanos, cum Iudicem controverſiarum Scripturam rejiciunt, & Papam ſubſortiuntur, facile compeſcemus. Iubemur enim unicam in Eccleſia regulam, & unum Iudicem Analogiam fidei recipere, quæ nihil aliud eſt, quam Scripturæ conſenſus & authoritas, quæ ſola labi & errare neſcia ſumma veritate & integritate lites dijudicat, & à cujus tribunali, mentibus hominum appellare nefas eſt. Hanc regulam & Divus Petrus Epiſt. 2. cap. 1. 19. Eccleſiis commendat, inquiens, *Habemus firmiorem ſermonem Prophetarum, cui attendentes ceu lucernæ lucenti in obſcuro loco, recte facitis.* Et divus Paulus ejus regulæ commodum & utilitatem Galatis exponens, inquit, *Quicunque ſecundùm canonem incedunt, ſuper eos erit beatitudo.*

Sed obclamant Pſeudo-Romani, ipſam hanc Analogiam & quid illi vel conſentaneum vel diſſentaneum ſit ab alio Iudice cognoſci debere & diſceptari. Sanè inter cæcos num ſol meridie luceat, litigantes, opus erit alio Iudice qui litem componat; inter videntes non erit. Equidem Prophetarum oracula, ſcripta Apoſtolorũ, ſunt inſtar lucernæ lucentis in tenebricoſo loco, hoc eſt, lucis ſuæ radiis caliginem & tenebras in piorum animis diſcutiunt & evincunt. Qui litem igitur de luce Scripturæ movent, oculos ſibi mentis hebetatos eſſe profitentur, imo tanta ſe cæcitate damnatos, ut nullo lucis auxilio juvari poſſint.

Sed eſto; Iudice propter abſurda quorundam & moroſa ingenia, fuerit opus. Tunc Apoſtolo conſulenti obtemperemus. Si judicia habeatis, inquit, de rebus illis quarum uſu vita mortalium indiget, eos qui minimi ſiunt in Eccleſia, Iudicum ſubſelliis collocate. Inveniet igitur Eccleſia qui pares huic muneri Iudicii onus ſuſtineant: mandemus hanc, ut conſulit Apoſtolus Eccleſiæ curam, illa providebit ne quid ipſa capiat detrimenti: cordatos pioſque deliget qui litem juxta fidei Analogiam dirimant, & ſatisfaciant animis bonorum. Præfractos autem hæreticos, & qui pertinacia errorum occaluerunt, frangas facilius quam judicando corrigas: illorum igitur inſania Deo ſoli ſananda relinquitur: unus enim ille eſt qui morbos tam intractabiles mederi, vel cùm pertæſum fuerit, reſecare poteſt.

CAPVT XIII.

AD decimum tertium nunc veniamus. In decimo tertio, omnem legitimi Magiſtratus formam, rem ſacram eſſe docet, nempe Dei ordinationem, inſtituitque Romanos ad obſequium, ne libertatem Chriſtianam abſurdè interpretantes, Magiſtratus imperium detrectarent, ut qui à Dei filio eſſent emancipati. Quapropter inquit verſ. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſuperioribus eſto ſubjecta.* Non illi ſolùm, qui procul à Dei regno nulla cum Chriſto ſocietate continentur, ſed & vos quoque, qui adacti in ſacramentum Chriſti, regimini Spiritu Dei. Verùm Papa non contentus Clerum ſubduxiſſe Magiſtratus imperio, tanquam ad illos, factos jam libertos Dei, nec jura pertinerent, neque leges, ita ſuper omnium Regum Principumque faſtigium aſſurrexit, ut Deus quiſpiam inter homines haberi velit, Magiſtratuum capitibus illudat, in dicto non audientes excommunicationis fulmina jaculetur, ſolutoſque fide & obſequio ſubditos, conſternet ad rebellionem, lymphataſque furore mentes, ad perniciem Principum & parricidia Regum impellat.

Quo nefario ſcelere, cum tantum ab Apoſtoli doctrina, Romanorumque exemplo Papatus abierit, inſanus, inteſtabilis, atque omni ſupplicio dignus exiſtimandus eſt. Verùm hoc eodem capite plures examinandæ differentiæ ſuperſunt. Verſ. 8. *Nemini*, inquit Apoſtolus, *quicquam debete niſi hoc, ut alii alios diligatis.* Vbi notandum eſt, ad charitatis & juſtitiæ civilis ſtudium à natura nos obligari, omniaque ejuſcemodi officia tanquam debita nobis commendari, ne qua meritorum opinione noſmetipſos decipiamus.

Sed rationem hortationis Apoſtolicæ penitius introſpiciamus, expendamuſque num aliquid ex ea poſſit exculpi, quod patronis meritorum in ſtabilienda ſententia ſua commodum adferat aut utilitatem. Et ratio quidem hæc eſt, *nam qui diligit alterum*, inquit, *legem implevit*; deducitur autem cùm ab utili tùm ab honeſto. Dilectio enim eſt impletio legis qua nihil præclarius, nihil pulchrius, nihil honeſtius, quippe, quæ legi divinæ, ipſique Deo conſentanea eſt: cæterum eadem nihil utilius, nihil ſalutarius, nihil beatius eſt, utpote quæ cum hujus tum futuræ vitæ promiſſionibus ditatur.

Sed hic hiatu magno conclamant Pontificii, quaſi meritis operum

rum lauream acquisiviſſent. Si charitas eſt impletio legis tum ſanè poſſibilis eſt & vitæ promiſſæ præmium ſua virtute commerita. At ſequela quam ſibi fingunt & vana & falſa eſt. Duplex enim eſt impletio legis; una partium, altera graduum obedientiæ legalis. Neutra tamen meritorum loco cenſeri debet, cum utraque vinculo obligationis debeatur. A debitis autem excludi meritũ quis negabit? Poſſibilem eſſe tamen hanc implẽtionem non omnino diffitemur; Sed eatenus tantùm qua perfecta poſſibilis eſt dilectio, quæ partibus in hac vita quidem inchoatur, gradibus autem abſolvetur in cœlo.

Quapropter hic quidem proximum diligere ſecundum omnia mandata Dei non impoſſibile eſt, ſed eundem ea perfectione diligere quam divina lex exigit, qualemque in cœlo futuram eſſe credimus, nec opis eſt noſtræ nec facultatis. Partibus igitur non gradibus impletionem legis poſſibilem eſſe concedimus. Et quidem Apoſtolo de priori ſermonem eſſe, legalium omnium præceptorum enumeratio ſubinde manifeſtat. Vnde facilis eſt argumenti quo Pſeudo-Romani ſuperbiunt refutatio. Legis, inquiunt, obſervatio vera eſt juſtitia; qui proximum diligit, obſervat & implet legem: ergo qui proximum diligit, quod pios omnes facere dubium non eſt, è legis obſervantia juſtitiam aſſequitur & vitam promeretur.

Verùm hujus Syllogiſmi fallacia ſuo ſemet judicio prodit. Quatuor enim, ut Dialectici loquuntur, in eo termini ſunt. Major de legis obſervatione perfecta loquitur, partibus omnibus & gradibus abſoluta nullaque vitiorum macula contaminata, quæ ſola vera juſtitia cenſeri poteſt: minor autem de legis obſequio cæpto primùm & inchoato, cujus omnis perfectio partibus tantùm, non gradibus conſiſtit: multis enim peccatorum reliquiis maculata, nævisque inſperſa eſt etiam optimorum legalis obſervantia: nec mirum, cùm ipſa charitas ex parte tantum in hac vita abſolvatur, utpote quæ cognitionem noſtram quæ viventibus in hoc terreno domicilio tenebricoſa eſt & imperfecta, paſſibus æquis ponè ſubſequitur, & nunquam præcurrit: unde manifeſtum, nec charitate, nec legis obſequio juſtitiam acquiri; nam ubi reſidua eſt vel minima peccati lues, juſtitiæ puritas haberi non poteſt.

Inanis igitur eſt Pſeudo-Romanorum ſuperbia, exiſtimantium, ſi hunc vel illum amore quamvis imbecillo proſequantur, & etiam dum alios oderunt malè, ſe legi tamen & Dei mandatis ſa-

tisfeciſſe. Charitas enim in omnes pari lege & quidem perfecta abſolutaque flagitatur.

Verùm ſi largiamur ab hoc vel illo legem impleri poſſe; num propterea vitam illis æternam deberi tanquam ſanctitate ſua eam pro meritis aſſeremus? Abſit ab illis, qui nihil non debere Deo & cupiunt & gaudent, tanta impietas. Dicit enim Salvator cap. 17. verſ. 10. Euangelii D. Luc. *Quum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus: nam quod debuimus facere, fecimus.* Imo & cap. 2. legis ſuæ, cœleſtis Legiſlator: *Facio miſericordiam in millia, his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.* Quare ſi illi quos ad vitæ præmium poſt exantlatos pro virili ſua labores, & poſt præſtitum pro viribus obſequium Deus evocat, gratiâ tamen & commiſerantis optimi patris clementiâ ſalvantur, non eſt quod Pſeudo-Romani meritis operum confiſi, quicquam de obſequio ſuo glorientur.

Verſu quoque nono conſiderationem meretur præceptum, *non concupiſces*, quod unicâ voce prolatum eſt, ne geminum aut duplex mandatum à Novatoribus effingeretur. Verſ. 11. ſubjungit Apoſtolus. *Nunc propius nos eſt ſalus quam cum credidimus:* unde liquet eos etiam qui primis fidei rudimentis imbuuntur, ſalutem habere ſibi propinquam, hoc eſt firmâ ſalutis ſuæ fiduciâ roborari, ad quam eo propius indies admoventur, quo majori promptitudine & alacritate ad eam accelerant.

CAPVT XIV.

IN Decimo-quarto verbis ita manifeſtis Chriſtianam aſſerit libertatem, ut mirum ſit eo temeritatis prolabi potuiſſe Pontificios, ut auſi ſint in conſcientias exercere Tyrannidem. *Novi* dicit Apoſtolus verſ. 14. *& perſuaſum habeo per Dominum Ieſum, nihil eſſe impurum per ſe, hoc eſt naturâ ſuâ, &c.* 17. *non enim eſt regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia, & pax & gaudium per Spiritum Sanctum. Nam qui per hæc ſervit Chriſto, gratus eſt Deo & acceptus hominibus. Ne cibi causâ deſtrue opus Dei.* At in Papatu quot innocentium hominum ſanguine permaduit humus, haud ob aliud effuſo flagitium, quam quod diebus, inſanorum edicto prohibitis, ediſſe carnem accuſarentur? In Papatu ergo, contra Romanam libertatem, à Chriſto partam, ab Apoſtolo commendatam, conſervatam à fidelibus, in cibo potuque conſtituitur regnum Dei. Pax autem & juſtitia, & gaudium per Spiritum ſanctum

ctum sola cælestis imperii munimenta, non solùm ex animis Papistarum relegata sunt, sed grande nefas insuper & piandum morte putatur, si quis à Deo datum sibi Spiritum, vel spirituale donum aliquod profiteatur.

Sed quæ restant excutiamus. *Alius quidem credit* inquit Apostolus, *vesci licere quibusvis, &c.* Quâ Pauli sententia si vocem *credendi* diligentius observemus, ad labefactandum Pseudo-Romanorum dogma de salutis incertitudine, plurimum confert adjumenti, *Credere* enim idem est, quod scire, nosse, assentiri, persuasum esse, & inscitiæ, ignorantiæ, dubitationi in ciborum delectu opponitur. Sic 14. Vers. Quid sit *Credere* manifestius exponit Apostolus, *Novi & persuasum habeo per Dominum Iesum.* Hinc igitur quid ipsa fides sit abundè scrutantibus enotescit. Pseudo-Romani (sustinente vicem omnium Bellar. lib. 1. cap. 5. de Iustif.) fidem assensu solo definiunt, notitiam vel scientiam esse negant: & *Credere* nihil aliud esse dicunt quam assentiri doctrinæ in Ecclesiâ receptæ, quanquam eam nescias & ignores, ideoque fidem fingunt implicitam, procul omni certitudine seclusâ.

Verum Apostolus eos *credere* tantum asseverat, qui sciunt, intelligunt, assentiuntur indubitatâ persuasione, nullos sibi cibos in pastum interdictos esse. Nescientibus autem, ignorantibus, dubiis, fidem quidem omnem non adimit, imbecillitatem autem & infirmitatem attribuit. Igitur Apostolica & Romana fides scientiam, assensum, persuasionem rerum cœlestium ambitu suo complectitur, & ea quidem, cum circa Dei verbum promiscuè versatur fides absolute vocatur: at cum Dei promissiones de remissione peccatorum ob Christi meritum apprehendit, fides justificans in sacra pagina nominatur.

Sed hoc discrimen Romanæ & Pseudo-Romanæ fidei velut indice digito monstrasse sufficiat versu 3. Subjungit Apostolus *Proprio Domino stat aut cadit, stabilietur tamen, potest enim Deus eum stabilire.* Conjungit hîc Apostolus Dei voluntatem cum ejusdem potentia: voluntatem enim asserit cum inquit *Stabilietur*, potentiam cum addit *Potest enim Deus.* Et hac quidem consuetudine sociandi cum potentia voluntatem, viri sancti, cum de Deo loquuntur, uti passim deprehenduntur. Pseudo-Romani vero cum in Missæ suæ dilirio, à posse ad esse argutantur, occasionem ineptissimis hominibus aperuerunt, qua somnia sua & anilia commenta intruderent in Ecclesiam Dei.

Sequitur vers. 8. *Sive igitur vivamus, sive moriamur, Domini*

ſumus. Hoc Apoſtolicum & Romanum ſolatium ſicuti conjecturalem Pſeudo-Romanorum fiduciam, qui dubios inter ſpem & metum animos excarnificant, aperte jugulat; purgatorii flammas, & fatuos illos ignes, planè reſtinxit: nam qui cum vivi tum mortui Domino ſuo Salvatori non avelluntur, illi nec purgationis indigent, quâ malorum reliquiæ aboleantur, nec tormentis cruciari poſſunt, à quibus Chriſti ſanguine fuerint redempti: *Beati enim qui in Domino moriuntur*. Sed Verſ. 11. rurſum ingeminat Apoſtolus *Scriptum eſt*, ut manifeſtum faciat Romanis, Scripturam eſſe verbum Dei cui ſoli fides piorum poſſit inniti, nec aliam ab ea religionis regulam aut normam Eccleſiis obtrudendam eſſe.

Verſ. 18. dicit Apoſtolus *Qui autem per hæc ſervit Chriſto, Deo gratus eſt*, edocens Romanos quibus in rebus genuinus & Germanus Dei cultus, veraque & non affectata religio verſetur, quorumque bonorum potiſſima nobis habenda cura ſit, nempe ut fide juſtificanti pacem & amicitiam ineamus cum Deo, lætitiâque ſpirituali perfruamur è ſenſu divinæ charitatis in corda noſtra per Spiritum ſanctum diffuſæ. Rom. 5. 5. Qua doctrina ſuum quoque Timotheum imbuit inquiens 1 Tim. 4. 8. *Corporalis exercitatio parum habet utilitatis, pietas vero ad omnia eſt utilis, habet promiſſiones hujus & futuræ vitæ*: & 2 Tim. 1. 5. *Finis mandati eſt charitas ex puro corde & conſcientiâ bonâ, & fide non ſimulata*: unde Pſeudo-Romanorum irreligioſa vanitas apertiſſimè damnatur, qui proram & puppim divini cultus, in ciborum, feriarum cæremoniarumque hiſtrionicis & larvatis nugamentis collocantes, pacem & charitatem ob ejuſcemodi quiſquilias violant.

Verſ. 23. Subjungit Apoſtolus *Quicquid vero ex fide non eſt, peccatum eſt*. Unde ſequitur omnes è puris, ut vocant, naturalibus, & libero mortalium arbitrio, profectas actiones, quamvis ſpecie virtutum & imitamentis extrinſecus oblinantur, in Dei tamen judicio, peccati malique reas teneri. Ratio autem, cur teneantur, in promptu eſt. Impoſſibile eſt ſine fide placere Deo, quod effatum non de perſonis tantùm, ſed illarum operibus etiam intelligendum eſt. Quocirca merita congrui, & actiones præparatoriæ, quas in irregeneratis commenti ſunt Pſeudo-Romani, tanquam impiæ & cum Romanorum doctrinâ diſſidium profeſſæ, procul è Chriſtiana Eccleſia exterminandæ ſunt.

CAPVT

CAPVT XV.

NVnc ad decimum quintum veniamus. In decimo quinto, tolerantiam fratrum imbecilliorum, ab Apostolo Romanis præscriptam, immani Inquisitionis acerbitate Papistæ populerunt, cujus Rhadamantæi judicii duritie & crudelitate, nihil Inferi magis importunum vel detestabile ad superos edidere. Sed in vers. 4. dicit Apostolus: *Quæ ante scripta sunt, ad nostram doctrinam ante scripta sunt, ut per tolerantiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Quod immensum Dei beneficium Ecclesiæ datum, ut à cœlesti magistro salutem suam edoceatur, ita penitus ingrati Papistæ aboleverunt, ut pœnis gravissimis interpositis, Cerbereis edictis à lectione sacrorum librorum, per quos unicus tamen in cœlum aditus est, miseros & ignaros salutis suæ mortales deterruerint.

Ver. 8. *Christum appellat ministrum Circumcisionis* famulantem *Judæis*, ut illorum salute propagaret gloriam sui patris. At Papistæ, magnificentiæ pomparumque studiosi, Monarcham fuisse perhibent, & in consortium Imperii, & hæredium Divum Petrum adsciviſſe, quanquam Christus ipse testatum reliquerit, in hoc mundo nullum sibi regnum esse, nullum Imperium, nihil denique quod ad humanæ magnificentiæ decus pertineret; Sic itaque Papistæ, contra sententiam Romanorum, Christum humilitatis exemplar, superbiæ Papalis authorem, insigni cum contumelia fecerunt.

Ver. 13. Precabundus ait Apostolus *Vtinam vero Deus spei impleat vos omni gaudio & spe.* vocat autem Deum Optimum Maximum Deum spei, cum objecti ratione, quia in Deo solo sperandum est, sicuti Timotheum suum adhortatur 1. Tim. 6. 1. *Vt moneat divites hujus sæculi, ut spem ponant in Deo vivo.* Et Ieremias comminando inculcat cap. 17. *Maledictus verò qui sperat in homine, & carnem ponit brachium suum.* Tum ratione effecti, quia solus ipse spem vivam in nobis generat, testante Petro, *Regenuit nos in spem vivam.* 1. Pet. 1. 3. Igitur invocatio Sanctorum mortuorumque hoc Dei Epitheto condemnatur, ut iniqua & contumeliosa in honorem Dei qui solus vult invocari. Psal. 50. *Invoca me in die &c.* ut invocantibus infida, fallax, noxia, spem enim nostram implere vel ratam facere, nec sancti possunt nec mortui. Quocirca Pseudo-Romanos qui Deum spei, sanctorum imploratione dedecorant,

corant, à Romanis impiissima defectione desciviſſe liquet.

Ver. 16. *Ad hoc*, inquit Apoſtolus, *ut ſim Miniſter Ieſu Chriſti apud Gentes : operans Euangelio Dei, ut oblatio Gentium fiat accepta, ſanctificata per Spiritum ſanctum.* Vnde ſacrificulorum & Miſſalium ſacerdotulorum ſtolidiſſima impietas meritò exſibilanda eſt. Paulus enim dum Euangelium præconio ſuo per orbem terrarum divulgat, gladio verbi mactaras Deo gentes obtulit in hoſtiam placentem. At Pſeudo-Romani dedignati Paulinum hoc & Romanum Sacerdotium, majorem ſibi dignitatem arrogarunt, Chriſtumque (uti gloriantur) indies in Miſſa mactatum & immolatum offerunt Deo. Qua horribili ſceleratáque ſacerrimæ Turbæ impietate, neque major, neque pernitioſior excogitari poteſt.

Ver. 17. *Habeo igitur*, inquit Apoſtolus, *quod glorier per Ieſum Chriſtum, in iis quæ ad Deum pertinent.* Quo loco magnifica quidem oratione Paulus Apoſtolatum ſuum prædicat, imò ſeriò de illius effectis triumphat, omnem tamen officii muneriſque ſui gloriam ad Chriſtum authorem piiſſimè reducit: quâ doctrina non hic tantùm utitur, ſed ubique fidelium animos imbuit eadem diſciplina, ne per ignaviam & oblivionem miſericordiæ Dei, pro collatis in nos cælitus beneficiis, gratiam & honorem Deo reddere cunctaremur. Hac iterata monitione caput Epiſtolæ poſtremum concludit, inquiens, *Soli ſapienti Deo gloria, per Ieſum Chriſtum in ſæcula. Amen.* Quam Apoſtolicam & Romanam in colenda religione diſciplinam, cum Pſeudo-Romani, Divarum, Divorumque pudendo cultu temeraverint, facile eſt colligere & prævidere, quid tandem illis futurum ſit, qui debitum honorem Deo Chriſtoque ſuffurantur.

Ver. 18. *Non enim ſuſtinuerim*, ait Divus Paulus, *quicquam loqui, quod non effecerit Chriſtus per me, adducendis ad obedientiam gentibus, verbis & factis.* Omnis ergo Pauli labor, dum Euangelium promulgat, in eo deſudabat, ut in obſequium fidei Gentes adduceret, eaſque ſub imperium redigeret optimi Salvatoris. Pſeudo-Romani verò parùm de Chriſti regno ſolliciti, in hominum obſequium homines cogunt, effectis diſtinctiſque in religione multifariis ſectis, quarum aliæ Franciſcum, aliæ Dominicum, aliæ Bernardum, quaſi Chriſti pudeat pigeatque Patronos colunt: Cum tamen hanc in Corinthiis diviſionem Apoſtolus ſeveriſſimè ſit deteſtatus, inquiens, 1. Cor. 1. 12. *Vnus dicit ego quidem ſum Pauli, ego verò Apollo, ego verò Cephæ, ego verò Chriſti.* 13. *Num diſper-*

titus

titus est Christus, inquit. Quocirca si Paulus ipse semet honore tanto dignari noluerit ut agnomẽto suo Christianos insigniri pateretur, quanto effrenatioris audaciæ est, ab homullis ne cum Paulo quidem nominandis, agnomenta & insignia, in opprobrium Christiani nominis, mutuari?

Nec hoc tantum, sed stolidum & iners illud vulgus, in obsequium illius Ordinis & sectæ cui se sacravit, jurejurando adigêre? cùm Divus Paulus ad obsequium Christi & imperium Euangelii accipiendum; non ad hominum exequenda mandata potenti suada mortales invitaret: Ait enim ipse 1 Cor. 7. 23. *Pretio empti estis, ne estote servi hominum.* Quapropter Pseudo-Romani, qui magis hominum jussis quàm Dei mandatis famulantur, non modò à Romana Ecclesia, sed tota Dei familia alieni sunt.

Ver. verò 20. tanquam rationem redditurus administrationis Euangelicæ, *Christum ita se prædicasse*, dicit, *ut super aliud fundamentum non ædificaverit.* Papistæ verò non Christo tantùm, sed & Petro tanquam fundamento inædificant: Quare cum à Romanorum fundamine, quod ab Apostolo jactum est, in extruendis Ecclesiis ipsi se voluntariâ contumaciâ avulserint, nec Ecclesiæ Catholicæ, nec Romanæ fundamentis, sed errorum & ignorantiæ syrtibus insistere putandi sunt.

CAPVT XVI.

TAndem ad novissimum Epistolæ Caput, ope divinâ perventum est, ubi Paulus Ecclesiarum honorificè meminit, quæ privatorum hominum parietibus continebantur, & in quibus cùm ille splendor haudquaquam esse posset, quem ad Ecclesiæ statum Papistæ necessarium esse contendunt; apertum erit legentibus, ab Euangelica Romanorum simplicitate, Papatum in superbiam & luxum intolerabilem degeneravisse. Imò veram Ecclesiam, frementibus & frendentibus omnibus Papis, in rebus angustissimis, inter turbulentissimos insanientis mundi tumultus, inter cruciatus & terrores suppliciorum, in obscurissimis orbis terrarum angulis, posse contineri.

Sub Epistolæ vero finem ver. 17. tanquam tutor ille bonus, cui salus pupillorum & incolumitas curæ est, Romanos adhortatur ad doctrinæ puritatem, à se prædicatæ, tuendam & conservandam, à qua cum Papistæ tam probrosa defectione desciverint, non modo dignitate Romani nominis exuendi, sed extra fines u-

universalis Ecclesiæ, tanquam execrandi & detestabiles deportandi sunt.

Papistis igitur nullam cum Romanis affinitatem esse, superioribus abunde probatum est, quibus curis occupatum, nova cupido subiit investigandi diligentius, num aliquam porro spem adipiscendæ salutis, post amissum decus nominis Romani sibi reliquissent, non animo maledicendi, neque quod odio vel invidia religionem, suis à se prægravatam ineptiis, onerare conatus sim; malas enim artes iis relinquo, qui bonitate religionis exciderunt; sed quod multis, iisque magnis rationum momentis, ad dubitandum de salute impellebar, quæ in publico Doctorum consessu, sapientum suffragiis dijudicari debere existimabam. Nam Dei cultus & vera religio, totaque salutis æternæ ratio, cum quatuor articulis contineatur, *Fide, Obedientia, Precatione, & Actione gratiarum*, necessum est cupientibus suæ salutis, in hisce salvificæ doctrinæ momentis sic affectis esse, quemadmodum Deus ipse, princeps & auspex religionis, affectos hominum animos esse jussit. Nam cùm omnis à Deo salus & beatitudo proficiscatur, omninò nefas est alias rationes ad eam consequendam circumspicere præter eas quas ipse familiæ suæ præfinivit.

Iussi sumus igitur à Deo, aditum nobis ad salutem aperiente, fidem in se solo, fiduciamque omnem animo constanti, & inconcussa mente reponere, tantaque detestatione mandati sui violatores ultor Deus persequitur, ut maledictionem, & æternum væ cunctis obnuntiet, qui vel in homine, vel alia re quapiam fiduciam defigunt. Iere. 17. 5. Et hæc est primæ jussionis efficacitas.

Secunda sequitur, ut divinæ voluntati, non nostræ ipsorum obsecundantes, nosmetipsos, per omnia Dei nutui subjiciamus: quod ipsum à Salvatore nostro sumus edocti, cùm ait: *Non omnis qui dicit Deus, Deus, salvabitur, sed qui facit imperata Patris.*

Nec in tertia minus est ad salutem promovendam momenti: jubemur enim unicum precibus & solum invocare Deum, cum suppliciis & obtestationibus implorantes ab ipso salutem, qui solus potens est tanti muneris: præsertim cùm quoque preces nostræ debeant è fide nasci, & ab eadem efformari, quod sine Dei verbo, & cœlesti authoritate perfici non potest: quia cultus alias in voluntarium, ab Apostolo damnatum 2 Col. degeneraret.

In quarta verò mandatum est, ut unico solique Deo, bonorum omnium authori, & inexhausto fonti, beneficiorum cœlestium, quæ in nos dimanarunt, ex animo gratias, & habeamus, & quantum

tum in nobis est, referre studeamus. Nam cùm soli Deo debeatur omnis honos & gloria, nec aliud nobis relictum sit, quo Dominum honoremus, præter obsequii promptitudinem, gratamque beneficiorum acceptorum memoriam, apprimè decet, ut illi soli gratias peragamus, nec quenquam in illius gloriæ societatem advocemus.

Hæc illa sunt religionis Christianæ momenta, quæ nunquam sine pernicie neglecta, nunquam sine præmio salutis observata fuêre, quorum observantiæ quantũ indulgeant Papistæ, nunc considerandum, judiciumque de statu Papisticæ salutis, æquis & odio vacuis ingeniis relinquendum est.

Ac ut de principe religionis articulo, fide scilicet, incipiamus: Quis adeò rerum ignarus est, ut nesciat in uno soloque Deo fidem Papistarum & fiduciam non collocari? Credunt enim tantam inesse meritis suis & virtutem & dignitatem, ut beatitatem & salutem æternam, his instructi subsidiis, adipisci se posse confidant, tantumque superesse sibi bonitatis, ut absoluto perfectoque obsequio, si paululum modò annitantur, omnia obire possint mandata & imperata Dei. Quanquam magnus ille David, justissimus unus qui fuit Isacidum, imbecillitatis humanæ conscientia, procul arrogantem illam perfectionis opinionem, non à se tantũ, sed omnibus æmulis sui removerit, cùm inquit: *O Deus, si intuearis nostras iniquitates, quis se sistet coram te?* Psal. 130. 3. Proinde dicit alibi Psal. 143. 2. *Non intres in judicium tuum cum servo tuo, quia coram te nemo justus invenietur.* Igitur in solo Deo, neque fidem, neque spem salutis suæ reposuêre, qui justitiam sibi meritis operum adrogaverunt.

Et ne parum esset sibimet ipsis debere velle, quod in solidum debetur Deo, in Sanctis vita functis, & Divis nescio quibus, ut beatitudinis arbitris & salutipotentibus, animi sui fiduciam defixêre, creduntque se laboriosis ad illorum heroum invisenda sepulchra peregrinationibus, iram Dei non avertere modò, sed illum ex opere operato, tanquam efficaci piaculo, sibi propitiare. Imò ne quidquam in ratione salutis acceptum Deo ferre cogantur, arrogantiæ damnarunt illos, qui fidem in Deum, & suæ salutis à Deo profecturæ confidentiam profitentur, cùm tamen à cœlesti Magistro simus edocti, sine fide plena confidentiæ neminem placere Deo, nec fas hominibus esse Deum invocare tanquam Patrem, nec ritu filiorum ad gratiæ suæ thesaurum petituris appropinquare: Tantaque porro duritie inter falsas meritorũ

suorum

ſuorum perſuaſiones educati occaluerunt, ut obſtinata pertinacia, contra Dei teſtimonium, aures ſuas occluſerint, *& cum teſtimonium hominum accipiant, Dei tamen teſtimonium, quod majus eſt, repudiarint. Nam hoc eſt*, Epiſt. 1. Ioh. ca. 5. ver. 9. *Teſtimonium Dei, quod teſtificatus eſt de Filio ſuo: Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium in ſemetipſo, qui non credit Deo, mendacem eum fecit, quia non credidit teſtimonio quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo: eſt autem hoc teſtimonium, nempe quod vitam æternam dedit nobis Deus.*

Æterna ſalus igitur non operum meritis acquiritur, at mera donantis gratia credentibus conciliatur. Et huic veritati Deus, & conſentiens cum Deo credentis animus, teſtimonium dixêre, quod cum omni majus ſit exceptione, non difficile erit divinare quid illis futurum ſit, qui ſalutem à ſe ſperantes, ejuſdemque certitudinem denegantes, Deum mendacii inſimularunt.

Et hic in fide primus eſto Papiſtarum lethalis error, Obedientiam autem à Deo flagitatam, à nobis debitam, ad ſalutem maximè neceſſariam, ita penitus animis exuerunt, ut Dei perduelles magis quam familiares poſſint videri. Non enim contenti modò ſcita, juſſaque divina, perverſis abſurdarum interpretationum cavillis eludere, vel expuncto mandato quo cultus imaginum prohibetur, tabulas divinas corrumpere, legem ipſam, quæ ſpiritualis, ita volente Deo, condita eſt, in carnalem commutaverunt, prioremque tabulam qua ſancitur rationalis ille Dei cultus, in pomparum inanium, & cæremoniarum ludicrum, imò ludibriũ, converterunt: quibus ineptiis tamen & nugamentis ſe Deum colere vel credunt, vel ita credere videri volunt, interim immemores aut aſpernantes eorum quæ dicuntur à cœleſti Doctore Ioh. 4. cap. 23. *veros* ſcilicet *adoratores Patrem adorare Spiritu & veritate.*

Qui verus & ſpiritualis adorantium cultus, imaginum & ſimulachrorum *mendiciſſimis elementis*, totam naturam ſuam & ſanitatem deperdidit. Deus enim in medio tot Divorum Divarũque, ſub humana colitur effigie; propitiandoque divino favori, feſtum Deo ſolenne; tanquam egenti talium delitiarum, quotannis inſtauratur. Cum tamen ipſe Deus Edicto publico, nequis ignorantiæ prætextu peccet audentius, in populo ſuo caverit, *Ne faciant in poſterum ſicut hodiè faciunt. Deuter.* 12. 8. Hoc eſt ne cerebri ſui commenta, vel animi ſui placita, conferant ad cultum Dei. Nam cum divina voluntas ſit ipſa ſui cultus regula, cui nec addere nec detrahere mortali fas eſt. Deut. 4. 2. Fit ut omnis continuò

tinuò cultus hominum enormis, ut impius & detestabilis à Deo respuatur: sicut egregiè Samuel increpando Saulem admonuit, *Obedientia Deum magis Holocaustis delectari.* Parique ratione Divus Paulus Coloss. 2. *cultum omnem voluntarium* condemnavit: Et ipse Salvator affirmat Matth. 15. *Inanem illorum religionem & cultum esse, qui posthabitis Dei mandatis, hominum commenta sequuntur.*

Neque posterior à temeritate sacrilegorum mansit intacta, nam mandata præceptaque quibus ad humanioris officia vitæ præstanda, Deo sic exigente, tenemur, in Concilia corruptione terrima transformarunt, utpote quæ rectè consiliandi facultatem summam, obligandi vero vim vel virtutem habeant omnino nullam. Ab hoc fonte fluxit illa labes charitatis, quæ proximi summus amor à Theologis definitur, quæque non ad amicos modo sed & inimicos beneficia sua æquanimitate extenditur, ut existiment Papistæ se non impunè solum, & populariter hostes suos & inimicos occidere posse, sed etiam cædibus illis promereri Deum.

Sed aliud, neque minus incommodum, ex hac divinarum legum elevatione acceptum est. Motis enim dignitate sua, jubendique authoritate, præceptis divinis, Canones suos & decreta Papistæ, tanquam efficaciæ plena, & eximiæ authoritatis cæcis ignorantium animis obtruserunt, tantamque jussorum suorum efflagitarunt ab hominibus obedientiam, ut nec impunitus abeat ignorantium error, imo gravius & magis detestabile scelus habeatur veteris & novi Testamenti libros contrectare, de Pontificis potestate sermones serere, religiosis, ut vocant hominibus reverentiam negare, quam parentibus laqueo gulam frangere, vel obsequium Magistratui detrahere, vel adversus oraculi cœlestis authoritatem, ipsamque Dei majestatem rebellare.

Atque hæc est Papistarum, dicto non audientium, plena periculi & prodiga salutis contumacia. Precationem verò, scalam cælorum, præsidium in malis, & necessitatum consolatricem; quam sibi soli Deus sepposuit & consecravit, in qua præcipuum est divinæ gloriæ hæredium, & honoris sui prærogativa, detestabili temeritate profanarunt. Nam contra Dei Patris imperata, qui dicit Ps. 50. *Invoca me:* contra Christi blanditias, quibus ad se laborantes invitat Math. 12. Contra *Sancti Spiritus in nobis patrem precantis ineffabiles gemitus*, neglecto Patre, spreto Filio, non audito Spiritu, Sanctos & Angelos, quorum illi fortè beatitudinis sunt exortes, hi nihil aliud quam fidelium saluti deserviunt, votis & supplicijs

pliciis tanquam beatitatis ſuæ præſides & patronos venerantes comprecantur.

Quare cum Dei gloria minuatur, & Scripturarum aliter jubentium infringatur authoritas, dubitandum non eſt, quin iiſdem ſuppliciis tantarum rerum innovationes expiabuntur, quæ Deus angelis & hominibus, aliena docentibus, comminatus eſt. Gal. cap. 1.

Et hoc tertium eſt exitiabile ſcelus Papiſtarum, quo Dei gloriam, & ſoli debitum honorem, advocatis in partem precationis immeritis Divis, depeculantur.

Quartum reſtat, nec impietate nec contumelia levius. Nam cum Deo, ſoli bonorum omnium authori, omnis quoque gratiarum actio à beneficiariis ſuis jure merito debeatur, & potiſſimum divinæ gloriæ momentum in eo vertatur, ut pro ineffabili ſua bonitate, qua ditati ſumus, & animum illi memorem, & quantum homini fas eſt, gratum exhibeamus, ingrati Papiſtæ, quam Deo ſoli gratiam, honorem & gloriam pro divina ſua liberalitate debent, aſcitis in partem divinæ prærogativæ Sanctis & Angelis, vix dimidiatim iniquiſſima partitione perſolvunt: Nec illis Dei comminationibus ab impietate deterrentur, quas in gloriæ ſuæ prædones gravis ultor intonuit, neque juſſis ad ſanitatem revocantur, quibus omnem ſibi gloriam aſſeruit. Iſa 42. 8. nec exemplum Chriſti reverentur, qui *Deo laudem attribuit & gloriam in omnia ſæcula.* Verùm ſpreta contemptaque divina authoritate, nullam Deo laudem niſi à virgine delibatam, in Miſſa nullam Salvatori gloriam, niſi ab Angelo cuſtode interceptam attribuunt.

Et hæc illa ſunt, quæ, cùm animum meum dubitatione non mediocri permoverent, publico bonorum judicio examinari debere exiſtimavi, non odii, non invidiæ cauſa, ſed ſtudio veritatis, cujus impulſu, quicquid hoc operis eſt, & ſuſcepimus, & executi ſumus, procul omni ambitione & aucupio gloriæ, quæ ab homine medicinam profeſſo, è Theologorum controverſiis ſperari non poteſt: procul etiam omni exſpectatione, fore, uti maleſanæ Papiſtarum mentes hac redargutione ad temperiem reducerentur; ut qui probe ſciam, poſt tot irritos hominum præſtantiſſimorum, ac planè Deo ſimilium, egregios conatus, nullum medicinæ meæ locum ſupereſſe, præcluſis ſcilicet omnium animis, & obſtinata pertinacia, neque juvamen ullum, neque conſilium admiſſuris.

Imo

Imo procul omni ſpe commodi privati, quod ex opera impenſa in me redundaret, ut qui neſcire non debui, quam averſis multorum judiciis innocens hic labor exagitabitur, aliis, inceptum, tanquam alienum à medico culpantibus, aliis ut ſæpe repetitum, & crebro nimis recoctum, faſtidientibus iniquis etiam & moroſis cenſoribus; eruditionem reconditam, & diſputandi ſubtilitatem in opere ſimplici deſideraturis.

Quorum omnium rationes vehementer me permoverent, ſi tantum mihi, vel nomini meo, quantum utilitati publicæ laboris hujus impendio conſulere voluiſſem. Nunc autem ex optimæ conſcientiæ tranquillitate, & innocentiæ fiducia, non omnium modo judiciorum, ſed obtrectationum etiam & calumniarum adeptus ſum ſecuritatem. Nam ad officium hoc, non ambitio, non aura popularis invitavit animum meum, ſed pertraxit amor patriæ, charitas civium, & popularium ſalus, cui cum domi foriſque, ſed præcipuè foris, ingens ab importuna perniciosaque peſte periculum imminere vidiſſem, amplum operæ prætium putavi, illam pro virili mea tueri, & à contagione tam ſcelerata vindicare.

Quam rem alii multi & fælicius ordiri & perficere efficacius potuiſſent, ſi libitum illis fuiſſet hac in parte patriæ ſtudia promereri. Sed illi dum ceſſant vel, ut ego interpretor, diligentius aliquid, & magis profuturum meditantur, officiis illorum & induſtriæ pro tempore vicarius ſucceſſi; quæ diligentia mea tanto magis omni reprehenſione caritura eſt, quanto conjunctius eſt cum officiis humanitatis eorum incolumitati favere, qui eadem pericula, quibus nos defuncti ſumus, ingredientur: Imò veniam merebitur apud æquos rerum æſtimatores, quod veluti ſigno dato, fælicioris ingenii viros exciverit, ad inſtituenda mature concilia, quibus & ſtabilimento religionis, otio patriæ, & ſaluti juventutis optimè conſulatur.

His igitur evictus rationum momentis, in libelli pugnum præcipua rerum, & controverſa maxime capita contraxi, ut legentium faſtidio conſuleretur; in quo non tam ab humana ratione, quàm ab authoritate divini oraculi, religioni reformatæ fidem adſtruximus, & veritatem, adverſamque Papiſtarum ſententiam argumentis non in umbra natis, ſed in acie ſæpius & congreſſu ſpectatis, everſam proſtravimus.

Nam cum civibus noſtris inter tot millena pericula peregrinantibus, hunc MONITOREM mittere ſtatuiſſem, qui in via ſe-

mel

mel inita religionis eos contineret, & trans infamia prædonum Ieſuitarum Luſtra comitaretur, iiſdem illum armis inſtruendum eſſe putavi, quæ mihi ſæpius impetito, ſæpiſſimè cum hoſte congreſſo, victoriam ſemper & incolumitatem præſtitiſſent. Quem qui ſequentur, non modo rectum religionis iter ſecabunt, ſed ab amore patriæ ne latum quidem unguem deflectent.

Tanta enim cognatione, tamque arctis neceſſitudinum vinculis inter ſe veritas religionis, & patriæ charitas aſtringuntur, ut alterum ſine altero nec amitti poſſit, nec retineri. Quod arcanum cum venefici Ieſuitæ non ignorent, in quibus abolere tentant amorem patriæ, in illis malo carmine corrumpunt primo religionem. Quid enim ille domi pro ſano facturus eſt, qui foris in contemptu legitimi magiſtratus eſt eruditus? Quid REGI ſuo tribuet, qui Romanum Væjovem, orbis Dominum immò Deum agnoſcit? Quomodo patriam diliget, aut reverebitur, qui religionem in illa receptam, doctus eſt ut execrabilem deteſtari?

Sed res verba non expetit, ubi facta loquuntur. Recens enim eſt illorum facinorum memoria, quæ ſiderati zelo Papiſtico pernitioſi Cives, ad labefactandum regni ſtatum, & evertendum à fundamentis Imperii domicilium fabricaverunt.

Quocirca cùm aſſiduam Ieſuitarum diligentiam in corrumpenda peregrinantium religione didiciſſem, & hiſtoriam malorum animo repeterem, quæ in patriam ex hoc fonte profluxerunt, boni Civis officium eſſe putavi, pro virili ſua tantis incommodis velle mederi. Quæ voluntas mea, ſi quantum ſtudio juvandi exſuperat, tantum doctrina valeret, & ingenio, proculdubio, maximam hominibus noſtris adferret utilitatem. Sed ſupererunt alii, qui curis iiſdem operam impendant efficaciorem. Ego ſatis habebo, ſi ab uno ſaltem eorum, quibus hic labor ſuſceptus eſt, non improbetur, magnumque me ex hac monitione fructum cepiſſe, ſi vel unus obtemperet, exiſtimabo.

FINIS.

FLAGELLVM

PONTIFICIS & EPISCOPORVM LATIALIVM.

Autore

IOHANNE BASTVVICK M. D.

LECTORI SALVTEM P. D. Iohannes Bastvvick.

VTILE est, *inquit Augustinus De Trin. L. 1. cap. 3. & cap. 13.* plures à pluribus fieri libros de quæstionibus iisdem, diverso stilo non diversâ fide; Quandoquidem tanto fortius convincuntur hæretici quanto plures exitus patent ad eorum laqueos evitandos. *Hoc tanti patris effatum excitavit animum meum ut pro tenuitate mearum virium & Papæ Tyrannidem & Papisticæ superstitionis impietatem profligandam susciperem. Verumtamen de Episcoporum autoritate locutus, à bonis bene intelligi cupio. Non enim illis litem moveo quatenus ab Imperatoribus & Regibus & Principibus Terræ quorum interest salutem Civium tueri, Potestatem jus & imperium in socios totumque Dei gregem adepti sunt. Nam si Romani Episcopi immensam illam & nullis limitibus circumscriptam autoritatem, indulgentiæ Principum acceptam ferrent, voluntati Episcopali, nihil, voluntati divinæ inimicum jubenti obtemperandum putem, ob reverentiam principi sic volenti debitam: quamvis haud parum molesta sit illa cogitatio, quo jure semet Episcopi subduxerint à Christi monito:* Non ita erit inter vos; *nec retardarer ab obsequio, quamvis*

æquabilior Eccleſiæ conditio & quæ Dei legem ſtatutis hominum præfert, precibus & votis procuranda ſit. Verum cum eò ſuperbiæ & arrogantiæ faſtus Epiſcoporum Romanenſium eruperit, ut ambitioni ſuæ jus divinum, ſpreta Principum autoritate, prætendant; illiuſque obtentu, crudeliter & avarè in Dei Eccleſiam dominentur, operæ pretium mihi videbatur, Tabulas omnes, & inſtrumenta omnia divina, in quibus de jure illo pertractatur, diligentius excutere; In quibus omnibus cum ne tenuiſſimum quidem occurrat veſtigium illius autoritatis quam Thraſonica ἀλαζωνεία venditant, qua decretorum ſarcinas, Canonum faſces, cæremoniarum inextricabiles nodos colligant; qua ſuperſtitionem excludunt; impietatem fovent; bonos excruciant; extollunt malos: omni quoque virium mearum anniſu increpandam explodendamque impudentiſſimæ uſurpationis audaciam putavi. Quem conatum, vel ignoſcendo vel favendo adjuva, & vale.

VIRO

VIRO ERVDITISSIMO D. D. EG. S. P. D. IOANNES-BASTVVICK.

QVI casus nuperæ dissertationi nostræ, cum de Romano Pontifice & immensa illius authoritate ageremus, occasionem dedit, idem & huic Epistolæ viam aperuit: Nam cum tu Papali usurpationi jus divinum prætendi diceres, & ego ne quidem umbra rationis illam niti Tyrannidem affirmarem, meminisse te puto quod me rogaveris, ut ea quæ latius & copiosius contra disputaveram, succincta quadam, hoc est, epistolari tibi forma mitterem, ut velut uno sub intuitu tota argumentorum acies exponeretur. Parui non invitus: Magis ut tibi sic jubenti obtemperarem, quam quod meis præcipuè viribus & hastis monstrum illud confossum iri putarem. Obtemperavi autem eo lubentius quod animum meum à rixandi libidine alienũ, indagandæ veritatis studio totum occupari animadverterem, cujus tam sancta apud me majestas est, ut liber aliàs & in nullius verba juratus, huic uni me mancipio addixerim.

Sed id tamen in vestibulo te rogatum velim, ne de robore veritatis in hoc negotio judices ex imbecillitate patroni: sæpe enim inexercitatior advocatus causam optimam agendo pessimam facit. Cæterum si quid hic Scripturæ (cujus arbitrio tantum in hac lite ego standum puto) non satis consentaneum offenderis; illud expunge: si quid à sacris litteris per errorem & insciiam (omnes enim in hac humana caligine Tenebriones sumus) alienum deprehenderis, emenda & corrige, certò persuasus neminem discendi & referendæ docenti gratiæ memet avidiorem esse. Quæstiones igitur in hac re capitales illæ sunt. *Num Christus Petrum constituerit Ecclesiæ Catholicæ Monarcham: Imo num Petrus Romæ functus Episcopatu fuerit? Num Pontifex Romanus (si sit Episcopus) quatenus Episcopus Romanus autoritatem & jurisdictionem in socios & Dei gregem habeat, neç ne? Num Episcopi Papales veri sint Episcopi.*

Et de his quidem quæstionibus affirmatis à te, à me vero negatis omne certamen cernitur, cujus haud alium eventum votis exopto quam ut ex armata vi veritatis opinionum pertinacia victus illi manus porrigas, à qua nisi vincimur periit spes triumphi.

verum ut ordo poſtulat poſitionem tuam primam, primò aggrediar, hoc uſus argumento.

Quod Chriſtus ipſe familiæ ſuæ Dominus ſervis ſuis diſtinctè prohibuit, id ab illis ſine nefario facinore fieri non poteſt.

Sed dominationem in ſocios & Dei gregem exercere ſervis ſuis in munere hoc cæleſti occupatis interdixit. Ergo & illicita eſt paſtoribus ejuſcemodi dominatio, & à Chriſto non mandata nec inſtituta fuit talis Monarchia.

Cujus Syllogiſmi minor propoſitio plurimis ſacri oraculi locis ſtabilitur. Matth.20.v.25.26.Marc.10.v.43.44. Luc.22.v.25.26. omnibus enim illis in locis Chriſtus in hoc totus eſt, ut ægras ambitione mentes Apoſtolorum, à ſtudio magnificentiæ & autoritatis, (quod in civili regimine dum ultra modum non aſſurgit, laudi & ornamento eſt) ad humilitatem & modeſtiam revocet. Increpando enim ſuperbiam illorum & ambitum quibus exarſerant, opportune docet eos incumbere in ſtudia quæ vocationem eorum & munus dedeceant, oſtenditque quanto inter ſe intervallo diſtent regendæ Civitatis poteſtas, & paſcendæ Eccleſiæ Cura; quantaque ſit cum in ipſorum officiorum & regiminum natura, tum in honorum titulis & formulis dignitatum hinc & illinc differentia. *Principes gentium dominantur illis*, inquit, *& Reges exercent autoritatem in illas: Sed non ita erit inter vos.* E quibus Domini verbis quibus oblitos modeſtiæ famulos ad officium revocat, ita rurſus argumentari non abſurdum fuerit.

Illud quo Magiſtratus Civilis ab Eccleſiaſtico miniſterio diſtinguitur, id illicitum & indecorum eſt Miniſtro & Paſtori gregis Dei.

At Magiſtratus Civilis diſtinguitur ab Eccleſiaſtico miniſterio, exercitatione poteſtatis & titulis honorum;

Ergo Miniſter Eccleſiæ nec dominationem exercere, nec formulis dignitatum ſupra ſocios eminere debet; Quam doctrinam ut penitius imbiberent, non verbis modo ſed factis eam Salvator aſſeruit demiſſus ad ultimum obſequiū ut ejus humilitatis ſpectaculo moniti, vel ad cogitationem ſolam ſe ſupra ſocios efferentem erubeſcerent.

Sed reſpondent Papiſtæ malitioſi ſæpe & callidi ſacræ Scripturæ Interpretes, *ſolam hîc tyrannidem non legitimam dominationem à Chriſto prohiberi.* Quæ diſtinctio neque ſcriptura nititur (niti autem debet ſi nolit explodi) & Apoſtolicæ doctrinæ perduellis eſt. Sed ad rem ipſam. Chriſtus reſpondens Apoſtolis jam appetitu quodam ſuperioritatis intumeſcentibus, apud homines ſanos pu-

nos putandus est respondisse ad rem præsentem ad quæstionem tum agitatam, & ad id quod ipsi votis tendebant fovebantque; votum autem illorum erat non prosternere socios & proculcare tyrannide, (quis enim tam horrificam impietatem affingat viris bonis?) Sed legitimam, ut autumabant, adipisci potestatem & dominationem, qua decorati & insigniti cum dignitate quadam cæteris prælucerent. Ergo non tyrannidem, quam nec ipsi somniabant, Christus vetat, sed civilis tamen regiminis habitum & formam in quam ambitu & æmulatione accendebantur ut indecoram illis & illicitam rejicit.

Quod quanquam sua luce pateat, age fœneremur nihilominus illi non nihil claritatis è splendore argumentorum.

Superioritas & Dominatio in quam Apostoli ferebantur eadem erat cum illa quam Reges & Principes Gentium exercebant, quæ à tyrannide plerumque longius abest: at abesse semper debet longissime, nec tyrannidem igitur affectabant Apostoli. Quod ex ipsa voce κυριεύω qua Christus Luc. 22. v. 25. 26. utitur manifestum est, cui Synonima est vox κατακυριεύω qua Matthæus & Marcus eandem Christi sententiam exprimunt. Nam nisi pugnantes inter se committere lubeat Euangelistas, utriusque vocis eadem significatio erit, si animadverterimus legitimum Adami imperium quo in creaturas integer adhuc & intaminatus fruebatur, ab interpretibus Græcis exprimi voce κατακυριεύω. 1. Gen. v. 28. sicut vocabulo κυριεύω Christi potestas Psal. 110, quæ procul omni Tyrannide est ab iisdem interpretibus indigitatur. Adde quod illa voce moderatum & paternum sæpius optimorum Principum imperium significatur, qui aucta republica, σωτῆρες καὶ εὐεργέται ob merita & beneficia à gratis civibus denominantur.

Igitur cum Christus Apostolos suos jubet μὴ κυριεύειν, non vetat exercere tyrannidem, neque de civili regimini iniquius judicat, sed differentiam inter mundanum Imperium, & Ecclesiæ regimen, quod ipsi mundanis effulsurum honoribus falso putabant ostendit. Mundani Principes, inquit, absoluta autoritate addictissime imperant, in rebus vulgo notis & ad singulorum utilitatem tendentibus & εὐεργέται appellantur, quod vocabulum ut ex Vlpiani scholiis ad præclaram illam Demosthenis orationem de Corona liquet, Principum regimini, qui suo nutu & arbitrio cuncta regunt, proprium erat, ut illo velut cognomento à populari Athenienſium Civitate distinguerentur, ubi suffragiis populi summa rerum tractabatur: At vos Ecclesiæ imponendi Rectores

cum in negotiis ab intellectu humano remotis & supra mortales affectus exsurgentibus occupemini, non absoluta imperandi jubendique potestate dominantium ritus, sed docendo, rogando, supplicando nutritiorum potius mores & patientiam æmulari debetis. Hæc Christi mens, hic loci sensus est, quem aliena & perabsurda explicatione homines vestri interpolarunt.

Sed supereſt aliud argumentum quo commentum hoc exigitur. *Illa dominatio quæ dimanare à Christo & regi, ab Apostolis autem ut subordinatis Ministris exerceri debuit, tyrannica non est; nam hoc esset ipsi Christo tyrannidem impingere.*

At potestas cui filii Zebedei inhiabant à Christo promanatura & regenda erat: ergo tyrannica non est. Nec enim aliud illis in voto erat quam Christo Regnum suum in hoc mundo (ut rebantur) auspicanti dextra & sinistra assidere, hoc est in partibus reipublicæ sibi credendis dignitate & honore cæteros cives præcellere quidem, sed Domino tamen & Regi suo debita fide & obsequio subjici. Quam præcellentiam cùm Christus iis negaverit, consequens est eandem cæteris omnibus in idem munus ascitis & ascisscendis negatam fuisse, Papamque, qui non obstante cœlesti interdicto, eam per fas & nefas arripuit, Christo rebellem esse & gravem imo injurium sociis esse.

Verumtamen hoc in loco si concedamus solam tyrannidem prohiberi, quid inde Papali causæ commodi accedet? cum nihil in Philosophorum placitis de Tyranni moribus adumbratum sit disputando quod non vivendo Papæ & gubernando veris tanquam coloribus expresserint. Sed in hoc argumento, quia brevitati studendum est, non evagabor licentius. Sane definitionem Aristotelis in libris Politicorum: Eum scilicet *Tyrannum esse qui cuncta ad suam non ad subditorum utilitatem trahit*, si Papæ non convenire putaveris, credam & aliquando tibi videri posse non lucere meridie.

Et quanquam hæc quæstio ventilata satis videri possit, tamen ob importunitatem altercandi quâ homines vestri veluti morbo laborant diutius hîc immorari est animus: præsertim quia ex Divi Lucæ verbis quæ Pontificis Primatum & Monarchiam Petri recellunt, sententiæ suæ patrocinium quæsiverunt. Locus est 22. cap. v. 26. Euangelii secundum Lucam. *Qui maximus est inter vos, esto sicut minimus: & qui Ductor vel Dux est, sicut qui ministrat.* Quæ verba in Græca veritate sic habet: ὁ μείζων ἐν ὑμῖν καὶ ὁ ἡγούμενος. Vnde jam triumphant, *repertum sibi Ducem & Monar-*

cham

cham quem ipse Dominus dixerit. Sed antequam obturamus os impudentiæ, videamus quibus tandem verbis rem eandem cæteri narrent Euangelistæ Matthęus ca.20.v.26.ait. *Non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos magnus fieri esto vester minister, & quicunque voluerit inter vos primus esse, sit vester Servus.* Marcus inquit. *Verum non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit fieri magnus inter vos, sit Minister vester, & quicunque ex vobis voluerit primus esse, sit omnium servus.* Nam cum eodem spiritu dictante singuli scripserint, eadem utrobiq; res est, verbis hic illic aliter sonantibus. Nam ubi Lucas ait, *Qui maximus est inter vos,* idem cum illo intelligit qui dicit *Quicunque voluerit inter vos maximus esse.* Sic ubi dicit *Qui Ductor est ὁ ἡγούμενος,* idem cum illo dicit qui sic effatur, *Quicunque voluerit primus fieri.* Sed ex hisce verbis quomodo tandem exsculpitur ille Princeps & Monarcha quem jactitant? Sane nemini mortalium, cui sinciput sanum est, dubium videri poterit, neminem hic unum & singularem hominem à *Christo Ducem, Principem, vel Monarcham cõstitui,* vox enim *ὁ ἡγούμενος* non ad unum aliquem certum hominem, sed indefinitè posita ad quemlibet refertur: Sicut apud eundem D. Lucam cap. 9. v. 48. *ὁ γὰρ μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῖν ὑπάρχων,* non particulatim & nominatim de submisso quodam & ad infimam humilitatem procumbente discipulo dicitur, sed indefinitè & generaliter de quovis ad humilem sui opinionem descensuro prædicatur; sic & hoc in loco *ὁ νεώτερος καὶ ὁ προηγούμενος,* non unam certam individuam personam, sed indefinitam, & quamlibet significat. Ipsa quippe insita nostris ingeniis ratio sua luce vincit, non hæc uni particulatim Apostolo, sed omnibus viritim applicari: omnes enim & singuli illo statu erant, ut hæc singulis rite medicina applicaretur.

Quanquam enim reliqui Apostoli duorum fratrum Matth. 20. v. 24. ambitionem indignanter & molestè tulerint, non tamen satis causæ fuit illis in Fratres plus æquo irascendi ubi in semetipsos descenderent quos eadem contagio ambitionis afflaverat. Luc. 22. v. 24. At male habebat eos quod fratres illi tanquam captis seorsim consiliis, clam & secretò prensabãt dominatum, ad quem ipsi non minoribus studiis quam fratres aspirabant. Quare, non ad hunc aut illum particulatim, sed ad omnes promiscuè verba referenda sunt. Quod ipsum clarius elucet intelligenti hæc verba à Christo prolata fuisse cum adhuc nesciretur ullam inter Apostolos qui pares semper fuerant superioritatem esse: nam quia nunc singulis intumuerat animus ad Primatum, eruperat con-

tentio quam consiliis humilitatis Christus compescuit. Quæ veritas cum ipsa incurrat in oculos, vide quantis absurditatum plaustris ipsi vos oneretis commentum vestrum. Sequitur enim:

Aut omnes Apostolos fuisse Monarchas constitutos à Domino, vel certè nullum. Nec hoc modo, sed & illud:

In hunc usque diem liquere non posse quis Apostolorum fuerit constitutus Monarcha.

Imo quod causæ vestræ perniciosissimum est. *Petrum minimè omnium fuisse constitutum in Principatu.* Ac singulas videamus, & primam quidem primò.

Igitur si verba hæc *Qui Maximus est & qui Dux est inter vos*, ut vobis placet, id necessariò inferunt, Principem à Christo constitui, sequitur ex iis verbis quæ tam omnibus universim quam alicui particulatim applicari possunt, aut omnes à Christo Principes & Monarchas Ecclesiæ, vel sane neminem eorum fuisse constitutos. Quorum utrumque sententiæ vestræ inevitabili absurditate vastitatem inducit Sed Antecedentis veritas utpote ab ipsis Euangelistis firmata immobilis est. *Nam orta est*, inquiunt, *inter illos controversia quis illorum esset maximus.* Omnes igitur *magni, clari, potentes* esse, hoc est principatum gerere ambiebant. Consequens igitur & veritatis ejusdem & necessitatis est, aut omnes à Christo fuisse constitutos in Ecclesia principes, aut nulli Apostolorum id dignitatis fuisse collatum. Cujus opinionis utramvis partem amplectamini, sententia vestra tamen in luto hæret crassissimarum absurditatum.

Iam secundam intueamur. Si hæc verba ὁ μείζων ἐν ὑμῖν καὶ ὁ ἡγούμενος id significent, Constitutum fuisse à Christo in Ecclesia Principem, non expresso neque nominato singulari quopiam cui principatus debeatur, adeo ut singuli, Iacobus quippe vel Iohannes vel Matthæus &c. suo sibi jure arrogare possint concessam dominationem, tum sequitur Ecclesiam Romanam tot jam sæculis involutam fuisse mirabili errore, & quidem in re tam capitali & cognitu necessaria ut sine periculo salutis nequeat ignorari. Sed Antecedens indubiæ veritatis est. Nullius enim Apostolorum expresso nomine quilibet eorum promiscue intelligendus est: Nec enim Iohannes vel Iacobus vel alius quisquam à principatu excluditur; nec ullum Petro præcipuum jus est arrogandæ sibi dominationis ad quam nullo præ cæteris titulo vocatur.

Succedit tertia, quæ non tam pudenda quam exitiosa est Romanæ tyrannidi. *Qui maximus est inter vos*, inquit Salvator, *sit minimus*

minimus & qui Ductor est sit servus.

At Petrus, inquiunt vestri, *magnus erat ille Ductor & Princeps Ecclesiæ Primas & Coryphæus Apostolorum.* Erat igitur Petrus, si nos Christo credimus, si Petrus paruit Christo, & servus aliorum & humilium minimus. In qua demissæ mentis sobrietate constitutus, nec Dux nec Princeps nec Monarcha, qualem vos fingitis, efformari potest. Quæ cuncta cum suis ipsa radiis verberent animos, supervacuum est luci tam claræ verborum fumo tenebras offundere.

Et hæc quidem nimia videri possent, nisi cardo religionis vestræ in hujus momento quæstionis verteretur. Neque temporis ergo neque orationis fuerit dispendium si in profligandis hisce quisquiliis uberiori disputatione utamur. Non enim autoritati divinæ tantùm contraria est vestra assertio, sed injuriarū & contumeliæ plena in ipsum Christum, qui sane Petrum, sicut ante ostendi, Ecclesiæ Monarcham non imposuit omni illo tempore quo versabatur in cœtu Apostolorum, quos ad humilitatem & obsequium vetita omni dominatione, verbis & exemplo erudiebat.

Supereſt dispiciamus quid in hac re dixerit feceritve cum coram Pilato veluti turbas & nova molitus, sisteretur, Regnique sui naturam exponeret. *Tune es*, inquit Pilatus, *Rex Iudæorum?* Iesus respondit. *Regnum meum non est ex hoc mundo.* Nec enim negat se Regem esse; sed Regni non momentanei & quod in hoc mundo colligitur. Vnde non ambigue sequitur in terris Christi vicarium esse non posse, cum in terris regnum abnuerit, repudiaverit, negaverit Cœlorum Princeps. Inde cum mandata dat Apostolis, nulla illic potestatis autoritatisve vel prçeminentiæ mētio est; Sed diligentiæ, industriæ, laboris; *Ite*, inquit, *& prædicate in omnem mundum &c.* Atqui si regnum in terris, si mundi imperium sua interesse putasset, in illo certe temporis articulo in tanta testium corona, in luce & oculis hominum jus illi suum asserendum fuisset. Sed ille nihil in mundum sibi vendicans, alterius naturæ locique regnum suum profitetur. Quæ vos ergo dementat væcordia, qui vicarium in regno statuitis cujus se Christus Regem negat?

Sed hæc ante Christi mortem sic se habent. videndum est num redivivus post triumphatos Mortem, Diabolum, Inferos, principali & Monarchica potestate Petrum insigniverit: hoc enim quasi plus gloriæ allaturum vehementer vultis. Consulamus ergo resurgentis

surgentis mandata. Matth.28.v.19. *Profecti*, inquit, *docete omnes gentes &c. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus &c.* Nullum hic Monarchiæ vestigium ; Aristocratici regiminis & sociatæ in Ecclesia administrationis præceptū & lex est. Omnes ite, singuli incumbite in sanctum & profecturum proximis laborem, utpote participes futuri spiritus ejusdem cujus efficacia vim suam in omnibus exseret. Nihil speciatim Petro, nihil cujus alteri neque præcipitur neque promittitur : pares labore, præmio non dispares, omnes unius heri famuli rem communem procurate.

Iam vero apud Iohannem quam apertè Aristocraticum regimen inculcat ca.20.v.21.22.23. *Sicut misit me pater*, inquit Christus, *sic ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum: si quorum remiseritis peccata remittentur eis ; si quorum retinueritis, retenta sunt.* Partes laboris eædem singulis, par potestas, claves eædem, Spiritus idem imponitur. Monarchiæ nulla hîc umbra : Aristocratiæ expressa imago est. Quo divi Iohannis testimonio quanquam impudentia vestra satis coarguatur, statui tamen alia nonnulla producere quibus intercludatur spiritus audaciæ vociferantis Aristocraticum regimen in Primitiva Ecclesia neque fuisse, neque ullis rationum coloribus posse probari.

Audiamus igitur quid in hac quæstione Divus Paulus definiat 1.Cor.12.v.28. *Et alios quidem constituit Deus in Ecclesia*, inquit, *primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores, &c.* Nonne vivis hic coloribus descripta est Aristocratiæ facies ? Num Petrus hic Princeps ? Num quis alius in fastigio dominationis collocatur ? Nonne promiscuus honor singulis ? Nonne par omnibus potestas ?

Iam ad Ephesios quam clarè quam disertè idem ediſſerit. Cap. 4.v.11.12. *Dedit igitur ipse alios quidem Apostolos*, ait, *alios verò Prophetas, alios autem Euangelistas : alios autem Pastores & Doctores ad coagmentationem Sanctorum &c.* functiones, munera, ministeria singula recensēt quæ requiruntur ad struendam regendamque ædem Dei ; Sed nemini super cæteros regimen, nemini principatus aut dominatio tribuitur. Aristocraticum igitur in Ecclesia Primitiva regimen fuit & plurium consiliis laboribusque sociata & exserta potestas.

Quid ad hæc respondet tua subtilitas ? Apostolos quidem labore curaque pares, sed autoritate & dignitate impares fuisse. *Soli quippe Petro datas claves cœlorum.* Vafrum oppido commentum & futile. Nam quod ca. 16. Matth. legitur numero singulari,

lari, *Quicquid ligaveris.* Id cap. 18. per pluralem redditur, *Quicquid ligaveritis* & sane Ioh. 20. sensus idem verbis aliis exprimitur. *Sicut me misit Pater, sic ego mitto vos &c. quorum remiseritis peccata, remittentur iis &c.* Cum ergo Scriptura paritatem & æqualitatem Apostolorum tam diserte exprimat, quis vobis fidem habeat per artes & dolos imparitatem eorum fabricantibus? Quæ enim est illa paritas ubi alter regendo & dominando ad fastigium assurgit, alter parendo & obsequendo ad humilitatem subsidit?

Quare cum in hoc loco nihil munimenti vidisses, alium quæris cui insistas. Ioh. 21. v. 15. 16. 17. Vbi Christus inquit Petro. *Simon fili Ionæ, diligis me pluspuam hi?. Dicit ei, etiam Domine; dicit ei pasce agnos meos. v. 16. Dicit ei rursum secundò, Simon Ionæ diligis me? ait illi, etiam Domine; dicit ei, pasce oves meas;* v. 17. *Dicit ei tertiò, Simon Ionæ, amas me? &c. Dixitque ei, tu nosti quod amem te, dicit ei Iesus, pasce oves meas.* Vnde non intrepidè concludis totum ovile solius Petri curæ commissum fuisse: illum solum esse gregis *Ducem, Principem, Dominum.* Cui fundamento cum Petri Primatum & Papæ tyrannidem superstruatis, operæ pretium est diligentiori apparatu insanas molitiones vestras convellere. Redeamus ergo ad locum ejusque sensum rimemur. Lapsus erat Petrus: Dominum abnegaverat: Præceps iverat in exitium, nisi retractus à Domino. Quare ne vel ipse vel alii de munere Apostolico post pœnitentiam reddito dubitarent, trinæ negationi trina erat opponenda confessio, cui trina muneris Apostolici adhærebat confirmatio.

Quare pascendi voce non significatur ulla res alia præter eam qua in docendis & erudiendis ad salutem hominibus Petrus utebatur. Iubet enim Christus ut denuo capessat munus Apostolicum, animasque pascat divinæ veritatis pabulo, quanquam temeraria & præcipiti illa abnegatione indignum se reddidisset tam honorato docendi munere. Nihil hîc de regimine nihil, de autoritate audimus, nihil quod illi supra cæteros vel dignitatem vel autoritatem imponat, nihil denique quod cæteris Apostolorum non conveniat. Omnibus enim & singulis hoc muneris imponitur. Matth. 28. v. 19. *Profecti ergo docete omnes gentes &c.* Iudæos, Gentiles, oves, agnos, olim doctos & pastos; recens docendos pascendosque. Sic. Marc. 16. v. 15. *Profecti in mundum universum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Diocœsis immensa & singulis Apostolorum commendata: extra quam si Petro peculiarem potestatem exambitis næ in utopiam illam amovetis. Hujus dio-

jus dioecēseos incolæ, hūjus paſcui oviculæ non uni Petro docendi paſcendive, ſed ſingulis Apoſtolis committuntur. Nulla hîc Petro præ cæteris cura, nulla ſolicitudo, neque dignitas, neque autoritas, neque dominatio.

Sed audio te non vulgarem Grammaticùm de voce litigantem, & ex ea regimen & principatum & dominiū exſculpentem: Nam apud Græcos, inquis, vox ποιμάινειν non nudum paſtoris officium, ſed regiam inſuper poteſtatem ſignificat. Euge, præclarè. Quid tandem? Si vox paſcendi ab officio agreſti per Metaphoram ad regale munus tranferatur, num proinde Petrum in Eccleſia Regem facies? Nonne meminiſti factum & munus regium à Domino vetari Apoſtolis. Matth. 20. *Vos autem non ita &c.*? An excidit tibi Divi Petri interminatio idem vetantis, quamvis eadem voce utentis? 1. Epiſt. ca. 5. v. 2. 3. Non igitur Principatus ſed miniſterium hac voce intelligitur; erant enim Apoſtoli non Chriſti tantum ſed Eccleſiarum Miniſtri. Sic enim Divus Paulus 2. Cor. 4. 5. *Non nos prædicamus, ſed Chriſtum ipſum Dominum: nos autem Servos veſtros propter Ieſum.* Quare non te quidem ſed ſanum decuerit Dialecticum ita concludere. *Petrus jubetur paſcere, vetatur ergo dominari.* Atqui in hoc paſcendi munere tam longè à Dominis fuere, ut vix in rationem miniſtrorum à Divo Paulo admittantur, qui fere illos nihil facit. 1. Cor. 3. 7. *Neque enim is qui plantat eſt aliquid, neque is qui rigat.* Iam plantandi & rigandi in hoc negotio eadem quæ paſcendi metaphora eſt. Sed hæ non dominationes ſed famulitii partes ſunt: in paſcendo igitur non aliæ quam Miniſtrorum fuerunt; utpote gregis dominio & regimine ad unum Chriſtum pertinente: hinc eſt quod eodem loco Petrus ſuetа ſua moderatione non Principem ſe aut Dominum aliorum, ſed in eadem opera inſudantium συμπρεσβύτερον vocat.

Verùm ſi tanta majeſtas & authoritas turget in voce ποιμάινειν, cur Divus Paulus Actor. 20. 28. jubet Eccleſiæ Præſbyteros ποιμάινειν? Num & illos ad dominationem impellit? Num πολυκοιρανίαν agitat? Num æmulos Petro excitat? Quid ais? Imò, inquis, ſumma Petro poteſtas in oves data eſt hoc mandato ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. His enim verbis ſuprema autoritas ei delegatur. Quid audio? Apud vos nihil non in Petro ſummum eſt. Si paſcendas oves accipit. *Iam ſummus Rex eſt.* Si claves. *Iam ſupremus Imperator.* Nobis hæc ſanè qua ſumus ingenii hebetudine, non perſuadentur. Nihil enim Petro eximium, nihil ſupra cæteros collatum animadvertimus.

Nam

Nam ut Miniſtri qui voce & præconio ſuo promulgant Euangelium Paſtores vocantur; ita munus illorum & labor & Cura, paſcendi vocabulo denotantur. Paſtorem vero non unum, ſed longe plurimos Chriſtus inſtituit, ut famam ſui & ſalutem in omnes mundi partes diſpergeret. Etſi enim paſtor propriè dicitur qui peculiarem & induſtriæ ſuæ creditum gregem paſcit, uſus tamē invaluit, ut communi nomine illo indigitetur quicunq; quocunque in loco promulgandæ Chriſtianæ veritati operam impendit. Quare paſcere juſſus eſt Petrus non nova aut peculiari aut cæteros ſupereminente ratione, ſede adem illa qua cæteri ad munus idem obligabantur. Nulla ergo Papalis illi poteſtas commendatur, ſed ad induſtriam, diligentiam, fidem excitatur, quæ in tanti muneris gravitate non ab ipſo tantùm, ſed cæteris idem operaturis requirebantur.

Sed tu identidem in Grammaticæ tuæ ſpineta confugis: & mira blateras de articuli efficacia & vi pronominis. Paſce τὰ πρόβατά μου: Hoc eſt oves omnes. *Eccleſiam univerſum rege.* Eſto *Rex, Princeps, Imperator* κοσμοκράτωρ. Hoc urges, hoc premis, hoc tueris mordicus: invitaque tota natura quæ tibi reclamat & convicium facit, occalleſcis in pertinacia, cui tamen defenſionem prætendis è ſimili locutione quam pervulgatam dicis; Si quis enim voluntatem ultimam, inquit, ita nuncupaverit. *Relinquo bona mea filiis meis: nihil ex ſuis bonis, nullumque ex liberis ſuis excluſiſſe putandus eſt.* Non pigebit ad ſingula reſpondere.

Nobis ſane nondum revelata fuerunt illa arcana Grammaticæ quæ tu prodis. Quis enim inter ſanos vel fando audivit, tantam articuli præeuntis vel ſubſequentis pronominis efficaciam eſſe, ut inſtar notæ univerſalis haberi debeant? Hactenus enim illorum officium omne vel in re demōſtranda, vel ἐμφάσεως augenda, vel diſcernenda ab aliis, in ornanda denique & illuſtranda oratione verſati credimus. Trepidamus enim nondum edocti ad veſtram impudentiam ita concludere. *Præit articulus & ſequitur pronomen, ergo univerſalis propoſitio eſt.* Flagitium enim in Dialectica eſt, ut patet in exemplis appoſitis. Rom. 11. *Prophetas tuos occiderunt.* Τοὺς προφήτας σου; non tamen omnes, quam plures enim evaſere impiorum tela. Rom. 10. *Inventus ſum à non quærentibus me;* haudquaquam omnibus. Actor. primo. *Prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ, & juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt:* & tamen haud pauci cœleſtium ſomniorum expertes. Lucæ primo. *Deduxit potentes à thronis, & exaltis*

tulit humiles, famelicos implevit bonis, & divites ablegavit inanes. Multi tamen Potentium in excelso, nec pauci humilium cum sordibus conflictantur. Sed desino & otio & exemplis abuti quasi excenta sunt.

Relictis ergo puerilibus argutiis & infelicis Grammaticæ tuæ nugis; cogita quam irrita Dialectica proruperis ad disputandum qui propositiones indefinitas temerè confundis cum universalibus: Monitus tamen, si vel à limine salutasti disciplinam bene differendi illas ex circumstantia & pro subjecti ratione dijudicandas esse. Si quis Paterfamilias Dives gregis pastores ad diligentiam monendo exhortatus inter alios unum cæteris forte negligentiorem accuratius excitet ad Curam muneris, sæpiusque ingeminet, *Pasce oves meas*, num propterea sæcors ille gregis universi *custos & Pastorum Princeps & Dominus* habendus erit? Sane Petri mentem & memoriam acriter aggreditur Christus ut animo teneret non suas sed Christi oves esse quæ pascendæ ipsi tam diligenter concredebantur. Hinc ait, *Pasce oves meas.*

Quare verbis illis non universalis ovium collectio, sed qualitas eorum exprimitur qui verbi divini pabulo ad salutem pascendi erant. Est enim articulus hoc in loco, contra quam tu putas, ἀναφορικὸς: Certe Petrus ipse 1. Epist. ca. 5. v. 2. singulis ita presbyteris præcipit ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ θεοῦ quod sane nihil aliud significat quam τὸ πρόβατα τοῦ θεοῦ, ipso Bellarmino non rudi Sophita Iudice, qui τὰ πρόβατά μου idem significare contendit quod ovile meum: Vnde manifestum est posse Christi oves dici non universaliter. Cæterùm Apostolis omnibus & singulis Matth. 28. Mandatur μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη: vnde si nos præpostera subeat libido sic argumentandi *Christiani sunt alicujus Gentis: ergo Christiani omnes, nemine dempto, à singulis Apostolis erudiendi sunt:* quis sanus non explodat tam fœdam sophisticen? Sic enim singulis Apostolis cæteri Apostoli, imo Petrus ipse cum hujus vel illius Gentis forent indigenæ, in disciplinam tradendi fuissent. Quod si verò hæc verba exceptionem admittant, qua ipsi Apostoli generali gentium nomine eximuntur; cur alibi non indulgeas, ovium nomine Apostolos Petri in sacro labore socios non comprehendi?

Sed prodeat nunc alia tua, qua priorem illustras, locutio. *Relinquo bona mea filiis meis.* Non vides vir acutissime magnam illa locutione sententiæ tuæ labem inferri? Non enim illa mens patris est ut omnes filii omnia defuncti bona ceruant. Hoc enim qui

quî poteſt ? Sed ut in herciſcunda hæreditate, ſuam quiſque bonorum portionem ſortiatur. Sic Chriſtus oves ſuas Apoſtolis legavit, non omnes uni, nec omnibus, ſed ſingulis eorum quaſdam, prout cuique locus & paſcendi ſtatio contigerint. Geminum igitur in hoc argumento deliras errorem. Primum quidem πρὸς τὸ σχῆμα τῆς λέξεως, cum ex articulo & pronomine propoſitionem extundis univerſalem. Secundum πρὸς τὸ ἑπόμενον cum ita non perperam modo, ſed ſtolide concludis. *Petrus juſſus eſt oves paſcere; ergo ſolus.* Num quilibet ex plebe Dialecticorum ἔνστασιν feret de reliquis Apoſtolis.

Sed ut videas quàm tecum ago liberaliter: omiſſa lite, tibi largior notam univerſalem appoſitam eſſe. Quid tandem ad ſummam rei hoc tibi profuturum eſt ? Num novum vel inſolitum ingenio tuo videtur rem unam in ſolidum multis committi ? Eſaias ad univerſum Iudæorum populum miſſus fuit eodem temporis articulo quo Oſeas erga ipſum prophetico munere fungebatur. Sic Chriſtus Actor. 1. Apoſtolis omnibus, *eritis mihi teſtes*, inquit, *apud omnes homines.* Sic Divus Paulus cum ſe gentium Apoſtolum prædicat, nihil inde tamen apud ſanos judices, quicquam aliorum Apoſtolorum muneri deperit. Quam tu igitur ineptè ſtultus es qui Petrum non modo Principem vulgo fidelium, ſed ipſis Apoſtolis Dominum imponis, quia Chriſtus dixit ei *Paſce oves meas* ?

Verum antequam huic diſputationi finis imponatur, occurrendum eſt objectioni cuidam quam velut in terrorem collocatis in limine. Ea ſic habet. *Chriſtus cum paſcendas oves Petro commendaret, vel omnes, vel nullas, vel certas aliquas, vel indefinitas ei credidit. At abſurdum fuerit dicere, vel nullas, vel certas aliquas, vel indefinitas. Ergo ſupereſt ut creditæ ſint omnes.*

Multiplex patet reſponſio qua ſolvantur hujus ſtrophæ nodi. Hæc princeps eſto : Petro commendatas fuiſſe oves illas quæ poterant ab ipſo paſci: ſicut Apoſtolis mandatum accipientibus *docendi omnes gentes*, conſentaneum eſt illos homines commendari qui poſſent ab iiſdem doceri : in quorum certè numero illi non comprehendebantur, qui conſortes ejuſdem Apoſtolatus, jam ante à Chriſto edocti, doctrinæ aliorum non indigebant. Igitur cum Petro traduntur oves paſcendæ, rite ab earum numero excludentur Apoſtoli qui ipſarum ovium quæ Petro commendebantur, ab eodem Domino Curam & regimen acceperant.

Sed addam indefinitas aliquas Petro commendari. Scio te reſponſurum hoc ἀσύστατον eſſe, & quidem duplici ratione; quarum prima eſt: *Commendare aliquas & commendatas non indicare, parem habere vim acſi nullæ prorſus commendarentur. Quis enim gregem quem non norit paſcat?* Non abſurdum ſanè primâ fronte commentum hoc videatur: Sed rem diligentiùs inſpice. Quanquam impræſentia nullis ſignis vel indiciis ovium paſcendarum Petrus inſtruatur; poſtea tamen Spiritu monitore accuratius edocetur: illo enim arbitro & diſpenſatore alii percolendæ Iudææ retinentur; alii delegantur in Samariam. Nonnulli in Græciam trajiciunt: non nemo in Aſiam proficiſcitur. Quidam in longinqua & ignota terrarum peregrinantur.

Si verò tam abſurdum tibi videtur paſcendas oves nullis indiciis deſcribi, quanto abſurdius videri debeat, omnes ubique oves uni cuipiam hominum commendari. Quis enim omnes vel oculis luſtrare, vel notitia complecti poſſit? Num Petro tam valida oculorum acies? Num tantâ ſingularium notitia & memoria? Num Papa veſter qui ſe καθόλικον paſtorem oſtentat, tam robuſtis ſenſuum & phantaſiæ facultatibus utitur? Sed amabò jura ambigentem vir doctiſſime. Nonne reliquis etiam Apoſtolis oves ſuas Chriſtus commendavit? Spero te non negaturum, Iubentur enim μαθητεύειν καὶ διδάσκειν, ſolvere & ligare, omniaque ea facere, quæ qui faciunt paſtorum nomine indigitantur.

Verùm hoc eſt quod quæro: aliquaſne, an omnes illis commendavit? Non omnes: ſic enim Petro forent æquales, imo ſuperiores, nam omnium ambitu Petrus includitur. Ergo aliquas aut certas, aut indefinitas. Sic enim prorepit veſtra argumentatio. Non certas. Dic enim quas Iohanni, quas Matthæo, quas cæteris commendavit. Indefinitas igitur. Nam quicquid aliud dixeris hærebis in luto. Dicis tamen hoc perinde eſſe quam ſi nullas commendaſſet. Vnde vi veſtræ argumentationis ſequitur aut omnes aut nullas Apoſtolis commendari. Et ſane nullas citius quam omnes dixeris. At quantus illudit veſtris mentibus error! Nec gregi certo, nec Civitati, nec regioni adſtricti fuere Apoſtoli: prout Spiritus facto opus admonuiſſet, ita Curam gregis & locum commutabant. Hinc Apoſtolus Actor. 16. v. 6. 7. 10. teſtatur ſe monente Spiritu hic nunciare Euangelium; apud alios eodem autore ſileſcere. Quod ipſum capite decimo & capite decimo tertio diſertius adhuc enarratur. Quare certæ provinciæ aſſignari A

poſto

postolis non poterant qui toto viæ curriculo Spiritum Ductorem sequebantur.

Iam verò secunda ratio qua curæ indefinitæ absurditatem impugnas, hæc est. *Non esse providi Rectoris curam rerum indefinitam relinquere, utpote quæ confusionem non dubiam & perturbationem pariat,* Certè apud ambitiosos & omnia aliorum munia in se trahentes periculum est à vitiis quæ memorasti. Apud Papam vestrum, qui non contentus Ecclesiæ regno, mundi insuper imperium vel armis vel dolo affectat, non absurdus vel intempestivus fuerit ille metus. At inter Apostolos qui à Spiritu ad humilitatem & modestiam edocti, alii aliis cedebant, timendum non erat ut ejusmodi mala erumperent. Potuit ergo Christus oves suas illis indefinitè sine suspicione pravæ subsecuturæ æmulationis committere: Nec enim tactus erat illis animus urtica superbiæ: Nulla inter eos ambitio, aut arrogantia, qua alter alteri jus suum & munus præriperet: aut in alternis officium, transiliendo decori limites, irrumperet.

Quocirca Christus oves suas Petro credidit, non has, non illas, sed indefinitè ad quarumcunq; curam impulsore Spiritu adigeretur. Vnde societas postmodum inita inter Paulum & Petrum ut ille Gentium hic Iudæorum ovibus pascendis præcipuam & peculiarem curam impenderet. Quæ sane societas vitio facta fuisse credenda foret, si oves universim omnes curæ & custodiæ suæ commissas Petrus judicasset. Cur enim Iudæos potius quam Gentes paviset, qui suam omnibus curam deberi sciret? Quare consequentia tua clauda & elumbis est, quam ponè trahis. *Restat igitur ut omnes omnino suas oves Petro Christus pascendas commiserit.*

Et has quidem aridæ sophisticæ minutias satis diffl avimus, oborta interim commiseratione vestri qui causam improbam & ruinæ proximam nullo rationum momento, sed inaniis & λεπτολογίαις suffulcitis. Sed quærere lubet quo tandem insaniæ pretio, reliquos Apostolos communi possessione in Petri gratiam extrudatis: Nec enim à Petro referendam vobis aliquando gratiam sperate. Non enim ignorat à subdolis & versutis hominibus nomen suum specioso prætextu Pontificis ambitioni & avaritiæ obtendi. Nullum hic *Petro* beneficium, sed Papæ compendium quæritur. Tantumque ex hoc fuco, qui sociis Apostolis dehonestamento est, Petrus gaudium percipit quantum è sacrificio Paulus

& Barnabas hauriebant, quod ab incolis Lystræ tanquam Diis instaurabatur: Actor. 14. v. 14.

Cæterùm ut aliquando sententiam vestram quæ ratione corrigi nequit, absurdis frangamus, vide quæ portenta eam comitentur. Si pascendi voce summa potestas intelligenda sit, tum quilibet pascere jussus ad potestatem summam vocatus est.

Quo nihil magis absurdum. Nam aut nulli sunt Pastores præter Petrum, aut non omnibus jus indultum est & privilegium summæ potestatis, qui ad pascendi officium sunt vocati. Igitur ingens ille & immensus Pastorum numerus quo jure tandem, quâ audaciâ fretus ad pascendum se contulit? Quis jussit? Quis author fuit? Quis vocavit? Num à Petro emanare dicent jus suum & curam pascendi? Atqui scire debent non à Petro sed Christo institutum fuisse pastorum munus. 1.Cor.12. v.28. Eph.4.11. &c. Quare si Christus dedit Pastores, jussit etiam pascere. Si pascere jussit, tum aut omnibus Pastoribus summam potestatem indulsit, aut certè pascere non idem est quod summam exercere potestatem. His absurdis fatigati rimulas circumspicitis per quas elabamini. *Imo*, inquit unus, *jussi sunt reliqui pascere, sed gregem particularem.* Sanè subjungit alter, *jussi sunt pascere, sed in Petro.* Et revera neutra responsio allevat onus absurditatum. Manebit enim hoc, ut in gregem suum peculiarem summa ipsis & ἀνωτάτω potestas competebat. At hoc neque placet vobis, nec utile est. Miscerentur enim Hierarchiæ gradus: & Papæ capitis læderetur authoritas. At in Petro si pascere jussi sunt (quod ipsum sua falsitate corruit; erant enim Apostoli solius Christi Legati; nulla à Petro, sed à Christo mandata acceperant, erant Collegæ Petri; famuli ejusdem Domini, ejusdem muneris socii, ejusdem potestatis consortes.) At, inquam, si in Petro pascere jussi sunt, & pascere (ut tu quidem vis) est regnare, tum omnes in Perro jussi sunt liberam & summam potestatem exercere, & in Papatus fastigium conscendere, & in tota Ecclesia principatum tenere. Quæ quidem cogitatio ut conscelerata & impia te ferè horrore exanimat. Est enim longè optabilius Ecclesiæ, & ovili salutarius, nullum esse Papam quam inter Papas innumeros distrahi.

Sed ea vis & fœcunditas argumentorum vestrorum est, ut quod uni stabiliendo adfertis, innumeris generandis sufficiat. Sed sequamur hoc filum absurditatis *Si ποιμαίνειν significat pascere, id est, regere & regnare summo jure, tum summa potestas soli Petro com-*

competiit : Soli enim Petro dictum fuit ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. veruntamen non ſoli Petro ſumma poteſtas, ſed & aliis te fatente collata fuit. Non enim ulla major in Eccleſia, nulla auguſtior eſt quam clavium authoritas : attamen illa Apoſtolis promiſcua fuit. Qua igitur ratione jubetur ſolus Petrus paſcere, hoc eſt (ut vos quidem vultis) ſumma poteſtate fungi, ſi eandem reliqui Apoſtoli jam ante, eodem tẽpore quo Petrus & ab eodem Domino, acceperant? Confugis ad diſtinctionem ineptam, frigidam & miſerandam. Ais enim, *hac paſcendi voce juberi Petrum poteſtatem ſummam exercere ut Paſtorem ordinarium.* Sanè multum tibi debet & præſens & poſtera Philologorum ætas quod vim græcæ vocis ποιμάινειν nos edocueris. Nam te interprete non ſolum Eccleſiæ Rector, Princeps & Dominus, ſed Rector ordinarius eo vocabulo deſignatur.

Cæterum pro tua humanitate te rogatum velim, ut veſtigium & cubile mihi demonſtres, in quo deliteſcit illud *ordinarium.* Ego enim nullum in voce angulum excutere potui, in quo poſſit conquieſcere. Iubetur paſcere: hoc audimus. ut ordinarius: hoc non audimus. Ac proinde homines non mali, ſed qui præſtigiis deludi nolunt, rident hoc commentum, interdum indignantur. Sed ipſam ſe convellit veſtra expoſitio, *Nam ſi Apoſtoli ut Paſtores extraordinarii aut juſſi ſunt paſcere, aut ſummæ poteſtatis exercendæ jus quovis modo acceperunt, tum non ſolus Petrus juſſus eſt paſcere, vel uti jure ſupremæ poteſtatis.* Iam verò quid in ordinario vel eximium vel præcipuum, quid prærogativæ vides quod Petrum in claſſem ordinariorum compingis? An tibi ſemper id ſummum videtur quod ordinarium eſt? Reperies judicia non minus tuo ſubacta quibus contrarium placeat. Extraordinarium enim ubi divinitus inductum fuerit, ordinario majus & auguſtius eſt. ut Moſes Aaronem, Samuel Summum Sacerdotem, Prophetæ Levitas ſupereminebant. Sic ut tua ratio, contra quam vis, majorem Apoſtolis quam Petro adſtruat poteſtatem. Sed quidquid tu tandem dixeris finxeriſve, nunquam è paſcendi voce principatum Petro vel ordinarium vel extraordinarium exculpſeris, qui auguſtam & ſupremam clavium authoritatem Apoſtolis promiſcuè datam, dignitate aut poteſtate exſuperet.

Verùm ſi miſſo certamine tibi conceſſerim quod concedi ſalva veritate non poteſt: Divum Petrum ſcilicet univerſæ Eccleſiæ præſidem impoſitum fuiſſe & Rectorem: quid inde Papæ tuo

commodi accreſcet aut compendii? Petrus in cœlum ſubvectus & curis mortalibus exutus beatitudine fruitur; relictaque ovium ſolicitudine potitur præmio laborum. Ille igitur quomodo paſcit, hoc eſt ut tu exponis, regnat? In Succeſſore, inquis, Papa Romano. Sic enim diſſeris. Chriſtus dixit *Petro: Paſce oves meas. Ergo Papa Romanus eſt Eccleſiæ Rex & Princeps Catholicus.* Non movebo jam tot errorum in uno argumento coacervatorum camarinam. Hoc modo, ex te reſcire velim cur ſucceſſio in paſcendi munus potius ad Pontificem poſt aliquot ſæcula emerſurum, quam ad Iohannem, Matthæum, Paſtores ovium vel alium è præſentibus referenda eſt. Sed his omiſſis videamus quam concinna ſit tua verborum Chriſti paraphraſis. *Paſce oves meas. Tu Petre ſolus univerſas oves paſce; per temetipſum quidem quamdiu ſuperſtes fueris: at ubi è vita migraveris, per Succeſſorem tuum unicum Papam Romanum.* Hæc eſt tua expoſitio, ingenioſa ut credis, ſed ſuperba & arrogans & quæ tantum audacis licentiæ in Chriſti verba, quantum Papa in Eccleſiam uſurpat.

Iam verò ſi verba Domini Petrum de amore ſuo & affectu interrogantis urgeam, *Amas me?* Nonne Papæ exterminabitur ſucceſſio? Amor enim Petri erga Chriſtum perſonale donum ut ipſa fides eſt, quod in ſucceſſorem non transfunditur: niſi quatenus conſpicuum pietatis exemplum ad imitationem erectum eſt. Sed longæ diſputationis finem claudat hæc quæſtio.

Papa Romanus ſucceditne Petro quâ Apoſtolus, aut qua Epiſcopus? diverſitate enim ſententiarum inter vos ſuper hac re diſſidetis. Quâ Apoſtolus, inquit Bernardus, ipſumque Papatum Apoſtolatum vocat; cui ſententiæ tu quoque non vulgariter doctus adhæres. Illæ explodendæ præſentem operam navabo, alterum aliàs profligaturus. Aio igitur Papam veſtrum Apoſtoli ritu ſuccedere non poſſe, qui Apoſtolus eſſe non poteſt. Eſt enim de natura Apoſtoli ἀμέσως vocari, miniſtrare omnibus gentibus, & omnes ubique populos paſcere; quæ qualitates à Papa longè alienæ ſunt. Iam verò ſi Divo Paulo credimus, deſiit Apoſtolatus & exolevit. Inquit enim diſertè 1.Cor.cap.4.v.9. *Deus enim puto nos ultimos Apoſtolos ſpectandos propoſuit tanquam morti addictos.* Quare cum ultimi fuerint Apoſtolorum Paulus & Barnabas, quis furor eſt alium poſt noviſſimos quærere? Sanè ſi perſonatos illos Apoſtolos ſcrutemur diligentius, velo levato tales erunt, quales Eccleſia Epheſina Apocal.2.v.2. mimos quoſdam invenit;

venit; *mendaces* scilicet ementitos, adulterinos, nothos, qui se verbis venditabant Apostolos, revera plani impostores, scurræ. Et sanè dum adhuc vagiebat in cunabilis ecclesia, munus illud extraordinarium & divinum erat, quod adulta jam & roborata Ecclesia desiit.

Ita tandem purgatus à sordibus tuis primus primæ quæstionis articulus, Num *Petrus à Christo datus fuerit Ecclesiæ monarcha*; Supereſt secundus, *Num Petrus Romæ fuerit*, quem in præsentia minori diligentia persequar, accuratius vacaturus aliàs isti disquisitioni ubi postulaverit usus. Sed in transcursu tamen aliquid libabo. Divus Paulus & nomine & civitate Romanus, qui super alieno fundamento ædificare dedignabatur, qui confirmandis Romanis utpote à nullo adhuc Apostolo edoctis enixam operam impendebat, qui synagogæ Romanæ Actor. 28. primus exponebat mysterium fidei, palam ostendit quod à se non ab alio ullo Apostolorum Christi nomen in palatio Cæsaris fuerit nobilitatum. Phil. cap. 1. sicut in carcere Hierosolymitano Deus id ipsum illi prædixerat. Actor. 23. v. 11. His adde, quod scripta ad Romanos epistola, tam sedulò salutans omnes qui in augenda re Christiana Romæ laborabant, Petri mentionem non faciat; cum illius cap. 2. ad Gal. Antiochiæ versantis & inter Iudæos, quorum ministerio consecratus erat, agentis prolixè meminerit: Sic ut à Paulo certè constare possit Petrum Iudæis Ministrum, in Oriente vixisse, utpote in quam partem orbis maxima pars illorum diffluxerat: quod ipsum à Petri epistolis haud minus manifestum est, cum primam earum Babylone dederit. Et revera miraculi instar est, rem tanti momenti, è qua Papisticæ religionis summa dependet, in Scripturarum integro contextu, ne quidem attingi verbulo. Nusquam Euangelistæ, nusquam in Epistolis Apostolorum; in Actis Apostolicis nullibi; ne in Apocalypsi quidem ulla Petri Romæ commorantis mentio est. Quare cum Scriptura quæ in rebus ad salutem pertinentibus tam diserta, tam copiosa est, nihil de Petri inquilinatu in urbe Domina loquatur, haud difficulter quis credat, in eadem urbe Petrum non fuisse. Quod si tamen de Petri incolatu constiterit, quomodo sequetur illum Ecclesiæ Caput & Principem fuisse, Papamque Romanum in eo fastigio Petri successorem esse. Ad Eusebii testimonium, qui Clementis Alexandrini & Tertulliani autoritate asseverat Petrum Romæ fuisse, nihil particularim jam respondeo, contentus hoc unum dixisse, te-

ſtes humanos oportere divinis decedere. Sed hæc quæſtio cum ſit primæ quaſi ἀποσπασμάτων, ſufficit de ea breviter aliquid & ἀκροθιγῶς delibaſſe.

Quæſtionem verò ſecundam NVM PAPA QVATENVS ROMANVS EPISCOPVS IVRISDICTIONEM HABEAT IN SOCIOS, jam nunc aggrediar, ſed ſolo Scripturarum auxilio, utpote quibus ſuffragantibus facilè evincitur, neminem Epiſcopum ſupra Coëpiſcopum, imo ne ſupra Presbyteros quidem ulla vel poteſtate vel dominatione præcelluiſſe. Pares enim illos divina fecit conſtitutio; paris autē in parem nō eſſe imperiū inter naturæ κυρίας δόξας eſt. Igitur ut ritè procedat hæc diſputatio, duo probanda ſunt. unum eſt, *Epiſcopos & Presbyteros, jure divino eoſdem eſſe.* Alterum eſt, *Presbyteros juxta cū Epiſcopis jure ordinandi & excōmunicandi polluiſſe.* Quibus evictis conſequetur ultro Romanum Pontificem ut Epiſcopum, authoritate nulla præ reliquis Epiſcopis & Presbyteris ſibi per omnia paribus & æquatis, excellere.

Sed ad primam poſitionem probandam, nos juvant ipſæ voces Epiſcopi & Presbyteri, quæ paſſim in ſacris Literis ſono diverſæ, rem tamen eandem ſignificant. Sic Paulus Presbyteros Epheſinos hortatus, Actor. 20. *Attendite*, inquit, *vos ipſos, & totum gregem, in quo Spiritus Sanctus vos conſtituit Epiſcopos.* Et Epiſt. ad Titum cap. 1. *Reliqui te in Creta, ut conſtituas Presbyteros, oportet enim Epiſcopum eſſe inculpatum.* Et ad Phil. 1. *Salutat omnes Sanctos, qui erant Philippis, unà cum Epiſcopis & Diaconis.* Ita Divus Petrus Epiſt. 1. cap. 5. Presbyteros compellans, *Paſcite*, inquit, *gregem qui penes vos eſt ἐπισκοποῦντες μὴ ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων.* unde patet Epiſcopum & Presbyterum (de iis intelligo qui Eccleſiam docent) munere & functione unum & eundem eſſe, & muneris identitatem geminis vocibus exprimi. Nec juvat reſpondentes Pontificios frigidum illud commentum *confundi nomina muneribus diſcretis.* Nām his in locis ubi Presbyteri vocantur Epiſcopi, non de titulo, ſed ipſo munere quod titulo inſignitur, diſceptatio eſt. Quum Divus Paulus Presbyteros Epheſinos ad officii rationem excitat, hac utitur ſuaſione, *Quod illos Spiritus ſanctus conſtituerit Epiſcopos:* non quod nominis quâdam umbrâ ad ſpeciem Epiſcopalem, ſed quod inſtitutione divina ad virtutem & vim functionis Epiſcopalis ſint admoti. Evaneſcat igitur umbratilis illa diſtinctio ad hujus teſtimonii lucem.

Sed

Sed audiames quid idem alibi dicat Apoſtolus, 1. Timoth. 5. *Qui benè præſunt presbyteri, duplici honore digni habentur, ii maximè, qui laborant in ſermone & doctrina:* Vbi nunc ſuperior ille gradus Epiſcoporum? Excellentiſſimi in Eccleſia ſunt Presbyteri, qui tradendæ & propagandæ doctrinæ Euangelicæ incumbant; Igitur Epiſcopis vel in ordinem Presbyterorum ingrediendum eſt, vel ab omni dignitate & excellentia Eccleſiæ exeundum erit. Quum enim Paulus ageret de honorandis Eccleſiæ Paſtoribus & Miniſtris ordinariis, eos procul dubio ſignificavit, qui primum in Eccleſiaſtico ordine gradum obtinebant. Eccui enim unquam in mentem venerit Paulum cum de honorandis Eccleſiæ Paſtoribus ſermonem haberet, prætermiſſo ſuperiori gradu de inferioribus tantùm facere mentionem? At Paulus eos honore præcipuo dignos aſſerit, non qui manus imponunt ordinandis, qui præſunt & imperant ordinatis (quæ dignitatum privilegia ſolis Epiſcopis injuſtè vendicant Pontificii) ſed qui *laborant in ſermone & doctrina.* Quare mihi quidem liquere non poteſt quæ ſit illa ratio, quâ Presbytero præferatur Epiſcopus.

Sanè deploranda illa, quam adhibetis diſtinctio *presbyteri communiter & propriè accepti*, riſum magis provocat, quam cauſam juvat: ubi eſt enim in univerſa Scriptura locus, in quo nomen Epiſcopi *propriè* dictum (loquor è ſententia veſtra) alicui tribuitur qui Presbyteris ordinariis Eccleſiam doctrinâ juvantibus ſuperior eſt? promiſcuè enim & Epiſcopus dicitur & Presbyter, qui commodis Eccleſiæ pro juſſu & mandato Domini conſulit. Hinc enim eſt, quod Eccleſiis Præpoſiti *Paſtores* nominantur, quia paſcunt gregem Dei. *Doctores*, quia rudes animos cœleſti doctrina imbuunt. *Epiſcopi*, quia mores & doctrinam ſuorum inſpiciunt, obſervant & ſpeculantur: προεστῶτες, quia præſunt & præſident exempli & doctrinæ bonitate: *Duces*, quia reliquis ad cœleſtem patriam iter & viam præeunt: *Presbyteri*, quia gravitate & ſanctitate morum, quæ cum ſeris annis & canitie plerumque matureſcit, lubricam aliorum vel juventam vel incogitantiam moderantur.

Sed nos revertamur ad Paulum, qui Epheſ. 4. recenſens præcipua Eccleſiæ munera *Paſtores & Doctores* nominat, certè non omiſſurus eximium illum Epiſcopòrum ordinem & gradum, ſiquidem tunc inter Presbyteros eminebat. Nam ipſi Papales Epiſcopi, quanquam ſuperbuli Presbyteris, tamen Parochis dene-

gare Pastorum nomen non sustinent, utpote cum animas sibi commissas pabulo verbi nutriant. Quæ sententia, si vera est, debuisset Paulus inter Pastores distinguere, sicut Apostolos ab Euangelistis, & hos ab ordinariis Pastoribus distinxerat; Nam cum omnes hi Pastores essent, sed graduum quadam diversitate differentes, alium ab alio Paulus distinxit & dissepsit, idem procul dubio facturus in Episcopis si vocatio & munus illorum à munere & functione cæterorum Presbyterorum diversum abiret, vel gradu distingueretur. Quamobrem examinato diligentius Pauli catalogo, dubium non erit Episcopos nomine Pastorum contineri, quod Presbyteris passim in Scriptura tribuitur: cujus omnia loca ne excutiam, duo sufficient: Actor. 20. & 1. Pet. 5. verum haud alienum fuerit ab hoc Pauli inspecto catalogo, qui quinque tantum gradus recensuit, ambitiosam posterorum diligentiam notare, qui fœcunda dignitatum & titulorum scaturigine, *Papas, Primates, Patriarchas, Cardinales, Metropolitanos, Archiepiscopos, Parochos, minutos Presbyteros, Archidiaconos, Subdiaconos, Præcentores, Succentores, Concentores, Acolythos, Ostiarios*, & infinitam in Ecclesia negotiantium & cauponantium turbam invexerunt. Et ita defunctus quod primitus probandum susceperam, ad secundum accedo.

Ius ordinandi scilicet *& excommunicandi non solis Episcopis deberi jure divino*, quanquam illo sibi arrepto supra socios semet arrogantius efferunt. At jus divinum hîc intelligo, non quod ex placitis & hominum opinionibus emergit, sed quod è sacris tabulis & cælestibus archivis depromitur, in quibus cum ne verbum imo ne verbuli reperiatur apex quo juris illius privilegium nititur, facessat insolens illa juris divini ostentatio. Quis enim nisi mentis impos existimaverit, rem tanti momenti è qua (ut vestris placet) Ecclesiæ vita, salus, incolumitas, successio, Pontifex, & tota familiæ concatenatio dependent, ab Apostolis fuisse prætermissam? quos nulla piacula solverent à supina negligentia, si juris illius tam necessarii mentionem facere omisissent, quod homines vestri tam operosa diligentia & accurata industria prosecuti fuerunt. Sed hæc ut nosti sine scelere ne quidem cogitari possunt. At argumentum quod inde mihi subnascitur tale est.

Ius illud in quo primaria dignitas Episcopi vertitur & quo presbyteros excellit, aut erat Apostolicis temporibus aut non erat. Si non erat; unde nunc emersit? qua fronte vindicatur? quo colore defen-

defenditur ? Sin erat; unius modo verbuli teſtimonium peto quo vel leviter probetur quod tam audacter dicitur. Nam ſi debuit unus aliquis præfici & præſidere preſbyteris qui Epiſcopus vocaretur, cur Apoſtoli Preſbyteros ipſos inſigniunt nomine Epiſcoporum ? Obſecro curam & diligentiam eorum qui de gradu Epiſcopali tantum ſolicitudinis induunt, ne ſeſe in ea parte gnaviores Apoſtolis aut diligentiores putent. Sed dices *communitate nominum non tolli differentiam rerum ; itaque jus ordinandi & excommunicandi ſolis Epiſcopis fuiſſe commiſſum.* At unde probabis Apoſtolorum tempore inter Preſbyteros & Epiſcopos differentiam fuiſſe ? Communitas nominum in ſcriptis ſacris obvia eſt, Rei differentia nuſquam apparet. Ego contra ſic rectè ſtatui puto ; ubi plura nomina ad rem eandem ſignificandam adhibentur, illic è vocabulorum communitate rei quoque Communionem colligendam eſſe. Non negant veſtri preſbyteros in ſcripturis ἐπισκόπους, προϊσταμένους, προηγουμένους, ἡγουμένους & id genus vocabulis naturam muneris exprimentibus ſignificari.

Et quid igitur impedimenti mihi objicitur quamobrem è vocum illarum communitate ad ipſius muneris communionem non liceat ratiocinando procedere ? Cur enim unus ex iis qui communi voce vocantur, ſibi arrogabit & nomen & jus Epiſcopi aut πρωτοκαθεδρίαν, cum omnes preſbyteri dicantur Epiſcopi & πρωτοκαθέδρους, & ab eodem Domino jus idem eandemque poteſtatem nacti ſunt. Sic enim Paulus ad Timoth. Epiſt. 1. ca. 4 *Ne negligito donum quod in te eſt, quod tibi datum eſt ad prophetandum cum impoſitione manuum preſbyterii.* Vbi gratiam Timotheo datam ait imponentibus illi manum preſbyteris, qui in cœtum unum conſiliandi cauſa convenerant. Πρεσβυτέριον enim pro preſbyterorũ conſeſſu poni, tam verum & vulgatum eſt quam Senatum pro Seniorum Concilio intelligi. Preſbyteros autem non pro ſolis Epiſcopis, ſed omnibus Eccleſiæ præfectis poni quis dubitet qui verſum ſexageſimum ſextum capitis vigeſimi ſecundi apud D. Lucam & verſum quintum capitis vigeſimi ſecundi actorum legerit ? *Igitur cum à preſbyteris ordinatum fuiſſe Timotheum affirmet Paulus, conſequens eſt jus ordinandi Preſbyteros habuiſſe mandato & inſtituto Dei, quanquam hominum artificiis & dolis eidem poſtea fuerit derogatum.* Quocirca ſi differentia ulla inter Preſbyterum & Epiſcopum detur (quam dari negamus) preſbyteri certè ſua dignitate quam longiſſimè præcedent Epiſcopos ; *illis enim jus ordinan-*

dinandi datum fuiſſe, his nullibi conceſſum legimus.

Sed quia nihil pertinaciæ veſtræ niſi magna contentione extorquetur, renovandum eſt certamen tibi pro tuorum Epiſcoporum autoritate, mihi pro dignitate preſbyterorum depugnantibus. Sed ut ante dixi, nec plumbeis Scholæ, nec rubiginoſis ingenii humani telis, ſed ancipiti Scripturarum gladio uſurus ſum, quo ſtrumam Epiſcopalis veſtræ ſuperbiæ fodiam. Ergo ad rem. Si diſcrimen ullum inter Epiſcopum & Preſbyterum inveniri poſſit, dico preſbyteri dignitatem Epiſcopi decore longe illuſtriorem eſſe, & quidem nixus his argumentis:

Nomen quo dignitas & honor inſignitur, præſtantius eſt illo quo labor tantum & opus denotatur. Sed Preſbyteri nomine dignitas continetur. Ergo. Majorem nemo negaverit cui ſinciput ſanum eſt. Et de Minore non dubitaverit qui in Scripturis fuerit exercitatus, nam. in illis hoc nomine ſoli decorantur qui ætate & prudentia cæteros eminent: Vnde Pauli illud effatum. 1. Timoth. 5. *Qui bene præſunt preſbyteri, duplici honore digni habentur &c.* Quo ſatis manifeſtum eſt honorem & dignitatem eo nomine contineri quod præmium & reverentiam promeretur. Iam vero laborem & onus & curam & ſolicitudinem Epiſcopi nomine contineri, non mihi dicenti ſed Paulo affirmanti crede. Sic enim ille Acto. 20. v. 28. & 1. Petr. 5. v. 2. 3. & 1. Timoth. 3. v. 1. *Qui Epiſcopatum appetit, ille bonum opus deſiderat.* Bonum quidem opus, ſed opus tamen, cura, vigiliis, ſolicitudine plenum. Rurſus idem ad eundem. 1. Tim. 5. *Adverſus preſbyterum accuſationem ne admittito niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.* Quaſi dicat homines tali honore & dignitate temerè nec accuſandi, nec accuſatio eorum ad cognitionem facile admittenda eſt: quod ipſum capite eodem diligentius adhuc exprimit. *Preſbyterum* inquit, *ne increpato, ſed hortare ut patrem.* Quemadmodum enim omnis honor & reverentia parenti debetur à filio; ſic omnis obſervantia & cultus à fidelibus præſtandus eſt preſbytero. *Firmum igitur ratumque eſt nomen Preſbyteri dignitate plenum, nomine Epiſcopi laboris & curæ referto, longe excellentius, ipſumque Preſbyterum Epiſcopo potiorem eſſe.* Sed aliud præſto eſt argumentum:

Nomen illud quod ſemper priori loco collocatur quoties cum Epiſcopi nomine conjungitur, illud & dignius eſt & præſtantius. Sed Preſbyteri nomen ſemper primas tenet. Ergo. Sanè quod majorem repudies nihil cauſæ eſt: Sic enim Veſtri cum Petri oſtentent eminen-

nentiam à præpoſito Petri nomine deducunt argumentum. Minorem vero ex ipſis Scripturæ verbis ad oculum demonſtro. Sic enim Actor.20. v. 17. *Miſsis autem Mileto nunciis Epheſum: accerſivit Preſbyteros Eccleſiæ*, quibus v.28. ait inſpectionem Eccleſiæ commiſſam fuiſſe, quos ea quoque de cauſa Epiſcopos vocat. Et ad Titum idem ait ca.1.v.5. *Hujus rei gratia reliqui te in Creta, ut quæ reliqua ſunt pergas corrigere, & conſtituas oppidatim preſbyteros*, & v.7. *oportet enim Epiſcopum inculpatum eſſe &c.* Sic ipſe Petrus. 1.Epiſt.ca.5.v.12. *Preſbyteros*, inquit, *qui inter vos ſunt precor ego Preſbyter ac teſtis afflictionum Chriſti* πoιμαίνατε τὸ ἐν ὑμῖν πoίμνιον τοῦ θεοῦ ἐπισκoπoῦντες. *Vbique Preſbyter Epiſcopo prior ratione loci; potior ergo dignitate.* Sic Divus Iohannes ſe bis Preſbyterum & D.Petrus ſemet ſynpreſbyterum vocat, utpote quo in nomine cumulus & apex continetur Eccleſiaſticæ dignitatis. Superſunt alia rationum robora:

Illi ad quos in rebus arduis, controverſiis implicatis, diſſidiis periculoſis primitiva cõfugiebat Eccleſia: quibus aderat præſens & auxiliator Spiritus: qui Decretis è cœtu ſuo emanantibus moderabantur Eccleſiam: quos ſibi ſocios & collegas in conciliis generali & provinciali aſciſcebant Apoſtoli: qui ſecundum in Synodis dignitatis locum obtinebant; illi certè præclariori dignitate habendi ſunt, quam cæteri Eccleſiæ Miniſtri, qui neque nomine neque loco in Conciliis conſpicui ſunt aut notabiles. Sed Preſbyteri tales ſunt. Ergo Epiſcopis digniores. De majore Veſtri dubitare nec poſſunt nec debent qui dignitatem in Epiſcopos ſuos conferunt pro gradu & loco, quos in Conciliis obtinuerunt. Minorem è Scriptura ſtabilio. Actor. 15. v.2. *Orta igitur ſeditione ac diſceptatione non exigua, &c. ſtatuerunt ut aſcenderent Paulus & Barnabas & quidam alii ex illis ad Apoſtolos & Preſbyteros Hieroſolymam de hac quæſtione.* Et verſ. 6. *Congregati ſunt Apoſtoli & Preſbyteri ut diſceptent de hoc negotio, &c.* Hinc luce clarius eſt, Eccleſiam aborta diſputationũ implicatarũ caligine confugiſſe ad Preſbyteros, ut eorũ radiis diſcuterẽtur: Eoſdẽ Apoſtol. ſocios, dignitate proximos, & officio illuſtres fuiſſe.

Sed animum ad ſequentia adverte. v. 22. *Tum viſum eſt Apoſtolis & Preſbyteris cum tota Eccleſia delectos ex ſe viros mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, &c.* verſ. 23. *Et iſta per manus eorum ſcribere: Apoſtoli & Preſbyteri & fratres iis qui ſunt Antiochiæ ſalutem.* verſ. 25. *Viſum eſt nobis concorditer coactis, &c.* verſ. 28. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, &c.* Quibus omnibus Preſby-

Presbyterorum dignitas, Spiritus sancti præsentia, Decretorum faciendorum potestas, factorum promulgatio, tota denique Syllogismi minor disertissimè probantur. Visne quid amplius? nondumne morositati tuæ satisfactum est? videsne usquam tuos Episcopos? quæ illos nubes operuit in hoc generali Concilio? quibus illi latebris occuluntur, dum tanta celebritate tanta frequentia Synodus aperitur? Quid hoc rei est? num generale Concilium habetur sine Episcopis? quam novum hoc & insolitum vobis, qui solis Episcoporum togis effarcitis Concilium. Sanè nos hoc exemplo moniti non verebimur asserere, Presbyteros dignitate Episcopis potiores esse, & Concilia generalia sinè Episcoporum affluxu ritè celebrari posse.

Sed operæ pretium est videre, num in ipsam provincialem Synodum fuerint vocati. De ea re sic accipimus Actor. 20. vers. 17. *Missis autem Mileto nuncius: accersivit Presbyteros Ecclesiæ.* Hic liquet in re gravissima sine Presbyteris nihil ab Apostolis tentatum fuisse, Presbyteros Apostolis in omni cõsultatione socios, in deliberationibus proximos esse: Minori denique satis & abundè asserta, conclusionem meam immobilem esse. Sed hoc in loco assurge paullùm & intuere non Petrum, sed Paulum Ecclesiæ Rectorem & Monarcham. Non enim Petrus hîc decreta, quibus universa obtemperet Ecclesia, sed Paulus facit. Imo respice Concilium haud dubio legitimè vocatum & tamen inconsulto Papâ. Animadverte denique datam Presbyteris authoritatem exigendi lupos rapaces è grege Dei. Sed forsitan dices, in provinciali hoc Concilio interfuisse Episcopos: Ego revera non nego. Sed quinam erant illi, qui Episcopi vocantur; nonne iidem qui Presbyterorum nomine ante denotantur?

Huc ergò recidit tua pertinacia, ut posito inter Episcopum & Presbyterum discrimine, fatendum habeas, Episcopi dignitatem infra Presbyterum esse, quod præfracte negasti, vel Episcopum & Presbyterum unum idemque muneris & authoritatis nomen esse, quod invitus concedis. Et certè cum Scriptura sentienti non major inter Presbyterum & Episcopum differentia erit, quàm cum vulgo loquentibus inter Ecclesiæ Ministrum & Ecclesiæ Pastorem discrepantia est. Sunt enim Synonima. Sic posita tandem paritate imo identitate Presbyteri & Episcopi, quam immanis absurditas est aliquid Episcopo concedere, quod Presbytero denegas? huic jus ordinandi & excommunicandi negas;

gas; tribuis illi. Quænam ista paritas, ubi unus ad omnia Ecclesiæ officia admittitur, alter iisdem excluditur? Certè si divina vos non movet authoritas, moveat ratio; ne degeneretis in belluas. Iamdudum Presbyteris maxima concessistis, cur arcetis illos minoribus. Diabolos ejicere, Christum è farina fingere, Intertralatitia Presbyteri opera est. Num ordinatio Ministelli, vel excommunicatio improbi, tam arduum, tam mysticum est, ut non debeat his committi, quibus in cœlum & inferos potestatem dedistis? & tamen his non concessis corruit quam fassus es paritas.

Verum sicuti jam ante, nequicquam frequente arrogantissima vestra ignorantia, probavi Presbyteris jus ordinandi datum fuisse, & Episcopis nullibi concessum; ita nec arduum est evincere *potestatem excommunicandi* Presbyteris competisse, utpote præconibus Euangelii, & ligandi solvendique authoritate instructis, omniaque in Ecclesiæ cura & Sacramentorum Ministerio munia obeuntibus, quæ ab exercitatis maximè Episcopis exerceri possint. Igitur cum claves acceperint Regni cœlorum, excommunicandi facultas quæ clavibus his potissimum utitur, concessa simul illis & attributa fuit. Quod in negotio incestuosi illius 1.Cor.cap.5. facile judicatur, ubi Ecclesię facultatem ejiciendi nequam hominem concedit Apostolus.

Quid ad hoc homines vestri regerunt? Sanè lepidum aliquid & nunquam satis ridendum. *Septem Stellæ*, inquiunt, *Angeli sunt septem Ecclesiarum*. Apocalyps. 1. vers. 20. hoc est, pictorum more humano capiti cervicem equinam jungere. Quæ hic cognatio rerum, quæ affinitas, quæ connexio? Quid hoc portenti est? *Septem Stellæ sunt septem Angeli: Ergò Episcopus major est Presbytero*. Si ulla est in bestiis ratio, credo sic asinos disserere. Et tamen hic ratiocinandi modus vobis perfamiliaris est. *En*, inquit *Petrus*, *duos gladios*. Ergò subjungit carduis pasta dialectica; Papa potestatem habet temporalem & spiritualem. *Tibi dabo claves*, inquit Christus, alloquens Petrum. Ergo Papa est Caput Ecclesiæ. *Pasce oves*, Ergo Papa est Rex, Monarcha, & Dominus dominantium. videor audire quod apud nos pueros in Scholis logicorum cachinnis exsibilabatur. *Baculus stat in angulo, ergò Sacerdotes non debent nubere*. Credo te ad hæc flagitia, quanquam sis ferox, ingemiscere. Nosti enim ex loco allegorico nihil solidè concludi, vetus enim & usu probatum

Theolo-

Theologiam Symbolicam non esse argumentativam. Deinde quanquam per Stellas intelligantur Pastores Ecclesiarum, quid hoc ad probandam Episcoporum supra Presbyteros eminentiam?

Sanè non inconcinnè Pastores ad Ecclesiam, nec illiberali metaphora referantur. Cum enim Ecclesiæ comparentur candelabris, rectè Ministri illarum comparantur lucernis, utpote quorum officium est præluçere cæteris, tum puritate doctrinæ, tum innocentiâ morum. Matth. 5. vers. 15. Iohan. 5. 35. Cum Ecclesia comparetur cælo, Ministri stellis non absurdè assimilantur. Cum Ecclesia vocetur regnum cœli, non absonum est Ministros ejus Angelorum nomine decorari. Sed hæ voces illis impositæ non sunt ad provocandam ambitionem, superbiam & appetitum dominationis in socios: sed ad repetendam renovandamque muneris & officii sui memoriam, ad excitandum studium promerendæ tantæ dignitatis; ad excitandam industriam quâ respondeant spei de se conceptæ, quâ satisfaciant denique expectationi sui. Col. 4. v. 17. 2. Timoth. 4. v. 5. *Vt servent depositum.* 1. Tim. 6. v. 20. *quod curæ illorum commissum est.* Vt immaculata luce morum & doctrinæ, Populum Dei, velut stellæ irradient; 1. Tim. 3. v. 2. ut memores acceptæ à Deo erga fideles Curæ (Psal. 91.) cum fide & diligentia Angelorum instar exequantur creditum sibi munus in salutem eorum quibus famulari jussi sunt. Hebr. 1. v. 14.

Imo his ipsis vocabulis diligentia eorum & fides de præmio & solatio admonentur. Nam cum stellæ sunt in dextra Domini, de præsidio & tutela certi securique sunt (Ioh. 10. v. 28. quis enim illos eruat è manu potentis?) quamdiu hausta à Sole Iustitiæ lucem sinceram & nitidam in populum sibi traditum transfundunt.

Dum Angeli sunt, nuncii, legati Dei de præmio navatæ operæ dubitare non possunt, si nihil ad fidem & industriam in perfungenda legatione reliqui fecerint. In hos usus & hæc commoda fulgentibus his titulis Ministri decorantur: Non ut illis insuperbiam abutantur & fastum sibi indecorum aliis gravem quod Episcopis vestris in more est, qui lucem omnem, dignitatem omnem sibi vendicant, & Ministris reliquis nihil concedunt, nisi quod tenuiter admodum & malignè ab illis defluit & scintillat. Nam sicut in Apocalypsi, Asiaticarum Ecclesiarum ministri stellæ vocantur, sic omnes ubique omnium Ecclesiarum Pastores,

res, dum ipsi sanctitate fulgentes facem aliis præferunt, stellæ sunt & merito vocantur. Fulgent enim in oculis Ecclesiæ; Sed unum enixe bonis cavendum est ne studio magnificentiæ & ambitione temeraria splendorem fratrum sociorumque conentur præstringere. Quo crimine cum Episcopi vestri jamdudum infames sint; eâdem objurgatione flagellandi sunt, qua Diatrephes olim eâdem insaniâ percitus à Divo Iohanne persectus fuit. Epist. 3. Et hæc quidem pro tuenda presbyterorum dignitate, refutandaque tuorum Episcoporum superbia, dicta sunto.

Iam ad objectionum tuarum postremam accedo. *Tito*, inquis, *& Timotheo non nego jus ordinandi & excommunicandi, utpote Episcopis & speciali Apostolorum voluntate id juris consecutis.* Quod effatum quibus Scripturæ testimoniis innixum sit, agedum videamus. Paulus *reliquit Titum*, inquis, in *Creta*, hoc est præfecit illum Ecclesiæ Cretensi Episcopum, & 1. Timoth. cap. 1. *Rogavi te*, inquit Paulus, *ut remaneres Ephesi, & manus ne cui cito imponito*, & 1. Tim. cap. 5. *Adversus presbyterum accusationem ne admittito, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Hinc, inquis, manifestum est Timotheum & Titum Episcopali dignitate & potestate instructos de ordinandis & judicandis presbyteris autoritatem accepisse, postquam ille Ephesi hic in Creta constituti essent ab Apostolo Episcopi. Sed priusquam argumenti nodum, si quis forte sit, exscindimus, intueri primò decet num ea quæ dicuntur, vel Tito vel Timotheo convenire possint. Est enim hoc receptæ veritatis, Episcopo sedem certam in qua suo munere fungeretur assignatam fuisse: Iam verò quis nescit Titum & Timotheum Pauli Comites & peregrinationis socios sedibus incertis jactatos varias orbis partes perambulasse, non magis hujus quam illius gregis curæ invigilantes.

At Episcopis & ordinariis Ecclesiæ pastoribus mandatum sibi loci vel gregis curam deserere nefas erat. Hinc illæ hortationes. 1. Petr. 5. *Pascite Dei gregem qui penes vos est.* Tit. 1. *Constitue presbyteros oppidatim.* Actor. 20. *Attendite vos ipsos & totum gregem Dei, in quo vos Spiritus Sanctus constituit Episcopos ad pascendum Ecclesiam Dei.* Sua enim cuique Episcopo Sparta quam ornaret, à cujus statione discedere cœlestis militiæ flagitium est. Igitur qui Timotheum & Titum imo

Petrum ipsum & cęteros Apostolos fuisse somniant Episcopos, næ illi Domestico præconio suæ ignorantiæ testes convocant. Nam Episcopum qui ponit & præciam ponat necesse est sine qua dari nequit Episcopus: Hanc autem ubi gentium Petro & Paulo & Timotheo & Tito daturi sint homines vestri, relinquo illorum audaciæ qua nullam non veritatem adulterant. Nobis hoc certum est, Apostolos & Euangelistas, non particulari populo sed toti gentium universitati datos Doctores, pro rei usu & mandato Domini, modo huc modo illuc converso itinere omnium commodis & saluti juxta consuluisse: quare non inepti tantum sed & impii judicandi sunt qui dominationis suæ stabiliendæ gratia, Apostolos & Euangelistas ex superiori dignitatis ordine, ad Episcopatum detrahere non verentur.

Sed ipsa jam Pauli verba ponderemus. *Reliqui te* inquit *in Creta*. Rectè. Quid jam? Num igitur Cretensis Episcopus ilicò prodit quia relictus in Creta? Nihil tale extat in Apostoli verbis: è quibus hoc apparet breviusculæ moræ causa, & peragendi specialis negotii relictum in Insula Titum. Subjungit enim. *Quum misero Artemam ad te aut Tychicum, stude venire ad me Nicopolim: Nam illic decrevi hybernare.* Respondent vestri è Patrum scilicet sententia Cretensem Episcopum fuisse Titum, sed ob id à Paulo accersitum, ut institutis & præceptis illius imbutus ad suos rediret doctior. Honesta oratio. Sed cur amabò gregem suum Titus desereret ut Pauli colloquio eruditetur, cum hac ipsa epistola satis ab Apostolo instituatur: cum & aliæ, si quid monendum supereresset, commeare possent Epistolæ? Num hoc in more positum Paulo fuit eruditendos ad se vocare? Nonne doctrinæ & institutionis indigentibus ipse solitus ultro accedere: & si quando retarderetur suæ præsentiæ defectum litterarum vice supplere? Sed quid in re perspicua verbis abutimur? Ipse Paulus jam morti vicinior *Titum à se in Dalmatiam profectum fuisse testatur* 2. Timoth. 4.

Et quod in negotio Titi jam responsum est, idem in Timothei causa valet, *quem rogavit* Apostolus profecturus in Macedoniam *ut remaneret Ephesi*. Nec enim hanc consecrandi Episcopi formulam, ut opinor, agnoscitis, nec rogandus videri potest Timotheus ut in paræcia sua remaneret, si curam ejus

Episco-

Episcopalem jam susceperat, nisi forte putes Timotheum eo vitio laborasse quo jam plerique vestrum laborant, quibus Ætna gravius onus videtur paræciæ suæ curis & muneribus alligari. Sanè ipsa loquendi ratio satis arguit, ob id rogatum fuisse Timotheum ut Ecclesiam illam præsentia sua firmaret. Quod ne videar sine idonea autoritate effari, inspice Historiam Divi Lucæ qui cap. 20. Actor. narrat, quemadmodum Paulus confecto illo itinere, cujus ipse meminit in prima ad Timotheum, eundem sibi rursus itineris & peregrinationis suæ socium asciverit. Nec obscurum est quod instante jam Martyrii triumpho Paulus illum evocaverit Romam. 2. Epist. Timoth. cap. 4. *Stude venire ad me cito : Nam Demas me dereliquit.* Et in Epist. ad Hebræos : *Scitote Timotheum fratrem nostrum liberatum esse, cum quo si celerius venero, visam vos.* Quare te jamdudum confitentem audire videor quod Ephesi non subsisterit ; quo concesso corruit Episcopatus qui sine certa fixaque sede nullus est. Sed de Timotheo & Tito Pauli sive Ministris sive συνέργοις (utroque enim nomine vocantur. Actor. 9. 1. Thess. 3.) quos homines vestri fingunt Episcopos fuisse, pro modulo litterarum, satis dictum est.

Nunc ad examen vocandum est aliud tuum argumentum, quo Episcopi ὑπεροχὴν probare niteris è verbis Divi Pauli. 1. Timoth. 5. *Adversus Presbyterum accusationem ne admittito, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Vbi tamen parum animadvertis te principium petere. Negamus enim & cum ratione pernegamus, Timotheum fuisse Episcopum. Argumenti tamen tui vim spectemus. *Iudex*, inquis, *superior est iis quos judicat.* Sanè. Sed quid inde concludis ? Enimvero si Divus Paulus in persona Timothei cunctos officii sui monitos voluit Ecclesiæ Pastores, nihil ex hoc loco stabilimenti accedet tuis Episcopis : Sin autem Timothei personam urges, eamque non egrederis, quid efficis nisi Timotheum reliquis superiorem fuisse ; quod à nostris non negatur : erat enim Divi Pauli συνεργὸς & laborum socius, & particeps Apostolici muneris, consors Euangelisticæ dignitatis. Hoc tamen in loco si diligentius circumspicimus apparebit, nec ipsi Timotheo Regiam, absolutam & ἀνυπεύθυνον judiciorum potestatem in Ecclesia concessam. Sed omnia ordine legitimo consuetoque Ecclesiæ moderamine temperanda fuisse. Sunt e-

nim hæc ipsius Pauli verba. 1. Corinth. 5. *Nonne de iis quæ intus sunt vos judicatis?* Quæ verba spectatissimi quoque vestri ordinis de Ministris & Pastoribus quibusvis dicta interpretantur. Quare quemadmodum non solius Timothei partes erant peccatores & reos coram omnibus reprehendere: quanquam eo loci specialiter facere Timotheus jubetur: ita non solus Timotheus judicare Presbyteros, sed cum aliis unà simul Ministris debuit. Quare axioma illud tuum de Iudicis Superioritate nonnihil vacillat. Licet enim judicare sit aliquid majus quam judicari, tamen nō ideo Iudex semper judicato major est. Potest enim Senator ab ordinis Senatorii viris judicari; imo Regum causæ ab iis judicibus disceptantur, quos & legit ipse Rex, & judiciis præfecit. Quare & illius argumenti impetum frangi vides.

Sed repetamus argumentum, quo Titum & Timotheum Episcopos *propriè dictos* fuisse contendis eoque nomine potestatem ordinandi obtinuisse. Sic ais. monet Timotheum Paulus 1. Timoth. 5. *ne cui manus citò imponat*; Titò mandat, ut *in Creta constituat Presbyteros*, unde concludis audacter, eos solos ordinandi jure polluisse. Qua in re si te falli dixero, noli putare me quicquam derogare judicio tuo, quod acutum & acre est; Sed incusare studium in te & affectum causæ quibus à veritate transversus raperis: credis enim χειροθεσίαν Presbyteris negatam, solis Episcopis propriam esse, eo quod Timotheus apud Ephesios, Titus apud Cretenses impositione manuum Ecclesiæ Doctores, velut auspicatò, ad munus suum admittebat. Mendosè. Nec enim sequitur id Presbyteris Ephesinis negari, quod Timotheo præcipitur: jubetur quippe aliàs Timotheus *lectioni, exhortationi, doctrinæque attendere.* Et alibi Titus, *sanam Doctrinam docere:* quæ si Presbyteris ideo velimus interdicta fuisse, sanè risu puerorum refutabimur. Hoc enim luculentissimis monumentis constat in veteri Ecclesia moris fuisse, ut à pluribus manus imponerentur. Sic Septem viris illis, quos Diaconi nomen primos nobilitavit, non unus ex Apostolis, sed Apostoli manus imposuerunt. Actor. 6. Sic Paulo & Barnabæ manus impositæ fuere ab iis, qui Antiochenam Ecclesiam administrabant. Act. 13. Sic Timotheo non unus modo Paulus, sed πρεσβυτέριον manus imposuit. Quare genus illud argumentandi perabsurdum

ſurdum eſt. *Timotheus & Titus impoſuerunt manus ; Ergò impoſuerunt ſoli : Seclusis ab hoc jure cæteris Preſbyteris.*

Non diffiteor tamen ſubinde temporis & rerum lapſu auctis jam ubique in numeroſam multitudinem Preſbyteris, unum aliquem ex iis electum fuiſſe, qui cæterorum nomine & vice manus ordinandis imponeret. *Sed ab initio* (de quo jam quæritur) *non fuit ſic.* E qua paulatim conſuetudine Epiſcopi dignitas & ſuperioritas adolevit, factumque ut non Preſbyteri modo, ſed Reges ipſi & Principes incredibili rerum humanarum ludibrio, novæ hujus & monſtroſæ poteſtatis audacia proculcarentur. Cæterùm ſi tibi largiar Timotheum apùd Epheſios, Titum in Creta ſolos impoſitione manuum uſos fuiſſe, nihil inde cauſa tua vel unctior erit vel melior : Nec enim id Epiſcopali authoritate, ſed Apoſtolica poteſtate feciſſe judicandi ſunt ; erant enim Apoſtolicæ curæ Vicarii. Nec audio nunc, quæ de veterum ſententia ambitioſius ingeris : licuit illis abundare ſuo ſenſu. Mihi ſanè videtur ineptum magno conatu & labore puteos effodere Traditionis humanæ, cum pateat profluens divinæ veritatis.

Sed hæc refutandæ illius argumenti conſequentiæ dicta ſunto : antecedentem examinemus, ſed præfati ſtatin in introitu χειροθεσίας nomine totam electionem contineri. Nec enim ea Pauli mens eſt, ut Timotheus & Titus, omiſſis omnibus aliis, quæ ad peragendam ritè electionem ſpectant, ſoli manuum impoſitioni vacarent : quorſum enim ea quæ in Epiſcopo eligendo requiruntur, tam accuratè, tam diligenter paulo ante deſcripſerat ? Certè non ſolas manus, ſed oculos & aures & animi judicium requirebat Paulus, ut fama ſpectatus, moribus probatus, nec ſubdola virtutum ſpecie, ſed vivis coloribus enitescens, Eccleſiæ regimini admoveretur : electionis verò curam Timotheo & Tito ſolis incubuiſſe quis affirmet ? Nulli Pontificiorum adeo frons deperiit, ut hoc audeat ? ultro ſemet ingerente vel in oculos invitos veritate, non aliter ſcilicet antiquiſſimis temporibus Eccleſiæ Antiſtites, niſi Cleri totius judicio & plebis univerſæ conſenſu electos fuiſſe : ſic ut meritò dici poſſit omnes Eccleſiæ præfectos in Timothei & Titi perſonis officii ſui hoc loco monitos eſſe. *Quis enim ſanus hoc argumentum ferat ? Paulus Timo-*

theo & Tito præcipit, ne cui manus cito imponant: Ergò præter illos nemini jus fuit ordinandi?

Nonne pari ratione dixerim? Tito præcipitur *ſana doctrina, ergo reliquis à ſanitate Doctrinæ deſiſtendum eſt.* Sed hæc flagitioſa ſunt; Quanto rectius illud Timotheo & Tito præſcriptam fuiſſe officii rationem, ut in hos tanquam in ſpeculum cæteri intuentes, ſui quoque muneris inſtituta & leges addiſcerent. Sed quod Timotheum & Titum, hunc Cretenſem, illum Epheſinum Epiſcopum fuiſſe contendis (loquor de tali Epiſcopatu qualem vos procuditis) nullo ſcripturæ teſtimonio nititur, imo diſertis Pauli verbis evertitur. *Rogavi te ut maneres Epheſi quum proficiſcerer in Macedoniam. Et reliqui te in Cretâ.* E quibus apertum eſt Timotheum & Titum temporis exigui moram ordinandis Eccleſiis illis ex Apoſtoli mandato impendiſſe. Nam commoratus Epheſi Timotheus à Paulo poſt trimeſtre è Macedonica & Græca peregrinatione reverſo in Aſiam comes expeditionis ſanctæ aſſumitur; brevis igitur in Epheſo Timothei mora & minimè Epiſcopalis. *Iam verò Titum iviſſe Nicopolim.* Tit. 3, & poſtea *in Dalmatiam profectum fuiſſe.* 2. Timoth. 4. Paulus ipſe teſtatur. Quod autem Paulus hac ſuccedanea Titi & Timothei opera fuerit uſus à nemine negatur. At Timotheum omnium Eccleſiarum ad quas ille veluti legatione functus eſt Epiſcopum facere, hoc demum foret operoſum hominem & multiplicem fingere. Nam & Corinthii & Philippenſes & Theſſalonicenſes & Epheſii hunc ſibi præſulem vindicabunt; certabuntque non pauciores de hujus Epiſcopatu Eccleſiæ; quam de natalibus Homeri contendunt urbes.

Sed à te quærendum puto quid ſcilicet excedentibus Epheſo & Creta duobus his legatis factum fuerit illo præcepto *ne temerè manus imponerentur?* Exolevitne? Quis porro poſtquam illi alio commigraſſent, ordinandis quotidiè Miniſtris præerat? Credendumne χειροθεσίαν apud has Eccleſias deſuetudine intermortuam fuiſſe? Quid ais? operum tuorum eſt hæc dubia fovere. Iam verò & aliud extricandum occurrit cur Paulus convocatis Epheſinis Preſbyteris Actor. 20. In graviſſima illa exhortatione nullam Epiſcopi faciat mentionem, numquam eum nominatim appellet, cum tamen ille ſi cura & dignitate reliquis præcelleret, ſpeciali nomine excitandus videretur:

retur: at Paulus omnes generatim presbyteros allocutus, *vos* inquit, *Spiritus Sanctus constituit Episcopos ad pascendam Ecclesiam Dei*, præsente tamen Timotheo & itineris comite; ut arduum, ita splendidum munus (si suis humeris Ephesini Episcopatus molem sustineret) aut aliàs oportunius effulgescere debuit, quam quum Paulus tam piè de salute Ecclesiæ concionatus ad labores & vigilias præfectos cohortando obarmaret. Sed ne nosmetipsos his quæstionibus afflictaremus, D. Paulus ipse disputacibus ingeniis omnem ansam eripuit, quum verbis expressis Timoth. appellat Euãgelistam. 1. Timoth. 4. qui gradus in Ecclesia momentaneus fuit ab ordinarii pastoris munere diversus. Ephes. 4. Quare fatendum quidem est Timotheum & Titum Pastores Doctoresque fuisse, sed Ecclesiarum & magnæ illius fidelium omnium universitatis. Non hujus Ecclesiæ, nec certè illius aut definiti loci: Damnãdus autem vel error aliorũ, vel increpanda malitia, qui Timothei & Titi exemplis ad primatum Episcopalem stabiliendum abutuntur: Sed admiranda præcipuè vis veritatis', quæ sæpè ab hostibus suis voces extorquet, quibus ipsi se jugulant. Hinc enim Remenses 20. Act. haud diffitẽtur Apostolicis temporibus inter Episcopos & Presbyteros nihil fuisse differentiæ, & rem eandem vocibus diversis exprimi. Quocirca & sacræ Scripturæ oraculis innixi, & adversariorum confessione adjuti non dubitabimus, Papæ tyrannidem, quâ sociis insultat, quâ Ecclesias exagitat, quâ Superiores suos ludificatur, ut impiam & sceleratam fugere & detestari.

Quæstio tertia supereſt. NVM EPISCOPI PAPALES SINT VERI EPISCOPI? Si enim tibi concesserim, Romano Pontifici jus esse imperandi Ecclesiis, & quidem divina nixum authoritate? Si porro mera quadam liberalitate tibi dederim, Episcopum jure divino Presbytero majorem & superiorem esse, magnus tamen nos urgebit scrupulus, num Episcopi vestri revera sint Episcopi, an specie tantum & umbra nominis Episcopos ementiantur: carent enim omnibus illis requisitis, quæ Episcopum absolvunt, non fumo tituli, sed luce muneris splendescentem. Ab hoc enim ordiri principio convenit, neminem jure dici posse Episcopum, qui non est revera Episcopus. nec enim de nominis umbra, sed substantia rei quæritur. Igitur cum de legi-

tino Episcopo disceptatur, non id respicimus quomodo vocetur, sed num id, quod tali nomine vocatur, in se contineat. Quare cum D. Paulus Episcopatum indigitat *opus*, ipsa ratio concludit, vbi nec opus, nec munus, neque functio est, ibidem Episcopatum non esse.

Sed ut distinctius agamus, duo considerandа sunt, quæ Paulus requirit in Episcopo. unum est legitima vocatio, alterum legitimi muneris functio: quorum altero vel utroque si careant Vestri, actum est ilicet de Episcopatu, licet mille titulorum versicoloribus plumis superbiat. Iam vocatio qualis esse debeat, edisserit Scriptura; ut eligendi probentur mores, spectetur doctrina, ut probatus exinde spectatusque non nisi consensu eorum, quibus præfuturus est imponatur regimini: ejusdemque Scripturæ legibus functionis sanctimonia sancitur, ut gemino Verbi divini pabulo gregem nutriat, Sacramenta ex instituto Domini, non cerebri sui commento administret, ut firmet bonos, arguat malos, soletur infirmos, vitia denique verbi & disciplinæ gladio amputet, exscindat. Hæc Episcopi functio, hoc munus est: hæc qui præstiterit, is demum magnus & illustris, quanquam inopis & ignobilis ruris angulo delitescat, apud pios, apud Angelos, apud Deum futurus est. Hæc qui neglexerit, licet & latè imperitet, & immensos reditus colligat, nec Dei Servus, nec Pastor, nec Episcopus est. Quomodo enim sit Episcopus, qui non exercet Episcopatum? Itaque non quæro de vestris boni maline, sed num reverà Episcopi sint? Qui enim esse possint, quos neque vocatio, neque functio legitima idoneos facit? Num miles est qui Sacramentum non dixit, qui nunquam sub pellibus agit, nunquam in acie stetit, in expeditione nunquam versatur? Sed nolim abire longius.

Vocatio Vestrorum qualis tandem est? quid in ea sancti, quid pristini & legitimi moris? Piget me tædetque de pudenda illa promercalium titulorum & redituum inter cauponantes nundinatione loqui, cujus flagitia & dedecora tanta sunt, ut exprobrari reis salvo pudore non possint. Sed ubi electio? ubi eligendi diligens & pia probatio? cum tamen sine electione nulla sit fueritve ordinaria vocatio: At de defunctione muneris quid dicam? quæ voces sufficiunt in querelam? ubi doctrinæ & verbi, ubi Sacramentorum administratio? ubi cura disciplinæ

næ & morum? ubi ſolatia pauperum? ubi increpatio malorum? heu lapſæ res Romanæ! heu ruina florentis Eccleſiæ! non electi, non vocati; per ambitum, pecuniam, malas artes obtruduntur ad regimen; obtruſi verò, nec docent, nec regunt, nec ulla parte muneris illius funguntur, à quo ſuperbum & ſibi dedecorum titulum arripiunt. At nobis interim tam ignava, tam ſocordi patientia utendum eſt, ut illos Epiſcopos, vel per ſomnium putemus nihil Epiſcopale, nihil illo dignum munere, nihil quod titulo reſpondeat, nihil quod tanti nominis menſuram impleat, exercent?

Sanè per me licet, ut qui ſordet, ſordeſcat adhuc. Ego ſaltem Deo gratias ago, quod nonnullas mihi tenebras deterſerit, eundemque precari non deſinam, ut diſcuſſa quæ reſtat caligine, magis magiſque jubar veritatis exoriatur in animis noſtris, cujus amore & cupidine inductus, hoc quicquid eſt, ad te inſcripſi, non magiſtri ſupercilio, ſed humilitate diſcipuli, quo gratiorem non temerè reperies, ſi vel errantem reduxeris in viam, vel ignorantem meliora docueris. Vale & reſcribe.

FINIS.

D. B. B.

D. B. B. S. P. D.

IOHANNES BASTWICK.

Ornatissime Domine,

VM apud animum meum reputo singularem humanitatem & compositos mores longè plurimorum hominum qui Papismum profitentur, ingentem induo fiduciam hoc quicquid est scripti non displiciturum hominibus vestris: Multò minus Tibi, quem mira indolis & Naturæ suavitas finxit ad amabilem vitæ æquanimitatem, & cui hoc quantulumcumque est operis devotissima tenerrimæ mentis voluntate consecratur. Nec hîc tantum fiducia stetit, sed errorum quoque veniam, si fortè in tam arduo conatu nonnulli animi humani caliginem illuserint, pollicetur. Nec injuria sanè sic mihi spondeo, utpote qui pravæ destinationis integer sola rectè facti conscientiâ & ingenuâ cupidine promovendæ utriusque nostrum beatitudinis ad hunc laborem accedo. Quis enim humanam industriam arguat, quæ in vindicandâ avitâ hæreditate, expellendaque Calumniantium iniquitate versatur? Quis non illum laude prosequitur qui jus suum sibi asserit, qui fraudes alieno Patrimonio insidiantium veritate & legibus opprimit? Quare cum ea res in humanis decori sit, in divinis certè erit illustrior.

Non enim hîc de hæredio post mille casuum reciprocos æstus mox perituro agimus, sed de cœlesti Patrimonio inter inexhaustam felicitatis affluentiam in omnem æternitatem perennaturo. Nec ipsa solum rei gravitate, sed Dei jubentis autoritate ad curam hanc & diligentiam impellimur. Quocirca cum Papisticæ Religionis Mancipes ingens illud & divinum hæredium à nobis tanquam exteris & peregrinis, quibusque in judicio consistendi jus non est, avulserint, sibique solis vindicaverint, magnum me operæ-pretium facturum putavi, si fraudes & calumnias usurpatorum, simulque jus nostrum instrumentis, tabulis, testibus *edocuerim.*

Quod ut ritè procedat in ipso limine fateor alterutram partem in gravissimo & perniciabili errore versari. Cum enim hinc inde tam oppositæ sententiæ, tam contraria axiomata teneantur, fieri non po-

test

test ut utraque litet veritati ; è cujus sinu qui excidit in miseriarum Barathro periturus volvitur : Quod ipsum à prudentioribus vestris animosè asseritur. Cum enim veri adoratores tantum salventur, *de reliquis jam perlata sententia est : & novimus quis sit ille decretorius stilus.*

Quare non iniquè feres, Vir præstantissime, si in re tanti momenti, & quæ tua permagni interest, conscientiam tuam paullò strictius interrogem, num è semita veritatis excidisse te non persentias, cum ab Ecclesia nostra devius ad Papisticos conventus deflecteres. Quod non ideò dico, quasi sponte & desperato ingenio, visis melioribus, ad deteriora convolaveris ; scio quantum apud bonos sæpè viros calumniæ valeant, quibus innocentiam religionis nostræ adversarii infamant.

Quis enim non moveatur, cum hæresin, seditionem, rerum novarum studium, perduelliones in Magistratum, abolitionem humilitatis & jejunii, odium denique virtutis & bonorum operum *objectari nobis audiverit, & quidem tam pertinaci & impudenti clamore ? scio quam facilè nocens videatur, cui tam dira ingeruntur. Sed tui judicii est & moderationis, nisi re explorata, non accedere ad calculum. Objecta si vera sint, summo te jure subduxisti à sceleratis. Sin falsa (sicut revera sunt,) quãto te periculo in cœtum illum induisti, qui sola calumniãdi & pudenda arte se tuetur?*

Memoria tenes Christum ipsum & Apostolos omnes similibus vel iisdem inimicorum telis petitos & sæpè obrutos fuisse. Sed illorum responsa, quibus hostes jugularunt, etiam nos armant contra maledicorum insaniam. Non ausim dicere (quia de tuo ingenio nihil humile cogito) te permotum fuisse Pharisaica illa arrogantis Papismi exclamatione, cum nobis pauperiem exprobrat, & tenuis popelli colluviem ridet, cum sæculi magnates, Patrum traditiones, omnia denique magna & illustria nobis infesta vociferatur, cum miraculorum denique splendorem, & vocationis nostræ rationem poscit. *Non ignoro fluxas sæpè mentes his maledictis veluti machinis labefactas esse.*

Sed interim miror homines vestros, cùm Phariſæorum infaustum exitum non nesciant, nefandas eorundem artes non exhorrescere. Quantum enim scelus, & quantis suppliciis expiandum ? Viam veritatis velut objectis calumniarum scopulis occludere ; nec ad suam tantum, sed aliorum perniciem ingenio abuti. Nam cum unus tantum Deus *sit, & una* Deum colendi ratio ; *quicunque rationem illam deserit, ille sibi & miseriæ suæ relinquitur. Et sanè, quamvis*

calumniæ

calumniæ primo impetu valeant, tamen à veritate deprensæ languescunt. Nec enim inde religioni vestræ robur vel nostræ imbecillitas accessit. Non enim ita malè comparatum est, ut religionis sanitas ab hac vel illa mobilium ingeniorum opinione pendeat. Veritati enim sua natura remanet, quamvis eandem calumniæ denigrent: Nec erroribus sua falsitas demitur, quamvis mille schematum coloribus & picturis varietur.

Cæterùm opinatu haud absurdum fuerit illa re te quoque non parum permoveri, quæ plurimos movit, & multis disputationibus materiam dedit. Fuerunt enim inter nostros viri minimè mali, præclara eruditione & eximio charitatis affectu, qui tum publicis alloquiis, tum privatis sermonibus asseruere, Papistas in sententia sua, vel ad obitum perseverantes posse salvari, & Papalem Ecclesiam, veram Ecclesiam esse. Quod cum vestri semper nostris præfactè negaverint, evenit, ut illa nostrorum pauculorum opinio vobis amicos adhuc amiciores faceret, quosdamque instabiles, vel nobis infidos ad deserendas partes polliceret.

Sed hic judicium tuum appello, quàm exigui momenti res sit ad religionis stabilimentum hujus vel illius opinio. Et sanè si quis ob immistam millenis erroribus nonnullam veritatis particulam, Ecclesiæ vestræ largo quodam sensu honoratum id nomen indulserit, haud propterea putandus est ipsis erroribus novum patrocinium attulisse. Nec enim Samaritanam Ecclesiam veram dixeris, quia tenues adhuc quædam reliquiæ veritatis sub errorum cumulo nondum consopitæ erant; Nam ut Samaritanorum errores, quibus infecta & infracta veritas erat, salutem iisdem, & spem vitæ subduxerant; ita Papistarum error & Idololatria parem professoribus suis calamitatem minantur. Nec id munimento vobis est, quod fortè quis indulgentiori affectus teneritudine spem bonam foveat de nonnullis vestrum, qui dogmatibus suis immoriuntur.

Non enim spes illa de Papistis, quà tales sunt, sed de miseris hominibus concipitur, qui diu falsi, diuque inter socios errorum jactati, tandem pulsa caligine, ad sola Christi merita convolant morituri. Et sanè qui mortalitatem hâc fiduciâ explent, non in Papana, sed vera & Catholica Ecclesia vitam æternam auspicantur, quamvis externa species eosdem adhuc Papanæ Ecclesiæ permisceat. Sed hîc repeto, quod attigi jam antè, opinionem aliorum ad alterius salutem exiguæ efficaciæ esse. Nec enim inde quis de introitu in cœlos certior est, quia alius opinatur illum posse non excludi. Firmioribus adminiculis opus est ad capescendum hoc iter: Pœnitentia *scilicet &*

Fide,

Fide, *quibus qui carent, beatitudinis etiam exſortes ſunt: Eſt autem inter Chriſtianæ diſciplinæ κυριας δόξας, nullo nomine vel ſalutem quæri, vel mortem vitari, niſi ſolius Chriſti: illum qui fide amplectitur, ſuper illum qui incumbit, ille demum inconcuſſus & ſecurus inter mille dubitationum murmura, firmatam ſolatiis animam Deo reddit.*

At qui contra, Chriſto relicto, ſibimetipſi vel meritis hominum fidit; ille quamvis inter mille lætantium & gratantium plauſus & vota, vitam malam pejori morte commutat.

Hoc poſito fundamento, ſola in Chriſtum fide ſalutem quæri; non dubiæ veritatis eſt, omnes qui vel odio vel inſcitia Chriſti tenentur, ut Iudæos & Turcas, damnatos eſſe. Sed de fide loquẽtibus ãte omnia diligenter tenendũ eſt quid illa ſignificet. Sanè fidem in Chriſtum defigere, & in Chriſtum Ieſum credere, nihil eſt aliud, quam eundem agnoſcere Redemptorem, Mediatorem, Salvatorem & Dominum, illi Sacramentum dicere, illum venerari Regem, Sacerdotem & Prophetam. In illo fundari, ædificari, & in toto ſalutis negotio proram eundem & puppim facere: *Nam* credere in Chriſtum: Chriſtũ agnoſcere: in Chriſto fundari, *locutionis modi ſunt, qui rem unam & eandem ſignificant. Vnde qui in Chriſtum credit, qui eundem agnoſcit & in eodem fundatur, ille Chriſtum tam arcto nexu complectitur, tam exſerta fiducia in eundem recumbit, ſic eidem innititur, ut in ſalutis adipiſcendæ molimine, neque nomen aliud ſuſpiciat, neque meritum veneretur quam ſolius Chriſti, neque Regem alium colat, neque Sacerdotem revereatur, neque Prophetam recipiat præter unicum Chriſtum, qui ſolus caliganti & perdito mundo ſalutem reddit & lucem; qui ſolus Eccleſiam regit & tuetur, qui peccata ſolus expiavit: qui ſolus errantes ducit, & ignorantium animos doctrina cœleſtium imbuit. Et hoc, quod multis quidem, non tamen nimiis verbis expreſſi,* in Chriſtum credere eſt, & fidem collocare in Chriſtum. *A qua credendi ingenuitate qui deſciſcunt, à Chriſto ſimul & ſalute deficiunt.*

Iam verò ſi paullò addictius Papiſtæ tui examinentur, num fidem in Chriſtum collocaverint, haud dubiè multum trepidationis in ipſo reſponſo præferent. Quid enim reſponſuri ſunt, qui temeritatis & arrogantiæ nos arguunt, quod imperterrita & inconcuſſa fiducia in Chriſtum credimus? Qui meritis ſuis & ſatisfactionibus fidunt: qui Papam Eccleſiæ petram & fundamentum prædicant: qui in eodem fundantur. Num illis quæſo ſolus Rex eſt Chriſtus, qui plus Papæ decretis, quam Chriſti dictis obtemperant? Num ſolus illis

Chriſtus

Christus Sacerdos est, qui novo & malè fœcundo ordinis Melchisedeciani Sacerdotio omnes templorum angulos implevere? Num denique solus illis Propheta Christus est, qui plus traditionibus hominum ad insaniam, quam Christi disciplina ad salutem erudiuntur? Sanè qui vel per transennam religionis vestræ cryptas vidêre, satis animadvertunt Christum apud vos titulo tenus cultum (intolerabili ludibrio) omnibus Regiæ, Sacerdotalis & Propheticæ dignitatis *officiis & muniis exui. Non incendam factli invidiam atrocitate verborum. Naturam Christi humanam labefecistis, dum corpus ejus in terra simul & in cœlo locis infinitis, circumscriptum simul & incircumscriptum statuitis.*

Nam quomodo natura humana esse possit, quæ cunctis humanæ naturæ proprietatibus exuitur? Non hæc ex abditis penetralibus vestris portenta eruo; sed ea in medium adfero quæ obvia & cunctis exposita in oculos hominum incurrunt. Quare cùm Romana Ecclesia naturam Christi humanam neget, officiaque repudiet, Nostra autem Ecclesia non verbis tantum, sed factis illam asserat & hæc stabiliat: consequens est Romanam falsam veritatis hostem & exsortem salutis; Nostram autem veram, falsitatis inimicam, & Dei alumnam esse.

Post cujus axiomatis stabilimentum, ipse rerum ordo me vocat, ut ab Ecclesiæ nostræ vultu sordes illas eluam, quibus eundem impudentissimo calumniarum vomitu maculastis: quarum illa princeps est & velut omnium aliarum criminationum implementum; nos hæreticos esse. Sanè si accusasse sufficiat, nemo nostrûm tam horrendi criminis insons erit. Sed hîc candorem tuum invoco, petoque ut vel aliquem saltem in religione nostra articulum demonstres, qui illa scabie laboret.

Quid enim in Ecclesia illa hæreticum, quæ hæresin non unam, sed omnes didicit exsecrari? Quæ Iudaismum abominatur? Turcismum exhorrescit? Quæ nec Dei verbo, nec antiquis Ecclesiæ Symbolis repugnans dogma admittit? Quæ nullis erroribus, quos vel vetusta Concilia, vel Imperatorum leges confoderunt, assentit? Vnum *Ecclesia nostra* Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum agnoscit. Vnicum veneratur Sospitatorem Iesum Christum. *Vnicam credit veram & Catholicam Ecclesiam, cujus Caput & Gubernator solus est Christus. Sacramenta celebrat quæ Christus instituit & promulgarunt Apostoli. Denique Religio nostra non tollit Ecclesiam, sed extirpat errores, qui nimiis incrementis illam penè suffocaverant. In his igitur quid dignum est*

tam

tam iniquis clamoribus, tam atroci ſtilo, tam crudeli ſtigmate?

Quo jure vosmetipſos cohoneſtatis Eccleſiæ nomine, nos autem hæreſeos dedecore diffamatis? Sanè cum hæc convitia perpendo, non aliud animadverto vobis in animo eſſe, quàm ornamentis noſtris ad oſtentationem abuti, & veſtris è contra ſordibus fædare dignitatem noſtræ religionis. Cæterùm vera religio ſuffulta eſt Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis: ſic enim è Scriptura ſimul & vetuſtiſſimis Eccleſiæ Patribus didicimus. At hæreſis eſt, ubi obſtinato & præfracto animo, vel credenda non creduntur, vel creduntur non credenda. Alterutrius vitii nemo nos inſimulaverit, qui noſtrum cum Scriptura conſenſum pernovit: quicquid enim illa continetur, omni reverentia accipimus, illamque nobis in exemplum proponimus, quo dicta factaque moderemur.

Ergò quid nobis abeſt, quo minus Eccleſia indigitemur? Certè ſi quid labis ex ejuſcemodi convitiis in nos adſpergitur, non minoribus maculis ipſi Prophetæ, & Apoſtoli fœdantur, quorũ veſtigia premimus. Nam ſi non credenda credere perhibemur, in Prophetas & Apoſtolos intentabitur hæc accuſatio, quod nimia ſcripſerè. Sin verò non credere credenda, hùc crimen recidet, quaſi pauca nimis ad uſum noſtrum tradiderint. Vtraque autem hæc criminatio Scripturæ violat autoritatem. Nam in illa re perfectio conſiſtere non poteſt, in qua vel redundat inutile, vel abeſt neceſſarium. Atque Chriſtus Apoſtolis ſuis Spiritum ducem dederat in omnem veritatem, cujus lumine irradiati, doctrinam Euangelii in litteras redigere, quæ jam nobis per obſcura vitæ euntibus lucem præferant. Hanc doctrinam & prædes ejus cùm damnatis hæreſeos, quàm exactè imitamini Iudæorum pravitatem, Apoſtolos iiſdem contumeliis inſectantium? Act. 24. v. 14. Sed illis ita Paulus reſpondet. Hoc verò tibi profiteor, me ſecundum viam illam, quam hæreſin dicunt, ita ſervire patrio Deo, ut qui credam omnibus quæ in lege & Prophetis ſcripta ſunt. *Crede nos eodem reſponſo velut armatos ita calumniantibus reſpondere.* Nos ſervire Deo ſecundum viam illam quam vos hæreſin dicitis, *Sed quæ revera Prophetarum & Apoſtolorum monumentis continetur.*

Hæc jugulata calumnia etiam alteri ſpiritum intercludit, quâ nos, ut nuperos & novos exagitare ſoletis. Quid enim in illa religione novum eſt, quæ vetuſtiſſimis Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis innititur? Sanè id antiquius ubique perhibetur, quod prius: Id prius quod ab initio: Id ab initio, quod ab Apoſtolis. *Quare cum excuſſis hominum vel inventis vel deliriis,*

uni

uni religioni adhæreſcimus, quæ ab ipſo Apoſtolorum calamo emanat, ſoli nos novitatis arguent, quibus ipſa Euangelii pagina nova eſt. Videor audire veteres illos veritatis hoſtes, qui Chriſtum oblatrabant. Quid eſt hoc? quæ doctrina nova hęc? *Marc. 1. v. 17. Qui Paulum ubi in Areopagum deductus eſſet, per inſcitiam interrogabant,* poſſumuſne ſcire quæ ſit iſta nova quæ à te dicitur doctrina? *Act. 17. v. 19. Doleo ſanè tam pares vobis mores eſſe. Sed non te fugit, quid mancipiis illis erroneæ antiquitatis ſapientiſſimus Magiſter reſponderit.* A principio non fuit ſic. *Matth. 19. v. 8. Eodem reſponſo nobis retundenda eſt ſupercilioſa illa arrogantia, quâ vetuſtatem rituum veſtrorum decantatis. Tot ſæculis invocatio ſanctorum viguit: neque minoribus cultus imaginum. Traditiones ab omni ævo magnam in Eccleſia autoritatem habuere; Pontifex tot annorum decurſu pro libitu imperavit: meritis & ſupererogationis operibus jam ſua conſtat canities.*

Miſſa jam pluribus annorum centuriis invaluit. Tot ſæculis jam ardet ignis purgatorius. Quibus univerſis putidæ jactantiæ ampullis unam Chriſti vocem reponimus. A principio non fuit ſic, *hoc eſt, Prophetarum & Apoſtolorum temporibus ejuſcemodi dogmata, nec in mentes hominum, nec in ſcriptorum libros irrepſerant. Quare cum à nobis Scripturæ ſtent, maximum & unicum antiquitatis ſpecimen facilè patimur, inanes novitatem convitiantium tinnitus.*

Neque movemur illâ (ut putatis) contumeliâ, quâ nos ignotos & velut terræ filios traducitis. Erat hoc Phariſæis in Chriſtum ſolenne. Vnde hic? *Ioh. 9. v. 29. Nec minus apud veſtros in more.* Vnde vos? *ũde hæc nova ſoboles emerſit, quæ ante Lutherũ nuſquâ comparavit? Reſpondebat Iudæis interrogantibus Chriſtus:* Scrutamini Scripturas, illæ ſunt quæ teſtificantur de me. *Ioh. 5. verſ. 29. Vobis irridentibus idem reponitor. Evolvite Legis & Euangelii monumenta; ibi natales religionis noſtræ invenietis & originem.*

Succedit atrox, non calumnia ſolum, ſed calumniæ rabies, quâ ſeditionis arceſſimur. Furebat eadem intemperies univerſæ multitudinis in Dominum noſtrum. Luc. 23. v. 12. Hic pervertit gentem, & vetat tributa dari Cæſari. *Sic Regnorum peſtes, civitatum carcinomata, concitatores plebis caninâ Romanenſium facundiâ perhibemur. Verùm ut Chriſti innocentia vocem Pilato extorſit,* Non inveni noxam in hoc homine. *Sic ipſa veritatis vis à Scriptoribus Papiſticis, qui ſuperioris ævi hiſtoriam compoſuere, ſæpè teſtimonia elicuit, quibus integritas noſtrorũ à calumniis apud poſteros vindicatur.*

catur. At qui dicunt nullas ante religionem Reformatam in mundo turbas, nullas bellorum procellas sæviisse, nullis regnorum & civitatum eversionibus collisam Europam, nè illi se jejunos & steriles produnt scientiæ historiarum. Si tamen ita se res maximè haberet, num propterea nobis tot motuum & funerum causæ imputandæ forent? Quiescebat terrarum orbis in sinu tranquilissimæ pacis cum Christus nasceretur: exinde quæ bella, quæ clades exercituum, quot urbium direptiones, quot regnorum ruinæ subsecutæ sint, quis ignorat? Filius sæviebat in patrem, pater in filium, cognati, affines, familiares, alter alterum immanibus odiis fatigabat: ipso Christo velut in turbam mittente gladium. Matth. 10. v. 34. Nec minus Apostolorum temporibus quatiebantur tumultubus provinciæ, qui causâ doctrinæ excitati fuerant. cap. 16. & 18. Actor. Sed tamen Christo vel Christianæ doctrinæ invidiam facere, tanquam fomiti malorum, impium & detestabile fuerit. Num quis Soli cadaver illustranti fœtorem imputaverit quem putredo exhalat? Diabolorum & hominum impietas, qui veritatem aversantur, & doctrinam salutis horrescunt, tumultuum causa est: ex hoc fonte illa mala scaturiunt, quæ sæpè integras gentes excidio mactarunt. Impedimentum ponere currenti Euangelio, & salutarium aquarum defluvium novo obice coercere, hoc demum est turbas dare, & provocare tumultus. Veritatis inimici, ubi tot ignium aggestu & Vivicumburiis penè Regionem desolarunt, ipsos in quos sævierunt, incendii reos subdunt.

Huic calumniæ gemella est altera, nos Regibus infestos esse. De Christo Iudæi paria loquebantur: imò Christum non odisse id demum erat majestatem lædere. Ioh. 19. v. 12. Illum si absolveris non es amicus Cæsaris. Eadem nos urget improbitas. Non ipsi modo in Reges iniqui, sed qui nos non obterunt, parum æqui judicantur. Sed quid Pilato Christus, Regnum meum non est ex hoc mundo, idem nos maledicentibus respondeamus: Coronæ nostræ, quas adspiramus, nos in cœlo manent. Unum in terris Regnum venamur, servire Deo, & obsequi Christo, qui jubet quæ Cæsaris sunt reddi Cæsari, & quæ Dei, Deo. Hoc officium imperio potius, hoc obsequium diademate illustrius credimus. Ita enim nos decet unicuique reddere quod debetur, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem, &c. Rom. 13. v. 7. Subditi enim sumus Regibus non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Rom. 13. 5. Et sanè nobis in votis est, ne dies ulla nos arguat immemores Petri jubentis, Deum timete, Regem honora-

tc. 1. *Petr. cap. 2. Ac quidem hactenus nec sanguini nec opibus pepercimus, quo minus animi sententiam factorum fide manifestemus, precamurque, assiduè ut sana mens constet Imperatoribus, & retinens divinæ legis, ne quid unquam subditis imperent, quod Deum violet*, cui obedire potius quàm hominibus inter cœli edicta est. *Sed ubi ad vestrorum hominum, quod adeò prædicatis, obsequium oculos circumfero, quanto me horrore percellit sub Monachi sicarii cultro mactatus Gallorum rex Henricus tertius, & mox quartus, maximus Regum, Papistici parricidæ sica sanguinem simul & spiritum effundens. Non attingo vetera, quæ vel veneficiis vel parricidiis Regum & plura & nefanda sunt. Vnum illud obedientiæ specimen, quod in deflando imperii domicilio, in Rege, Regia Sobole, & toto nobilitatis flore extinguendis, homines vestri ætate nostra edidere; satis eloquitur quis vobis erga Reges Amor, quæ Fides sit.*

Iam succedit aboliti jejunii *criminatio, quâ non minus Iudæi Christum onerabant.* Ille *enim* vini potor & edax. *Matth. 11. vers. 19. &* jejunii *ne quidem* in discipulis patiens *perhibebatur. Marc. 2. v. 18. Sed Christi apologeticus, etiam noster est.*

Non possunt filii thalami quo tempore cum ipsis est sponsus jejunare, &c. aderunt autem dies quum tolletur ab iis sponsus, & tunc jejunabunt illis diebus. *Cui enim rei fuerit statum, & solenne, & anniversarium* jejunium, *cùm sæpè possit incidere in ejusceemodi tempora, quæ rerum prosperitatem gaudio & lætitia celebrari postulant? at* jejunia *temporibus nubilis & tristitiâ coopertis apta sunt, cum sublato ex oculis sponso, silet hilaritas, & gaudium obmutescit: cùm gemit Ecclesia, & luctu obruitur. Tali temporum nocte ritè* jejunatur. *Non ut apud vos moris est, simulatâ inediâ, cùm ablatis carnibus, piscium vinorumque deliciis implemini, sed reverà omni ciborum genere abstinentiâ.*

Nec his modo finibus jejunia *circumscribimus, sed vitam omnem in temperantia & sobrietate transigendam esse contendimus, præcipuè verò in abstinentia à peccatis, ut alacriores invigilemus operibus misericordiæ. Isa. 56. Quare risum mihi fere excutiunt, quæ Romani Gnathones in claustris suis de* jejuniis *crepant; illorum scilicet odio & metu majores nostros tam severæ disciplinæ impatientes, Romanam Ecclesiam deseruisse, secutos partes eorum, quibus in cibo & potu solutior luxus est. Quasi majoribus nostris magis arduum fuisset, more Prælatorum Romanensium, opulentis & instructissimis* jejuniis *quadragesimas fallere, quam famem, inediam, fugam, carce-*

carcerem, & per exquisita sæpè supplicia mortem acerbam pati? Imò quasi non minoris è cauponantis Romæ nundinis dispensatio comparari potuisset, quàm rei familiaris fortunæ aviditati prædatricis inquisitionis exponi?

Sed bonorum operum nobis odium & inimicitiam objiciunt. Nec Christus ipse, fons omnis bonitatis, hanc calumniam effugit: nec intacti hac maledicentia abierunt Apostoli. Actor. 6. v. 9. & 14: & Rom. 3. Sic enim ubique perstrepebant Iudæi, Euangelii doctrina ritus Mosaicos aboleri, & inanem reddi legem. Ita vos vociferamini, nostra religione latam aperiri fenestram Libertinismo, & in corruptos mores, luxuriam, libidinem, proterviam induci: omnemque simul cum lege charitatem extingui, dum de fide litigatur. Quid ad hæc Christus? Matth. 5. v. 17. Ne existimate, inquit, me venisse ut dissolvam Legem & Prophetas, non veni ut dissolvam, sed ut impleam: *& Paulus Roman. 3. 13.* Legem igitur inanem reddimus per fidem? absit: imò Legem stabilimus. *Idem & nos. Ne existimate ergò religione nostra dissolvi Legem, vel quicquam eorum aboleri, quæ Prophetæ vel Apostoli præceperunt: nam fidem à charitate sejunctam prædicare, insaniam, non Theologiam sapit: Fides enim per charitatem agit. Gal. 5. v. 6. Et Dei gratiam sine sanctificatione annunciare illorum est, qui impossibilia moliuntur:* Illuxit enim gratia illa Dei salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter, justè & piè vivamus in hoc sæculo. *Non igitur opera per fidem subruimus, sed stabilimus: nam fides in Christum & erga Deum pœnitentia indivulso nexu consociantur: ad hoc enim Christi sanguine redemptos homines docemus,* ut purificaret sibi populum peculiarem, studiosum bonorum operum. *Tit. 2. v. 14. Cum Deum fidelibus Patrem dicimus, obsequii quod à filiis patri debetur nec immemores sumus nec incurioſi. Cum Euangelii promissa, quibus hæreditas cœlestis spondetur, promulgamus, mentionem quoque operum bonorum, quæ Deus præparavit, ut in illis ambulemus, silentio non præterimus.*

Ad paupertatis calumniam quis erubescat, nisi qui extremum malorum in illa collocat? Deus enim minimè προσωποληπτης, cujuscunque gentis, conditionis, fortunæ hominibus, modò ad obsequium paratis, se Patrem, Patronum, Benefactorem spondet. Christum sanguis iisdem nebulones olim excepere, Nonne iste est ille fabri filius? Nonne Mater ejus dicitur Maria & fratres ejus Iacobus & Ioses? *Matth. 13. 55. 56. Meministine quid ad hæc ludibria Dominus*

responderit? Ne judicate secundum speciem, sed justo judicio judicate. *Ioh.7.v.24. Sic vobis ministrorum nostrorum inopiam, obscuritatem natalium, & exiles fortunæ paratus ridentibus respondemus; non habitum illorum, non fortunam à nobis, sed gratiam inspici, quæ Deo agitante, & ipsis ministrantibus efficax est in credentium animis. Et quid hic quæso pudendum nobis, cum Apostolorum tenuitatem intuemur? nonne principi (ut vos vultis) Apostolorum, piscatura & ars & census erat? nonne sanctus ille Antistes gentium, magnus ille Dispensator lucis, texendis tabernaculis vitam toleravit? Deus enim* dedit nobis thesaurum illum cœlestem in testaceis vasculis, ut ejus virtutis præstantia sit Dei, & non ex hominibus. *Pauperes, tenues, plebei sunt. Esto. at plurimos locupletant. Nihil habent: at tamen omnia possident.*

Quod Magnates nobis infestos, sapientes & doctos aversos ampullantur, parùm nos movet. Cum milites olim & apparitores attoniti granditate orationis Christi, Pharisæis referrent, neminem unquam ore mortali tam miranda elocutum, in promptu erat hominibus nequam hæc subsannatio, Num & vos seducti estis? Nam quis ex Principibus credidit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc quæ non novit legem, execrabilis est. *Ioh.7.v.46. At in vestro cœtu non minus usitatum, ubi vis veritatis vel lux conscientiæ quempiam ab errorum tenebris protrahit in apricum, sapientium autoritate & splendore Magnatum pugnare in tenuitatem Ecclesiæ nostræ, quam nullus fortunæ tumor, nulla doctrinæ ventositas attollit. Quod si Paulum vestri consuluissent, næ dudum illos puduisset, tam jejunæ calumniæ: Sic enim ille.* 1.*Cor.*1.16. Videtis vocationem vestram fratres, vos non esse multos sapientes secundum carnem, non multos potentes, non multos nobiles. Verum quæ stulta sunt in mundo, elegit Deus ut pudefaciat sapientes, & quæ infirma in mundo elegit Deus, ut pudefaciat robusta, &c. *At charactere meretricis Babylonicæ, ubi videris Apoc.c.*17.*&* 18. *Nonne retrò pedem referas à fastu & pompa sæculi? Omnis illa magnificentiæ, superbiæ, splendoris insania in gurgitem & barathrum æterni exitii præcipitatur, cum interim misello gregi contempto, neglecto & inter mundi purgamenta habito, solatium, honor, gloria, regnum à cœlesti Patre porrigitur. Luc.* 12.*v.* 32. *Et sanè cur nos Principum sapientiumque à nobis stantium paucitas terreat, ubi Christi recordamur agentis Patri suo gratias,* quod absconderit hæc à sapientibus & intelligentibus, & detexerit ea parvulis?

At traditionibus reverentiam à nobis detrahi quod ajunt; non in-

di-

dignamur. Christũ & discipulos simili modo de neglectis traditionibus seniorum *increpabant Pharisæi. Mat.* 15. 12. *Sed illos graviore increpatione Christus perculit.* Quare & vos transgredimini mãdatum Dei per traditionem vestram? *Quare cum à vestris invidiosè quæritur, cur nec altaribus, nec ornamentis Sacerdotalibus effulgeamus; Cur hostiam inter Sacrificuli manus elevatã non adoremus vice Dei. Cur de Calice omnes bibamus; quæremus & nos, sed meliore jure,* Quare & vos mandatum Dei transgredimini per traditionem vestram, *qui dicit:* bibite vos omnes. *At ubi altaria, hostias, & similia nugamenta nova & inaudita crepant, ad sacræ Scripturæ tabulas recurrimus, in quibus cum de quisquiliarum harum ludibriis nihil perhibeatur, nos quiete, & illos insania sua frui non vetamus. Si in imaginibus tollendis traditionem negligi culpant, mandatum ipsis per traditiones violatã objicimus,* Non facies tibi sculptile, aut imaginem ullius rei, &c. *Si in Papa & Cardinalibus excussis traditionem contemptam urgent, neglectam ipsis econtrà prohibitionem Christi objicimus. Matth.* 23. *v.* 9. Patrem vestrum neminem vocetis in terra: Vnus autem est vester Pater qui in cœlis est: omnes autem vos fratres estis. *Si in diebus festis incuriosè habitis traditionem læsam dolent; Dei edictum protervè conculcatum ipsis exprobramus.* Sex dies laborabis. *Si in* jejuniis *omissis traditionem excussam lamentantur; Dei jussum & Apostolorum ab ipsis rejectum lugemus. 1. Cor.* 10. *v.* 27. Quicquid opponitur vobis, edite, nihil interrogantes propter conscientiam.

Verum miracula, quod à nobis flagitant, protervè faciunt & æmula Iudæorum malitia, qui Christi eadem importunitate fatigabant. Quod ergò tu signum edis, ut videamus & credamus tibi? quid operaris? *Ioh.* 6. *v.* 30. *& Mat.* 16. *v.* 1. & cum accessissent Pharisæi & Sadducæi, tentantes rogarunt eum, ut signum è cœlo ipsis ostenderet. *Sed quod perversis illis & deploratis ingeniis Christus respondit;* Natio mala & adultera signum requirit, & signum non dabitur ei, nisi signum illud Ionæ Prophetæ, &c. *idipsum nobis hac flagitatione prestis succurrit. Nam qui obturatis auribus & clauso corde Euangelium, quod undique circumsonat, respuunt, miracula poscunt. Sed non alia ipsis miracula dabuntur, quam quibus Euangelii doctrinam Christus & Apostoli illustrarunt fundaveruntque. Nam cùm doctrina nostra Christi doctrinæ per omnia consentiat, æquum est, ut illius miraculis utamur pro nostris. At qui diversa ab illis, vel ipsi somniant, vel ab aliis exigunt, partes sunt & viscera Antichristianæ familiæ, cujus hoc insi-*

gne est, histrioniam exercere cum omni potentia & signis & prodigiis mendacibus.

Sed tandem vocationis nostræ rationem poscunt. Sic olim cum venissent in templum principes Sacerdotum & Seniores populi eum docentē audierant, dicebant, qua autoritate facis ista? & quis tibi dedit istam autoritatem? *Quid ad hanc supercilioſam interrogationem Christus?* Interrogabo vos & ego rem quandam: quam si dixeritis mihi, dicam & ego vobis, qua autoritate ista faciam. Baptisma Iohannis unde erat? è cœlo an ex hominibus? at illi ratiocinabantur, &c. Quare non credidistis ei? sin autem dixerimus, ex hominibus: timemus turbam; omnes enim habebant Iohannem ut Prophetam.

Ita sanè ubi homines vestri quæstionibus nostris responderint, magnam quoq; in nobis reperturi sunt responsorū liberalitatem: sed ubi responderint unde sacrificatus Ecclesiæ Romanæ, num è cœlo descenderit, an ex hominū cerebris emerserit? Quæ sanè quæstio jam dudum *hominibus vestris crucem figit. Nam si sacrificatus originem è cœlo deducant, ilicò Scripturam, quæ sola in hoc negotio testis est, percunctabimur; imò petemus, ut vel minimo litterarum vetustarum testimonio probent Apostolos vel Apostolis proximos, cantus & ritus Missales obiviſſe. Sin autem* ex hominibus *Missæ choragium arcessunt*, jam nunc corruit totum intricatissimæ fraudis artificium. *Hactenus enim simplici popello persuasere Sacerdotes Missaticos à Christo institutos, & missam ab ipsis Apostolis celebratam fuisse.*

Vides ornatissime Domine Ecclesiam nostram iisdem calumniis peti, quibus olim improbitas malorum in Christum ipsum debacchatur: Nec illud obscurum est, iisdem illas responsionibus elidi, quibus veteres illas Christus refutabat. Quæ res & gloriam nobis & fiduciam conciliat. Nam qui malorum, quæ Dominus passus est, consortes in hac vita sunt, bonorum etiam & felicitatis in futura participes erunt.

Spero tibi candorem & ingenuitatem meam neque gravem nec ingratam fore. Vnus mihi propositus finis, ut purgatâ à calumniæ maculis Ecclesiâ nostrâ; è Papatus, jam tui, sordibus maturè ad eam redeas. Certè ego pro meo in te eximio amore & salutis tuæ tuorumq; studio non desinam precari Patrem lucis, ut oculos tuos objectâ tot calumniarum nube caligantes aperiat, ut apud animum tuum perspicere possis

Quantum præstent demissa petitis.

FINIS.

Library of the
UNION THEOLOGICAL SEMINARY